

h

So

CA





SYLLABVS

AVTHORVM, QUI IN HOC OPERE
recensentur.

A
Abulensis.
Adamus Tannerus.
Ægidius Bofsius.
Ægidius Romanus.
Ægidius Lusitanus.
Ægidius Coninch.
Alexander Alensis.
Alphonfus de Castro.
Alphonfus Salmeron.
Aloyfus Turrianus.
Alvarus Pelagius.
D. Ambrosius.
Ambrosius Spinula.
Ambrosius Saxius.
Andreas de la Moneda.
Andreas Mendo.
Andreas Iunius.
Amadæus Chyrolus.
D. Anselmus.
D. Antoninus.
Antonius Perez, Franciscanus.
Antonius Perez, Jesuitanus.
Antonius Perez, Benedictinus.
Antonius Arbiol.
Antonius Castel.
Antonius Diana.
Antonius Goudin.
Antonius à Spiritu Sancto.
Antonius Velazquez.
Antonius Corronius.
Antonius Mazaronus.

Antonius Corduba.
Antonius Escobar.
Antonius Hiquerus.
Antonius Moure.
Antonius Ruvio.
Antonius de Quirós.
Antonius à Matre Dei.
Antonius Guevata.
Antonius Iribarren.
Antonius Roccus.
Antonius Terillus.
Antonius Celiædeus.
Antonius Moraines.
Angelus Vulpes.
Angelus Gofius.
Angelus de Sonnenno.
D. Augustinus.
Augustinus Barbosa.
Augustinus Rediog.
Augustinus Herrera.
Augustinus Bernal.
Arnoldus Vesaliensis.
D. Athanasius.

B
Bartholomæus Mastrius.
Bartholomæus à S. Fausto.
Bartholomæus Durandi.
Bartholomæus de los Rios.
Bartholomæus Anglicus.
Baltassar Conradus.
Baltassar Tellez.
D. Basilius.



Jung

Basilus Ponzē,
Beda.

D. Bernardus.

Bernardus Aldrete.

Bernardus Sanning.

Bernardinus Vetuvcis.

Benedictus Pererius.

Benedictus Arias.

D. Bonaventura.

Bonaventura Bellutus.

Bonaventura Columbus.

Bonaventura Baro.

Brunus Schaffaing.

C

Carolus Lanterius.

Carolus de Bayona.

Carolus Echeverria.

Carolus Malletus.

Carolus Baucius.

Carolus Rapinæus.

Candidus Brognollus.

Cæsar Carena.

Callixtus Lodigerius.

Callixtus Campetus.

Christophorus Ortega.

Christophorus Plaza.

Christophorus Delgadillo.

Christophorus à S. Joseph.

Claudius Frassen.

Casianus à S. Eliâ.

Collegium Salmanticense.

Collegium Complutense.

Collegium Conimbricense.

Cosmas de Lerma.

Cosmas Philiarthus.

D. Cyprianus.

Cyprianus Croufers.

D. Cyrillus.

RYLLABVS **D**

Damianus Giner.

D. D. Didacus Castell.

Didacus Ortiz.

Didacus Tapia.

Didacus Avendaño.

Didacus de Montoya.

Didacus Frances.

Didacus Alvarez.

D. Dionysius.

Dionysius Blasco.

Dominicus Soto.

Dominicus Grayina.

Dominicus Linze.

Dominicus Bañez.

Dominicus de Marinis.

Dominicus Tuschus, Card.

Durandus à S. Portiano.

E

Eligius Bassus.

Emmanuel Gonzalez.

Emmanuel Rodriguez.

Emmanuel Moura.

Eusebius Nierembergicus.

Eusebius Garcia de los Rios.

Eustachius à S. Paulo.

F

Felicius Sayrus.

Felix Contarenus.

Ferdinandus Salazar.

Ferdinandus Oxca.

Ferdinandus Rebellus.

Ferdinandus Castro Palao.

Franciscus Suarez.

Fran:

Franciscus Amicus.
Franciscus Arauxo.
Franciscus Macedo.
Franciscus Bonaspes.
Franciscus Delugo.
Franciscus Oviedo.
Franciscus Batabius.
Franciscus Bordon.
Franciscus de Arriba.
Franciscus Lychetus.
Franciscus Bardi.
Franciscus Valente.
Franciscus Annatus.
Franciscus Herrera.
Franciscus Carriere.
Franciscus del Castillo.
Franciscus Palanco.
Franciscus Torreblanca.
Franciscus Pitygianus.
Franciscus Pellizzarius.
Franciscus Felix.
Franciscus Toletus, Card.
Franciscus Verde.
Franciscus Sylvius.
Franciscus Coriolanus.
Franciscus Tellez.
Franciscus Pichon Merinero.
Franciscus Scherius.
Franciscus Zumel.
Franciscus Alphonfus.
Franciscus á Iesu Mariá.
Franciscus Murcia.
Franciscus Marzal.
Franciscus Garaù.
Fridericus Nicolaus Gavardi.

G

Gabriel Vazquez.
Gabriel á S. Vincentio.
Gabriel Hennaò.

Gabriel Boyvin.
Gaspar de la Fuente.
Gaspar Hurtado.
Gaspar Ribadeneyra.
Gaspar Schotus.
Gaudentius Brixienfis.
Georgius Sogia & Serra.
Georgius Gobat.
Georgius Homelmañ.
Georgius Rodès.
Georgius Garrafa.
D. Gregorius.
Gregorius Martinez.
Gregorius de Valentia.
Gerardus Baldius.
Guilielmus Ochamus.
Guilielmus Æstius.
Guilielmus Herinx.

H

Henricus Villalobos.
Henricus Enriquez.
Hermanus Busenbaum.
D. Hilarius.
D. Hieronymus.
Hieronymus Camerino.
Hieronymus Garcia.
Hieronymus Fasolius.
Hieronymus Dandinus.
Hieronymus Columbus.
Hieronymus Gallus.
Hieronymus de Sofa.
Hieronymus Rodriguez.
Hieronymus Pla.
Homobonus de Bonis.
Hugo Cavellus.
Honoratus Fabri.
Hippolytus Grassetus.
Hyacinthus Hernandez de
la Torre.

Hya.

Hyacinthus Donatus.
Hyacinthus Choquetius.
Hyacinthus Chalvet.
Hyacinthus Olpenfis

I
Iacobus Gordonus.
Iacobus Marchantius.
Iacobus Salianus.
Iacobus Gretferus.
Iacobus Platelus.
Ianuarius de Mata & Haro.
Ildephonfus Briceño.
Ildephonfus Peñafiel.
Ildephonfus Michael.
Illuminatus Collifanus.
Illuminatus Moronus.
D. Ioannes Chryfostomus.
D. Ioannes Damascenus.
Ioannes Duns Scotus.
Ioannes Perez Lopez.
Ioannes Martínez Ripalda.
Ioannes Martinez Prado.
Ioannes Poncius.
Ioannes Merinero.
Ioannes Baptista Scortia.
Ioannes Sanchez.
Ioannes à S. Thomâ.
Ioannes Gonetus.
Ioannes Delugo, Card.
Ioannes de Radâ.
Ioannes Lalemandet.
Ioannes Boyvin.
Ioannes Marius.
Ioannes Prudentius.
Ioannes Morifanus.
Ioannes Ovando.
Ioannes Morando.
Ioannes Gutierrez.

Ioannēs Martinon.
Ioannes Baptista Lezana.
Ioannes Cardenas.
Ioannes Bofcus.
Ioannes Dicastillo.
Ioannes de Bonâ, Card.
Ioannes Caramuel.
Ioannes Hiribarne.
Ioannes Azor.
Ioannes Biefeas.
Ioannes Salas.
Ioannes de Neapoli.
Ioannes Trullench.
Ioannes Baptista Conradus.
Ioannes Capreolus.
Ioannes Sylveira.
Ioannes Maldonado.
Ioannes Angelus Bofsius.
Ioannes Maria à Castillêto.
Ioannes Bafolius.
Ioannes Sendin.
Ioannes Nidhardus, Card.
Ioannes Espinosa Medrano.
Ioannes Mariana.
Ioannes Ferdinandus.
Ioannes Antonius Vfon.
Ioannes de Ferreras.
Ioannes Curiel.
Ioannes Thomas Rocaberti.
Ioannes Paulus Nazarius.
Ioannes Ricciolus.
Ioannes Delphinus.
Ioannes Nicolai.
Iosephus Saéz de Aguirre, Card.
Iosephus Angles.
Iosephus Gibalinus.
Iosephus Olzina.
D. Iſidorus.
Iulianus Castelvi.
Iulianus Caesar Recupitus.

L
 Laurentius Brancatus de Laurã, Card.
 Laurentius Portell.
 Laurentius Peyrinis.
 Leander à SS. Sacramento.
 Leander de Murcia.
 Leonardus Læsius.
 Lucas Castellinus.
 Ludovicus Caspensis.
 Ludovicus Miranda.
 Ludovicus Molina.
 Ludovicus Abelly.
 Ludovicus Meratius.
 Ludovicus à S. Ioanne.
 Ludovicus Montefinos.
 Ludovicus Paramo.
 Ludovicus Bancel.

M
 Marcus Gallitius.
 Marcus Berulle.
 Marcus Serra.
 Marcus Baudunius.
 Marcus Antopius Alòs.
 Marius Calafius.
 Matheus Orlanus.
 Matheus Fethius.
 Matheus de Sosã.
 Matheus Moya.
 Matthias Borrull.
 Matthias à Coronã.
 Martinus Bonacina.
 Martinus Menrifle.
 Martinus Beccanus.
 Martinus Perez.
 Martinus de Esparzã.
 Martinus de Torrecillã.

Martinus de Roã.
 Martinus à S. Joseph.
 Martinus Delrius.
 Mauritius Centinus.
 Mauritius de Lezanã.
 Melchior Canus.
 Melchior Fuster.
 Modestus Gavatius.
 Modestus à S. Gregorio.

N
 Nicolaus Lyranus.
 Nicolaus Serarius.
 Nicolaus Baldellus.
 Nicolaus de Nijse.
 Nicolaus Gavardi.
 Nicolaus Arnu.

O
 Origenes Adamantius.

P
 Paulus Fuschus.
 Paulus Layman.
 Paulus Fronzozo Benacensis.
 Paulus Aresius.
 Petrus Aquila.
 Petrus Fulienfis.
 Petrus Galatinus.
 Petrus Labat.
 Petrus Vyandingo.
 Petrus Cabrera.
 Petrus Hürtado.
 Petrus Soto.
 Petrus Oxèa.
 Petrus Cornejo.
 Petrus Lorca.

Petrus Arrubal.
Petrus Rebuffo.
Petrus Godoy.
Petrus Marchant.
Petrus Aureolus, Card.
Petrus Lombardus.
Philibertus Marchinus.
Philippus Moncaus.
Philippus à SS. Trinitate.
Philippus Aranda.
Philippus Faber.
D. Prosperus.
Prosperus Farinacius.

R

Rabanus.
Raphael Averfa.
Raphael de la Torre.
Raymundus Lullius.
Raymundus Capiſuchus, Card.
Raymundus Lumbier.
Raymundus Coſta.
Raynerius de Piſiſis.
Robertus Bellarminus, Card.
Rodericus Arriaga.
Rupertus.
Rychardus Lynceus.
Rychardus à Mediavillâ.

S

Samuei Lublinus.
Sebastianus Salelles.
Sebastianus Izquierdo.
Sfortia Palavicinus, Card.
Sigismundus à Bononiâ.
Sigismundus Serbellonus.
Stephanus Spinula.
Stephanus Bubalus.
Stephanus Dechamps.

Stēphanus Vvēymis.
Stephanus Fagondez.
Stephanus Banny.
Stephanus à S. Gregorio.
Sylveſter Maurus.
Sylveſter Saavedra.

T

Tertullianus.
Theodorus Forestius.
Theodorus Smiſing.
Theophilus Raynaudus.
D. Thomas.
Thomas Anglus.
Thomas Carleton.
Thomas Muniella.
Thomas Llamazares.
Thomas Cayetanus, Card.
Thomas Hurtado.
Thomas Sanchez.
Thomas Tamburinus.
Thomas Maluenda.
Thomas del Bene.
Thomas Frances.
Thomas à Ieſu.
Thufcus, Card.
Thyrſus Gonzalez.

V

Valerius Reginaldus.
Vincentius Fillicius.
Vincentius Ferre.
Vincentius Contenſon.
Vincentius Candidus.
Vincentius Baronius.

Z

Zacharias Boverius.
Zacharias Paſqualigus.

BREVIS EXPOSITIO
AD QVATVOR PETRI
LOMBARDI PARISIENSIS

EPISCOPI, ET SENTENTIARVM MAGISTRI
LIBROS SEDVLO AC LEPIDE CONCINNATA.

PRÆCIPVE, QUÆ CIRCA LITTERAM EXAGITARI
assuescunt, cum Noeticis Angelicæ, Subtilis, Eximia, &
omnis Scholæ Authoribus, super illis ex integro,
exque professo disputantibus, accessere
Quæstiones.


DE INCARNATIONE VERBI DIVINI,
sive naturarum vnione ex parte personæ
assumentis.

DISTINCTIONIS PRIMÆ
Synopsis.

*Impleto tandem decreti tempore missus,
E gremio Patris Filius ipse sui est.*

Sic incipit: *Cum venit igitur plenitudo temporis.*

Sic terminat: *Cum Patre & Spiritu Sancto operatus est.*

I  **CONNECTITVR** hic tertius cum secundo Sententiarum liber. In illo satis appositè egit Magister de divinâ potentiâ in omnium mundanarum rerum creationis splendescente effectu, sed in hoc tertio Sententiarum libro iam prodigitate determinat de Deo, quatenus eius divina sapientia mirabiliter in hominis restauratio-

nis effectu irradiare incepit: ergo concinnum inter se hinc libri ordinem servant.

2. Consequentia probatur: Prius est condere hominem, ipsamque in miserâ naturâ lapsâ contemplari sorte, quàm lamentabilem illius instaurare iacturam: ergo dum Magister in hoc tertio Sententiarum libro altè disserit de Deo, in quantum eius mira sapientia in mundanæ restitutionis, præsertimque hominis, maximè eluxit effectus; postquam in secundo de ipsius divinâ potentiâ in cunctarum rerum creationis elucescente effectu iam ipse determinarat Magister, ordinatissimè procedit.

3. Hocce igitur tertium Sententiarum volumen in tres præcipuas dissectatur partes. In quarum primâ sedulò pertractat Magister de salutiferâ venerandâque divinî Verbi Incarnatione. In secundâ verò, de eiusdem æterni Verbi proficua, ac cruentatâ passione supra modum edisserit. In tertiâ autem & ultimâ determinat parte, de virtutum donorumque omnium maximâ perfectione necnon de primæ ac secundæ tabulæ decalogi præceptorum debito cultu officiosâque observantiâ.

4. Consimiliter hæc prima in totidem ac principaliores dividitur partes distinctio. In quarum primâ argutè ostendit Magister, Verbi divinî visibilem missionem ipsam fore incarnationem. In secundâ verò venustè declarat, qualiter fuerit conveniens ipsum Filium Dei specialiter incarnari. In tertiâ autem & ultimâ detegit parte, Patrem, & Spiritum Sanctum, si voluissent, aptè potuisse naturâ associari humanæ.

5. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis clarâ indagine, prima præfigitur thesis: *Proficua ac veneranda Verbi divinî visibilis missio est ipsa Dei Filij incarnatio.* Quam obiter probat Magister quadâm Apostoli cap. 4. ad Galatas satis exploratâ autoritate; necnon aliis quibus ex ipsâ suppeditatis rationibus.

6. Probat primò assumptum Magister hocce Apostoli cap. 4. ad Galatas perspicuo ac famigerato testimonio: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Sed plenitudinis tempus dicitur tempus gratiæ, & veritatis, quod à Salvatoris nostrî auspiciatissimo adventu exordium sumpsit, dum Pater æternus Filium suum promissum in lege antiquis Patribus misit, factum de muliere, factumque sub lege: ergo quia hæc Verbi divinî visibilis in carnè missio est ipsa Dei Filij proficua ac venerandâ incarnatio.

7. Secundò promovet intentum Magister ex cunctorum fatidico perpolitotoque prophetarum Vate Isaiâ cap. 61. dicente: *Hoc est tempus miserendi, & annus benignitatis, in quo gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Sed tempus miserendi, annusque benignitatis, in quo gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, duntaxat illuxit, dum Verbum divinum visibiliter in humanam carnem apparuit hominibus: igitur visibilis Verbi divini in carnem missio nihil aliud sonat, quàm stupenda, benignaque Dei Filij incarnatio.

8. Tertiò probatur ratione ex his autoritatibus non inconcinne deductâ: Filius dicitur missus à Patre, factus sub lege, & ex muliere factus; sed Filius Dei nequit dici missus à Patre, factus sub lege, & ex muliere factus, nisi quia incarnatus in immaculatâ Virginis Matris alio, ut ex se claret: ergo quia visibilis Dei Filij in formâ hominis missio non disidet à Verbi divini pijentissimâ incarnatione.

9. Quartò: Idèd incarnationis Verbi divini tempus iure optimo appellatur miserendi, & benignitatis annus, quia gratia, & veritas per Iesum Christum facta est; sed idcirco gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, quia gratia post Christum Dominum natum magis eluxit, quàm ante eius exoptatissimum adventum; similiter & veritas supra dignitatem effulsit post ipsius pijssimum appulsum, quia de generis humani redemptione tunc impleta fuere omnia divina antiquis Patribus promissa: ergo cum hæc omnia per Filij Dei missionem in mundum, sive divini Verbi incarnationem fuerint feliciter, ac fideliter ad calcem deducta, haud dubiè eius visibilis missio, & incarnatio pro eodem hinc vsurpari debent.

10. Sed oppones primò in præfatam Apostoli autoritatem: Postquàm Filius Dei in similitudinem hominis venit in mundum adhuc iuxta Apostolum 1. Corint. cap. 13. ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; sed plenitudo evacuat omne quod ex parte est: ergo quia plenitudo temporis non venit per expetitum Christi Domini adventum, sive per eius visibilem missionem, aut salubrem incarnationem.

11. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Consequentiam. Quia Verbi divini incarnationis tempus multiplici de causâ tempus plenitudinis appellatur. Primò; quia Deus implevit, quod præficerat. Secundò; ob promissionis impletionem, eò quòd ille sit datus nobis, qui missus fuerat. Tertiò; propter gratiæ plenitudinem, quæ in Christo Domino eluxit, utpotè plenitudinum omnium initium. Vnde, etsi tunc plenitudo temporis gloriæ, quantum ad numerum electo-

rum, non venerit una cum Christi Domini adventu, iuxta illud tritum Apocalypsis cap. 6. locum: *Suffinete modicum tempus donec compleantur conservi eorum, &c.* tamen plenitudinis gratiæ tempus accessit simul cum missione visibili Filij Dei, sive divini Verbi incarnatione.

12. Oppones secundò in eandem Apostoli auctoritatem: De Verbo divino in Apostolorum Symbolo legitur: *Genitum, non factum; sed si Deus Filium suum misisset in mundum, factum ex muliere, non genitum, sed factum iure optimo appellari deberet: ergo aut Apostolorum Symbolum exorbitat à veritate, aut Divi Pauli appositum testimonium penitus infirmare videtur.*

13. Respondetur negando Consequentiam. Nam dictum Pauli rectè cum Apostolorum Symbolo cohæret, eò quòd præfatæ auctoritates de Christo Domino passim expendantur penes geminam ipsius naturam. Nam Christus Dominus secundum naturam divinam ita est genitus à Patre, ut non sit factus, cum nec rem, nec creatura nomen valeat fortiri: Alit secundum humanam naturam ita est genitus, quòd sit factus, quia conceptus ex Virgine Matre, divinà operante virtute. Et hæc de primâ distinctionis parte satis sint dicta.

14. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis perspicuâ enodatione, secunda præficitur thesis: *Tametsi natura humana à qualibet divinâ personâ assumi potuerit; nulla tamen illarum congruentius incarnari potuit, quam ipsa divini Verbi persona.* Quam nonnullis sacræ paginæ, Patrumque auctoritatibus, ac tribus ex ipsis deductis rationibus sedulo percontat suadere Magister.

15. Prima sub hâc formâ perficitur ratio à Magistro: Deus in sapientiâ suâ mundum condidit, iuxta illud Psalm. 103. *Omnia in sapientiâ fecisti Domine.* Ergo & consonum fuit, quòd etiam per sapientiam omnia instauraret Deus; sed sapientia specialiter appropriatur Filio Dei, sive Verbo divino: ergo si in ipso omnia condidit Deus, per ipsum omnia instaurare debuit: ergo quâvis Pater, & Spiritus Sanctus humanam potuerint naturam assumere, congruentius tamen Verbum divinum fuit incarnatum.

16. Hoc utique ratiocinium valdè illustrat Magister parabolâ illâ Evangelicâ de muliere indagante, inveniēteque drachmam decimam, quæ perdita fuerat apud Lucam cap. 15. deprehensâ. Mulier ergò illa Evangelica, quæ accendit lucernam, & drachmam decimam, quæ perdita fuerat, reperit, est ipsa Patris sapientia, quæ testam humanæ infirmitatis, lumine suæ divinitatis accendit, perditumque hominem reparavit, nomine Regis, & imagine insignitum;

sed

sed Patris sapientia est Verbum divinum, sivè eius Filius in mundum visibiliter missus in humanæ naturæ lapsu, seu hominis deperditi reparationem: ergo quanvis præfata potuerit per Patrem, & Spiritum Sanctum instauratio operari, congruentius fuit, quòd per Filium perficeretur.

17. Secundam sic in litterâ concinnat rationem Magister ex Filij Dei clarâ origine deductam: Aptius mitti visibiliter in mundum debebat, qui est ab alio, quàm qui à nullo est; sed Filius est à Patre; Pater verò à nullo est: ergo etsi natura humana à qualibet potuerit assumi personâ; nulla tamen personarum ita congruè humanati potuit, sicut Verbi divini persona.

18. Etiam appositum discursum his Augustini verbis lib. 4. de Trinit. cap. 20. præmunit Magister: *Non enim habet Pater de quo sit: Sicut ergò Pater genuit, & Filius genitus est, ita congruè Pater misit, & Filius missus est. Ab illo enim convenienter mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum, ab illo mittitur, de quo natum est.* Ergo si quemadmodum Pater genuit Filium, & Filius genitus est à Patre, ita congruè Pater misit Filium, & Filius missus est à Patre, satis appositè colligitur, Filium, & non Patrem, aut Spiritum Sanctum incarnandum fore.

19. Tertiam tandem in textûs litterâ hâc argumentariâ methodo conficit rationem Magister: Proprium Filij, & non Patris, aut Spiritûs Sancti est esse Filium; sed apprimè congruum censetur, ut qui in divinitate erat Dei Filius, in humanitate fieret hominis Filius: ergo si solum Verbum divinum est in deitate Dei Filius, & non Pater, aut Spiritus Sanctus, solus Filius Dei potuit aptè fieri hominis Filius: ergo estò quævis divina persona potuerit humanam sibi arrogare naturam, in Filio solummodò maior congruentia deprehenditur.

20. Idipsum ampliùs in litterâ confirmat Magister: Ideò Pater, aut Spiritus Sanctus humanam carnem non induit, nè alius in divinitate, aliosque in humanitate esset Filius; & nè idem esset Pater, & Filius, si Deus Pater de homine nasceretur; sed dum Filius Dei humanam carnem assumpsit, nec alius in divinitate, aliosque in humanitate est Filius; nec idem simul est Pater, & Filius, ut rectè illustranti constabit: ergo quia pro humanâ naturâ assumendâ, non æqualis congruentiæ ratio in tribus divinis invenitur personis; sed rectius in Filio, quàm in alijs deprehenditur.

21. Divus Augustinus novum sic suis argutis verbis robur adijcit rationi Magistri lib. de Eccles. dogmat. cap. 2. *Non Pater carnem assump-*

assumpsit, neque Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis Filius, nè Filij nomen ad alterum transiret, qui non esset aternâ nativitate Filius. Ergo si hæc gravia ab Augustino adducta incommoda nequeunt Filio Dei adscribi, dùm ipse in similitudinem carnis peccati missus est à Patre in mundum; secùs alijs divinis personis, haud dubiè assumptio naturæ humanæ erit tribuenda Filio Dei præ alijs.

22. Sed oppones: Illi plùs congruit mitti, in quo plùs deprehenditur subauthoritatis ratio; eò quòd mitti essentialiter denoret subauthoritatem in missò; sed ratio subauthoritatis plùs in personâ Spiritûs Sancti, quam in Filij personâ deprehenditur: ergo dùm arcanum incarnationis opus est ipsa Filij in carnem humanam missio, videtur, quòd congruentius Spiritui Sancto, quam Filio incarnatio conveniat.

23. Respondetur negando Maiorem, & Consequentiam. Quavis enim subauthoritatis ratio potiùs in personâ Spiritûs Sancti, quàm in Filij inveniatur personâ, non indè consequitur, congruentius Spiritum Sanctum, quàm Filium in carnem humanam debere mitti. Nam Pater, quia à nullo est, non debuit mitti, ut cum Augustino nuper expendebamus; sicque valdè consonum fuit, ut primò Filius mitteretur à Patre, eò quòd à solo Patre sit; & postmodum Spiritus Sanctus, qui à Patre, & Filio simul procedit; ita ut primò venerit Filius ad liberandos homines à gravi ac durâ captivitatis peccati farcinâ; & postea Spiritus Sanctus ad ipsos homines in beatorum sorte locandos venerit.

24. Subdit insuper Magister, dùm impigrè indagat, etsi obiter, in textûs litterâ: *An Pater, vel Spiritus Sanctus incarnari potuerit, aut etiam modò possit?* Et respondet Magister, non solùm potuisse olim, verùm & nunc humanam sibi posse arrogare naturam, hominemque fieri tam Patrem, quàm Spiritum Sanctum. Quod unicâ duntaxat, ac perfunctoriâ tentat suadere ratione.

25. Hoc utique sic probat Magister: Quemadmodum Filius Dei homo factus est; ita Pater, vel Spiritus Sanctus potuit, & potest; sed quo pacto Filius Dei humanam assumpsit naturam in unitatem suppositi, nullum fuit deprehensum piaculum: ergo nec in eo, quòd Pater, vel Spiritus Sanctus incarnari potuerit, valet deprehendi: ergo quòd Pater, vel Spiritus Sanctus incarnari potuerit, aut modò possit, nullum adhuc levissimum arguit repagulum; quanvis congruentius per Filium, quàm per Patrem, aut Spiritum Sanctum hoc arcanum

Mysterium exequi valeat. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

26. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, tertia statuitur thesis: *Quamquam Pater, & Spiritus Sanctus humanâ carnem assumere potuissent, si vellent, tamen assumptio naturæ soli attribuitur Filio.* Vtramque thematis indivisim probat Magister partem.

27. Primò: Vna & eadem in divinis personis haud dubiè potentia, nempe Omnipotentia divina, elucet; sed hæc attentâ potentiâ, vna potuit humanari persona, quippè Verbum divinum: ergo & omnes potuerunt incarnari personæ, & modò possunt, ipsâ semper meditatâ potentiâ: ergo cum solus Filius humanam carnem de factò assumpserit, ad ipsum solum assumptio terminata est, qui solus homo factus est.

28. Sed oppones ex M. P. Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 11. Omnia Trinitatis opera ad extra sunt indivisa; sed celsissimum arcanumque incarnationis Mysterium est opus ad extra: ergo est opus indivisum toti Trinitati; sed solus Filius humanam assumpsit naturam, & non Pater, aut Spiritus Sanctus: ergo iam aliquid invenitur operatum ab vnâ personâ, quod ab alijs factum non extat: ergo Trinitatis opera ad extra divisa debent censi.

29. Respondet Magister, quòd licet tota Trinitas fuerit operata Verbi divini proficuum incarnationem, eò quòd cuncta Trinitatis opera ad extra sint indivisa, & indissimilia; tamen solus Filius humanam carnem assumpsit, non Pater, aut Spiritus Sanctus, quia præfata naturæ humanæ assumptio ad ipsum solummodò terminata est. Undè rectè cohæret, quòd assumptio carnis humanæ à totâ sit operata Trinitate, vt à causâ physicâ, & reali, & quòd solus Filius eam solitariè assumpserit.

30. Quod aliquibus ratiocinijs illustrat, ac suadet in textûs litterâ Magister. Primò, hoc valido Augustini lib. de fide ad Petrum cap. 2. testimonio: *Reconciliari sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum deitatem. Trinitas ergò carnis assumptionem fecit, sed Verbo, non Patri, vel Spiritui Sancto. Si enim Pater sibi & Filius sibi, vel Pater Filio, & Filius Patri carnis assumptionem operatus esset, iam non eadem esset operatio utriusque, sed divisa.* Sed ex his Augustini verbis liquidò constat, incarnationem Verbi divini à totâ Trinitate operatam fuisse, & solummodò ad Filium Dei terminatam: ergo.

31. Secundò, duplici exemplo apprimè præmunit, expenditque solutionem Magister. Primum sic appositè suggerit in litterâ: Licet

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint inseparabiles, sicque inseparabiliter ad extra operentur, nihilominus Trinitatem in specie columbæ non dicimus descendisse super Christum Dominum, sed tantum Spiritum Sanctum, ut expressè innuit sacer textus apud Matthæum cap. 3. & Marcû cap. 1. ergo quanvis humanæ carnis assumptio sit à totâ divinâ Trinitate operata, utpotè opus ad extra, tamen ad solum Filium potuit terminari, & de facto fuit terminata.

32. Secundum etiam sic suppeditat exemplum Magister in litterâ: Quòd vox illa dulcis, & suavis de Cælo facta, nempe, *Tu es Filius meus, &c.* non fuerit totius Trinitatis, sed tantum Patris ad Filium, testantur Matthæus cap. 17. & Marcus cap. 1. quanvis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus inseparabiles sint, & concorditer operentur ad extra: ergo licet arcanum incarnationis opus sit à totâ Trinitate inseparabiliter ad extra operante; tamen non impedit, quòd carnis humanæ assumptio in unitatem suppositi sit ad solius Verbi divini, & non Patris, aut Spiritû Sancti subsistentiam iure optimo terminata.

33. Sed dices: tota illa columba descendens super Christum Dominum, & quicquid in eâ fuit inventum, reverâ erat procedens à totâ Trinitate: ergo congruum rationi videbatur, quòd tota Trinitas in columbâ illâ descenderet, quemadmodum Spiritus Sanctus descendebat. Consequentia probatur: Spiritus Sanctus hæcenus descendit in hominem, quin simul Pater, & Filius in ipsum descenderint: ergo nec Spiritus Sanctus in columbâ illâ descendit super Filium, quin tota simul Trinitas in illâ descenderit; ac perinde exempla de columbâ, & voce adducta à Magistro in solutionis instantiæ præsidium nullius sunt robotis.

34. Respondetur, ancitypum Magistri hæc in litterâ productum in vberioreni thesi probationem esse valdè proficuum, & non mediocriter opportunum. Nam in columbâ illâ est aliter non esset Spiritus Sanctus, ac Pater, & Filius, nec aliter vna persona, ac alia operaretur in eâ; nihilominus solus in illâ significabatur Spiritus Sanctus, eò quòd significatio relationem denoter, quemadmodum incarnatio, ut in toto distinctionis progressu non semel inculcavimus. Quamobrem solus Spiritus Sanctus, & non Pater, aut Filius poterat in eâ significari columbâ, quanvis non solus in illâ operari: ergo licet tota Trinitas Christi Domini incarnationem sit operata, cum Trinitatis opera ad extra sint indivisa, sola tamen persona Filij est humanata, eò quòd humanæ carnis assumptio ad ipsum sit.

terminata. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

Q V Æ S T I O N E S.

35. **Q**VÆSTIO 1. An Myſterium Incarnationis ſit poſſibile? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1. Godoy in 3. p. tract. 3. diſp. 14. §. 1. & ſeqq. Gonetus tom. 4. tract. 11. diſp. 2. art. 1. §. 1. & ſeqq. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 1. cap. 1. Nicolai in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1. Rayner. de Piſſis tom. 2. verb. incarn. cap. 1. & ſeqq. Philippus à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. diſp. 1. dub. 1.

36. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. Maſtrius tom. 3. diſp. 1. q. 1. art. 1. Brancaſius tom. 2. diſp. 1. q. 3. Poncius tract. 11. diſp. 32. q. 2. Boyvin 2. p. cap. 1. q. 1. Durand tom. 3. tract. 4. diſp. 1. q. 1. Pitygianus in 3. diſt. 1. q. 1. art. 17. Beilutus in 3. diſp. 1. q. 2. art. 1. & 2. Gallus in 3. diſt. 1. q. 1. cap. 1. art. 2. & 3. Delgadillo de Incarn. cap. 1. difficul. 1. dub. 1. Rada 3. p. controv. 1. art. 2. Herincx p. 4. diſp. 1. q. 1. Felix de Incarn. cap. 1. diſp. 2.

37. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 1. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. Amicus tom. 6. diſp. 1. ſect. 1. & ſeqq. Lugo tom. 1. in 3. p. diſp. 1. ſect. 1. Becanus tom. 4. cap. 1. q. 1. Aranda de Incarn. lib. 1. diſp. 1. ſect. 1. & ſeqq. Bernal de Incarn. diſp. 1. ſect. 1. Martin. Perez de Incarn. diſp. 1. ſect. 1. Rhodès tract. 7. diſp. 1. ſect. 1. Peñafiel tom. 4. diſp. 1. ſect. 1. Carleton tom. 2. diſp. 40. ſect. 1. & ſeqq. Anton. Perez tract. 5. diſp. 2. cap. 1. & 3. Muniella de Incarn. diſp. 1. ſect. 1. & ſeqq.

38. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. diſt. 1. art. 1. q. 1. Alenſis 3. p. q. 2. memb. 2. Euſtach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. diſp. 1. q. 1. Baudun. tract. 1. q. 1. art. 1. Caſpenſ. tract. 20. diſp. 1. ſect. 1. Bonæſpei tom. 2. tract. 3. diſp. 1. dub. 3. Eſtius in 3. diſt. 1. §. 4. Baldius lib. 2. quaſit. 1. q. vnic. difficul. 1. & ſeqq.

39. Quæſtio 2. An poſſibilitas Incarnationis poſſit ratione naturali demonſtrari? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 2. art. 3. & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1. Godoy in 3. p. tract. 3. diſp. 14. §. 1. & ſeqq. Gonetus tom. 4. tract. 11. diſp. 2. art. 2. §. 1. Chalvet tom. 9. lib. 5. q. 2. cap. 1. & ſeqq. Lumbier de Incarn. diſp. 1. q. 2. art. 6. & 7. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. diſp. 1. dub. 2. Rayner. de Piſſis tom. 2. verb. incarn. cap. 1. & ſeqq. Nicolai in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1. & ſeqq.

40. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. Cavellus in Schol. in 3. diſt. 1. q. 1. Brancaſ. tom. 2. diſp. 1. q. 3. Poncius tract. 11. diſp. 32. q. 2. & in 3. comment. diſt. 7. num. 1. Boyvin p. 2. cap. 1. q. 7. Durand

tom. 3. tract. 4. disp. 1. q. 2. Mastrius tom. 3. disp. 1. q. 2. art. 2. Gallus in 3. dist. 1. q. 1. cap. 1. Delgadillo cap. 1. diff. 1. dub. 2. Herincx p. 4. disp. 1. q. 1. Felix de Incarn. cap. 1. diff. 2. Castillent. in Polyant. Seraph. verb. incarn. n. 1. & seqq. Bellutus in 3. disp. 1. q. 2. art. 1. & 2. Aquila in 3. dist. 1. q. 1. & 2.

41. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 3. sect. 1. & 2. Carleton tom. 2. disp. 41. sect. 1. & seqq. Lugo tom. 1. in 3. p. disp. 1. sect. 1. Aranda de Incarn. lib. 1. disp. 1. sect. 1. & seqq. Beccan. cap. 1. q. 1. & 2. Bernal disp. 1. sect. 1. & 2. Martin. Perez de Incarn. disp. 1. sect. 1. Aldrete *comrov. 7. disp. 38. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 1. q. 1. sect. 2. Peñafiel tom. 4. disp. 1. sect. 2. & seqq. Anton. Perez tract. 5. disp. 3. cap. 2. Ripalda tom. 2. lib. 1. disp. 11. sect. 1. Vazq. 1. 2. disp. 2. cap. 2. Munieſſa de Incarn. disp. 1. sect. 16. Amicus tom. 6. disp. 2. sect. 1.**

42. Ex Alijs D. Bonaventura *in 3. dist. 1. q. 1. & seqq. Alenf. 3. p. q. 2. memb. 2. Calpenſis tom. 2. tract. 20. disp. 1. sect. 2. Bonaspei tom. 2. disp. 1. tract. 3. dub. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 1. q. 1. & seqq. Anton. Perez in Laureæ Salmant. certam. 1. dub. 1. Baldius lib. 2. quesit. 1. q. unic. difficul. 1. & seqq. Baudun. tract. 1. q. 1. art. 1.*

43. Quæſtio 3. An Myſterium Incarnationis ſit ſupra, aut contra rationem naturalem? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 7.*

44. Quæſtio 4. An Adamo non peccante Verbum divinum veniret? De quò, *tom. 1. dist. 48. q. 3.*

45. Quæſtio 5. An cuilibet perſonæ in divinis conveniat mittere, & mitti? De quò, *tom. 1. dist. 15. q. 1.*

46. Quæſtio 6. An miſſio viſibilis ſine inviſibili ſit vera miſſio? De quò, *tom. 1. dist. 15. q. 4.*

47. Quæſtio 7. An miſſio in divinis ſit æterna, aut temporalis? De quò, *tom. 1. dist. 14. q. 1.*

48. Quæſtio 8. An Deus in figuris corporeis aliquandò apparuerit? De quò, *tom. 2. dist. 8. q. 4.*

49. Quæſtio 9. An effectus inviſibilis miſſionis ſit ſemper gratia habitualis? De quò, *tom. 1. dist. 15. q. 2.*

50. Quæſtio 10. An Spiritui Sancto conveniat viſibiliter mitti? De quò, *tom. 1. dist. 15. q. 3.*

51. Quæſtio 11. An ſit proprium Patris eſſe ingenitum, & innaſcibilem? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 3.*

52. Quæſtio 12. An poſſit Pater mitti, aut fuerit aliquandò miſſus? De quò, *tom. 1. dist. 15. q. 1.*

53. Quæſtio 13. An plures perſonæ divinx poſſint aſſumere eandem

dem numero naturam ihumanam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 3. art. 6. Godoy in 3. p. tract. 3. disp. 16. §. 1. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 8. art. 4. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 2. disp. 6. art. 3. Camerinus tom. 3. q. 3. art. 6. Prudentius tract. 3. disp. 2. sect. 2. Nicolai in 3. dist. 1. q. 2. art. 4. Rayner. de Pisis verb. Incarn. cap. 1. & seqq.

54. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 1. q. 2. Poncius tract. 11. disp. 37. q. ult. Boyvin 2. p. cap. 4. q. 2. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 7. q. 4. Matrius tom. 3. disp. 1. q. 8. art. 1. Pitygian. in 3. dist. 1. q. 2. art. 1. Centinus de Incarn. disp. 8. cap. 3. Gallus in 3. dist. 1. q. 2. art. 1. Bellutus tom. 3. disp. 1. q. 8. art. 1. & seqq. Rada 3. p. controu. 1. art. 4. Mayron in 3. dist. 5. q. 3. Rubion in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. Lichetus in 3. dist. 1. q. 2. Felix de Incarn. cap. 6. diff. 3. Delgadillo p. 1. cap. 2. difficult. 2. dub. 2.

55. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 13. sect. 2. Vazquez in 3. p. disp. 29. cap. 2. Amicus tom. 6. disp. 14. sect. 6. Aranda lib. 1. disp. 5. sect. 2. §. 1. Aldrete disp. 43. sect. 5. Lugo disp. 12. sect. 6. Arriaga disp. 27. sect. 3. Bernal disp. 14. & 24. sect. 2. §. 2. Martin. Perez disp. 1. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 2. sect. 3. §. 4. Muniessa de Incarn. disp. 3. sect. 6. Tyrfus tom. 3. disp. 24. Coninch disp. 18. & 7. de Trinit. Ragula disp. 53. sect. 1. & seqq.

56. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 1. q. 43. Alensis 3. p. q. 2. memb. 4. Aureolus in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. Ochamus in 3. q. 1. art. 3. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 3. q. 3. Baudunius tract. 1. q. 3. art. 4. Pasqualig. disp. 79. sect. 4. Bonalpei tom. 2. tract. 3. disp. 6. dub. 4. Caspenf. tom. 2. tract. 20. disp. 3. sect. 4. Baldius lib. 2. quesit. 2. q. 4. difficult. 4.

57. Quæstio 14. An vna persona divina possit plures naturas humanas assumere? De quo, hic q. 13.

58. Quæstio 15. An Verbi incarnatio fuerit immediatè operata in naturâ divinâ, an in ipsius personâ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 5. q. 1. art. 4. Godoy in 3. disp. 9. §. 1. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 6. art. 1. Camerinus tom. 3. q. 2. art. 1. & 2. Nicolai in 3. dist. 5. q. 1. art. 4. Philippus à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 3. dub. 1. Medina 3. p. q. 3. art. 2. Albert. Magnus in 3. dist. 2. art. 3. Palacius in 3. dist. 1. art. 2.

59. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 1. q. 5. Rubion in 3. dist. 5. q. 1. Boyvin 2. p. cap. 3. q. 4. & 5. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 5. q. 1. Delgadillo p. 1. cap. 2. difficult. 1. dub. 3. Rada 3. p. controu. 3. art. 1. & 2. Felix de Incarn. cap. 6. difficult. 1. Centinus de Incarn. disp. 8. cap. 4.

Et seqq. Gallus in 3. dist. 1. q. 3. art. 1. Et seqq. Castillent. in Polyantib. Seraph. verb. Incarn. num. 6. Et seqq.

60. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 12. sect. 2. Amicus tom. 6. disp. 14. sect. 3. Vazquez 3. p. disp. 26. cap. 3. Aranda lib. 1. disp. 4. sect. 1. §. 1. Lugo de Incarn. disp. 9. sect. 1. Bernal disp. 13. sect. 1. Et 2. Martin. Perez disp. 10. sect. 2. Penafiel tom. 4. disp. 8. sect. 1. Muniella de incarn. disp. 2. sect. 1. Coninch disp. 7. dub. 1. Et 4.

61. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 5. art. 1. q. 3. Alenf. 3. p. q. 4. memb. 1. Ochamus in 3. q. 1. art. 2. Gabriel in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 2. q. 1. Baudun. tract. 1. q. 1. art. 1. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. 5. dub. 1. Et 2. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 2. sect. 1. Et 2. Estius in 3. dist. 5. §. 6.

62. Quæstio 16. An natura divina potuit immediatè vniri naturæ humanæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 5. q. 2. art. 3. Godoy in 3. p. disp. 16. §. 2. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 8. art. 3. Cammerinus tom. 3. q. 3. art. 3. Prudentius tract. 3. disp. 2. Lumbier de incarn. q. 18. art. 1. Nicolai in 3. dist. 5. q. 2. art. 2. Et 3. Philippus à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 4. dub. 1. Cayetan. 3. p. q. 3. art. 3. Medina 3. p. q. 3. art. 3.

63. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 1. q. 2. Rubion in 3. dist. 1. q. 3. Poncius disp. 9. q. 8. Et in 3. comment. dist. 5. num. 23. Matrius tom. 3. disp. 1. q. 9. art. 1. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 7. q. 1. Faber in 3. disp. 26. Vulpes 1. p. disp. 63. art. 10. Samsing tract. 1. disp. 2. q. 1. Rada 3. p. controu. 2. art. 1. Et seqq. Gallus in 3. dist. 1. q. 2. cap. 1. Delgadillo 1. p. cap. 2. difficult. 2. dub. 1. Mayron in 3. dist. 1. q. 4. Felix de incarn. cap. 6. difficult. 2.

64. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 13. sect. 1. Amicus tom. 6. disp. 14. sect. 5. Aranda lib. 1. disp. 5. sect. 2. §. 2. Aldrete de incarn. disp. 42. sect. 1. Martin. Perez de incarn. disp. 10. sect. 4. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 2. sect. 3. §. 1. Muniella disp. 3. sect. 5. Coninch disp. 7. dub. 3. Gasp. Hurtado disp. 3. difficult. 4. Vazquez 3. p. disp. 15. cap. 1. Et seqq.

65. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. Et dist. 5. art. 1. q. 4. Alensis 3. p. q. 2. memb. 3. Ochamus in 3. q. 1. art. 3. Gabriel in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 3. sect. 3. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 3. q. 1. Bonæspei disp. 6. dub. 2. Et 3. Estius in 3. dist. 5. §. 5. Baldius lib. 2. quasit. 2. q. 4. difficult. 1. Baudunius tract. 1. q. 2. art. 1. Et seqq.

66. Quæstio 17. An Christus Dominus dicendus sit duo propter dua-

dualitatem naturæ, aut vnus propter vnitatem suppositi? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 2. art. 7. & q. 13. art. 1. & in 3. dist. 6. q. 3. art. 1. Conet tom. 4. tract. 1. disp. 8. art. 5. Ioan. à S. Thoma tom. 3. disp. 16. q. 17. art. 1. dub. vnic. Camerinus tom. 3. q. 17. art. 1. Nicolai in 3. dist. 5. q. 1. art. 5. Philipp. à SS. Trin. tom. 4. tract. 1. disp. 8. dub. 1.

67. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 6. q. 1. Mastrius tom. 3. disp. 1. q. 2. art. 1. Poncius tract. 11. disp. 40. q. 2. & in Comment. in 3. dist. 1. num. 22. Boyvin 2. p. cap. 6. q. 1. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 7. q. 5. Gallus in 3. dist. 1. cap. 1. & seqq. Rada 3. p. controu. 7. art. 1. & 2. Herincx 4. p. disp. 1. q. 4. Rubion in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. Felix de incarn. cap. 10. difficult. 2. Vulpes disp. 18. art. 4.

68. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. disp. 13. sect. 1. & seqq. Amicus tom. 6. disp. 14. sect. 7. Aranda lib. 1. disp. 1. sect. 5. §. 2. Lugo de incarn. disp. 24. sect. 1. & seqq. Bernal de incarn. disp. 24. sect. 2. Aldrete de incarn. controu. 8. disp. 46. sect. 6. Martinon disp. 8. sect. 2. Martinus Perez disp. 10. sect. 5. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 5. sect. 2. §. 2. Muniessa de incarn. disp. 2. sect. 1. num. 20.

69. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 6. art. 1. q. 1. Gabriel in 3. dist. 6. q. 2. Baldius lib. 2. quasit. 2. q. 4. difficult. 5. Baudun. tract. 1. q. 17. art. 1. Bonæpei tom. 2. tract. 3. disp. 6. dub. 6. Estius in 3. dist. 6. §. 3. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 10. q. 3.

70. Quæstio 18. Quænam fuerit causa efficiens, aut dispositiva Incarnationis? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 2. q. 2. art. 2. Prudentius de incarn. tract. 3. disp. 1. dub. 2. Cayetan. 3. p. q. 6. art. 6. Rayner. de Pisis tom. 2. verb. incarn. cap. 4. & seqq. Philipp. à SS. Trin. tom. 4. tract. 1. disp. 8. dub. 2. & seqq.

71. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 2. q. 2. Delgadillo 1. p. cap. 6. difficult. 1. dub. 2. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 6. q. 1. & seqq. Herincx p. 4. disp. 1. q. 5. Castillent. in Polyanib. seraph. verb. Incarn. num. 14. & seqq. Aquila in 3. dist. 2. q. 2. art. 1. & seqq. Felix de incarn. cap. 9. difficult. 1. & seqq.

72. Ex Scholâ Eximiâ Amicus tom. 6. disp. 12. & 13. sect. 1. Aranda lib. 3. disp. 4. sect. 3. Muniessa disp. 4. sect. 1. Bernal disp. 12. sect. 1. Vvading. disp. 4. dub. 3. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 4. sect. 3. Peñañiel tom. 4. disp. 6. sect. 1. Martin. Perez de incarn. disp. 11. sect. 1. Beccan. cap. 2. q. 5. & seqq.

73. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 3. q. 2. Alenf. 3. p. q. 7. memb. 2. art. 1. q. 12. Aureolus in 3. dist. 2. q. 2. art. 4. Gabriel in

3. *dist. 1. q. 2. art. 2.* Baldius *lib. 2. quasit. 2. q. 7. difficult. 1.* Eustach. à S. Paulo *p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 1. & seqq.* Estius *in 3. dist. 1. §. 2. & seqq.*

74. *Quæstio 19.* An vna persona divina sine alterâ potuit vniri naturæ humanæ? D. Thomas *3. p. q. 3. art. 4.* Camerinus *tom. 3. q. 3. art. 4.* Nicolai *in 3. dist. 1. q. 2. art. 1.* D. Bonaventura *in 3. dist. 1. art. 1. q. 2.* Alenf. *3. p. q. 2. memb. 4.* Rada *3. p. controu. 1. art. 5.* Eustach. à S. Paulo *p. 2. tract. 1. disp. 3. q. 2.*

75. *Quæstio 20.* An ex tribus personis congruum fuerit Filium incarnari? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas *3. p. q. 3. art. 8. & in 3. dist. 1. q. 2. art. 1. & 4.* Gonetus *tom. 4. tract. 1. disp. 3. art. 2.* Camerinus *tom. 3. q. 3. art. 8.* Nicolai *in 3. dist. 1. q. 2. art. 2.* Chalvet *tom. 9. lib. 1. q. 4. cap. 4.*

76. Ex Subtili Scholâ Delgadillo *1. p. cap. 2. difficult. 1. dub. 1. & 2.* Durand *tract. 4. disp. 2. q. 2.* Boyvin *2. p. cap. 1. q. 4.* Rada *3. p. controu. 1. art. 5.* Castillent. *in Polyantb. Seraph. verb. Incarn. num. 20. & seqq.* Aquila *in 3. dist. 1. q. 4. & seqq.*

77. Ex Scholâ Eximiâ Amicus *tom. 6. disp. 14. q. 3. art. 8.* Rhodés *tract. 7. disp. 2. q. 1. sect. 2. §. 2.* Aldrete *disp. 1. controu. 1. sect. 1.* Aranda *lib. 1. disp. 1. sect. 3. §. 1.* Bernal *de incarn. disp. 2. 1. sect. 2.*

78. Ex alijs D. Bonaventura *in 3. dist. 1. art. 2. q. 3.* Alenf. *3. p. q. 2. memb. 5. art. 1.* Eustach. à S. Paulo *p. 2. tract. 1. disp. 3. q. 6.* Baudun. *tract. 1. q. 3. art. 5. dub. 2.* Estius *in 3. dist. 1. §. 5.*



DE INCARNATIONE VERBI EX PARTE
naturæ assumptæ.

DISTINCTIONIS SECUNDÆ

Synopsis.

*Totum ut curares hominem, Deus optime, totum,
Crederis à nobis associasse tibi.*

Sic incipit : *Et quia in homine.*

Sic terminat : *Verbum caro.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Filij Dei personâ humanam carnem assumente; sed in præsentî determinat de naturâ humanâ assumptâ, insuetoque assumendi modo: igitur alternis hæc distinctiones coherere videtur.

2. Consequentia probatur: Tota incarnationis structura reverâ coalescit ex personâ assumente, naturâ assumptâ, modoque perraro assumendi; sed Magister in superiori distinctione bonis alitibus egit de personâ humanam carnem assumente, ipso quippè Filio divino misso à Patre in mundum in similitudinem carnis peccati: ergo dùm in præsentî determinat de naturâ humanâ assumptâ, modoque insueto assumendi, profectò propriam ac genuinam disputandi methodum tenet.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ statuit Magister, Verbum divinum totam humanam carnem integrè assumpsisse. In secundâ verò declarat ordinem, quo illam assumpsit, nempe, ipsâ animâ rationali mediante. In tertiâ autem, & ultimâ detegit parte, totam naturam humanam, ex corpore, & animâ compositam, simul tempore Verbum divinum sibi arrogasse.

4. **PRO PRIMÆ** igitur partis plenissimo captu, primum proponitur thema: *Dùm Verbum divinum humanam sibi associavit naturam, totam illam integrè assumpsit, ut sic eam totam curaret.* Quod aliquibus rationibus, necnon Sanctorum Patrum expressis testimonijs perbellè suadere pertentat Magister.

5. Primò: Per gravissimum primorum parentum peccatum, tota humana natura in corruptionem abiit: ergo peropus erat, ut eam totam divinum Verbum assumeret, ut inde totam curaret, sanctificaretque; sed nomine totius humanæ naturæ intelligitur corpus, & anima: ergo dum Verbum divinum humanam sibi copulavit naturam, totam illam, quippè corpus, & animam, integrè assumpsit, ut eam totam curaret.

6. Secundò ex Doctorum Maximo Hieronymo in Explanat. Symb. his probat verbis Magister: *Sic confitemur in Christo unam Filij esse personam, ut dicamus duas perfectas, & integras esse substantias, id est, deitatis, & humanitatis, quæ ex animâ continentur, & corpore.* Ergo si Verbum divinum integram perfectamque humanam assumpsit substantiam, reverà corpus assumpsit, & animam; sed quò pacto corpus assumpsit, & animam, totam sibi associavit naturam in unitatem personæ, eò quòd humanitatis nomine, corpus unâ cum animâ intelligatur: ergo si Filius Dei humanam assumpsit naturam, profectò totam illam sibi arrogavit, ut sic totam eam instaurare posset.

7. Adhæc refert, ac refellit Magister quorundam hæreticorum lubricum ac devium errorem dicentium, Verbum divinum humanam carnem, sive humanitatem non assumpsisse secundum substantiam ipsius naturæ, sed solum secundum quandam proprietatem, à quâ hominis denominationem accepit. Hi etenim hæretici fortassè annumerantur inter eos, qui asseriebant, Christum Dominum, secundum quòd homo, non esse quid, sed aliqualiter se habentem, existimantes humanitatem esse in Christo ut habitum.

8. Sic primò in ipsos invehitur Magister in litterâ ex Ioanne Damasceno lib. 3. de Orthodoxâ fide, cap. 4. dicente: *Sciendum quidem est, quòd deitatis, & humanitatis nomen substantiarum naturarum est representativum;* sed Verbum divinum integrè humanam substantiam assumpsit: ergo si deitatis, & humanitatis substantiarum nomen est naturarum representativum, dum Verbum divinum integrè humanam substantiam accepit, haud dubiè humanam carnem assumpsit, non secundum quandam proprietatem tantum, sed secundum ipsius naturæ substantiam.

9. Secundò, ex eodem Damasceno in ipsos insurgit Magister cap. 3. eiusdem libri in hunc scribente modum: *Sed quia plurimæ persona hominum sunt, omnes autem eandem suscipiunt rationem naturæ. Omnes enim ex animâ, & corpore compositi sunt, & omnes naturam animæ participant, & substantiam corporis possident.* Ergo quia Verbum divinum huma-

nam non assumpsit naturam, quatenus vna est vnitate specificâ; aliàs omnes sibi copulasset humanitates in vnitate personæ; sed quatenus vna est vnitate compositionis ex duabus naturis diversis, corpore quippè, & animâ pollentibus; sed ex eò quòd sic assumpserit naturam humanam Verbum, secundum ipsius naturæ assumpsit substantiam, & non secundum proprietatem quandam: ergo.

10. Tertio arguit ratione Magister: Christus Dominus in deitate, & humanitate Deus perfectus, idem, & homo perfectus est; sed Christus Dominus Deus, & homo perfectus non esset, si Verbum diuinum corpus, & animam cum eorundem proprietatibus non assumpsisset: ergo quia Verbum diuinum totam hominis naturam, siuè animam, & carnem, eorumque proprietates, aut accidentia simul assumpsit.

11. Quarto: Verbum diuinum non carnem sine animâ, nec animam sine carne, vt hæretici moluntur, sed carnem, & animam cum sensibus suis assumpsit; sed ex eò quòd Verbum diuinum non assumpserit carnem sine animâ, nec animam sine carne, sed simul carnem, & animam cum sensibus suis, non sibi vindicavit naturam humanam secundum proprietatem aliquam, sed secundum totius naturæ substantiam: ergo.

12. Quinto, iterum Damasceni verbis lib. 3. de Orthodoxâ fide, cap. 6. eosdem validè obiurgat Magister hæreticos: *Omnia, quæ in naturâ nostrâ plantavit Deus, Verbum assumpsit, scilicet corpus, & animam intellectualem, & horum idiomata.* Ergo si omnia, quæ in nostrâ Deus plantavit naturâ, Verbum diuinum assumpsit, nempe corpus, & animam intellectualem, horumque idiomata, perbellè consequitur, ipsum totam humanam naturam, siuè corpus, & animam cum proprietatibus eorundem arrogasse sibi: ergo non solum accepit humanæ naturæ proprietates, verum ipsam integrè substantialem naturam.

13. Sexto, sic amplius cum Damasceno eos viriliter inculcat Magister: *Totus enim totum assumpsit me, vt toti mihi salutem gratificaret.* Ergo vt toti homini salutem gratificaret Filius Dei, totum assumpsit hominem, humanam quippè naturam, corpore, & animâ necessariò constantem; sed dum totam assumpsit humanam naturam, non quandam duntaxat proprietatem assumpsit, à quâ hominis denominationem haberet: ergo quia totam substantialem naturam cum suis proprietatibus diuinum Verbum assumpsit.

14. Septimò tandem, hosce increpat Magister hæreticos illâ satis decantatâ, et si vulgari eiusdem Damasceni parocmiâ: *Quod enim*

inassumptibile est, incurabile est : ergo quod curabile est, assumptibile est ; sed per Verbi divini salubrem incarnationem tota natura humana ad pristinam salutem fuit restituta : ergo quia tota natura humana fuit assumpta à divino Verbo, non solum iuxta omnes illius proprietates, verum penes omnem naturæ humanæ substantiam.

15. Sed oppones in Damasceni testimonium : Omnia, quæ in naturâ nostrâ plantavit Deus, Verbum divinum assumpsit ; sed Deus in naturâ nostrâ vtrumque sexum plantavit, fœmineum quippè, & masculinum : ergo aut geminum sexum Verbum divinum assumpsit, aut Damascenus dum hæc profert, tranquillum æthera remigat sed Verbum divinum solum masculinum sexum assumpsit : ergo non omnia, quæ in naturâ nostrâ plantavit Deus, Verbum divinum accepit.

16. Respondetur, præfatam instantiam extra difficultatis scopum collineate videtur, cum res solum in cardine sit, an Verbum divinum integrè naturam humanam, corpus nempe, & animam simul assumpserit in vnitatem personæ. Si ergo Verbum sic eam assumpsit, Damascenus tutus est ab animadversione. Quod autem humanam naturam non assumpserit Verbum in vtroque sexu, sed tantum in masculino, hoc reverà non retardat, ipsum illam integrè assumpsisse, eò quod sexus fœmineus non referat constitutum naturæ, sed solum statum, & dispositionem illius. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

17. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis ostensione, secundum statuitur thema : *Esti Verbum divinum integram assumpserit humanitatem, corpus quippè, & animam rationalem ; nihilominus carnem mediante animâ assumpsit*. Hoc utique assertum nonnullis rationibus ac cõgruentijs probat Magister in litterâ.

18. Primò sic intentum suadet Magister : Divina essentia tantæ subtilitatis simplicitatisque ab omnibus arbitrat, vt corpori de limo terræ formato vniri non congruerit : ergo vt aliquomodo carni de limo terræ formata Verbum divinum vniretur, reverà congruebat, quòd mediante animâ humanam carnem assumeret : ergo quia mediante rationali animâ illam assumpsit de facto.

19. Secundò : Quia anima rationalis quò pacto est naturâ propinquior Deo, etiam est vnioni aptior, & prior : ergo vt Verbum divinum vniretur corpori materiali, condecuit, vnionem Verbi prius naturâ fieri cum animâ rationali sibi simillima, quàm cum materiali carne ; sed dum Verbum divinum humanam carnem assumpsit mediante rationali animâ, vnio naturæ divinæ prius naturâ fuit ope-

rata cum animâ rationali, quàm cum ipsâ materiali carne: ergo quia Verbum divinum humanam carnem assumpsit mediante rationali animâ.

20. Tertiò probat Magister assumptum ex Divo Ioanne Damasceno lib. 3. de Orthodoxâ fide, cap. 6. sic expressè ac venustè affanter: *Vnitum est carni Verbum Dei per medium intellectum*; sed intellectus nomine rationalis anima exprimitur: ergo quia mediante rationali animâ Verbum divinum humanam carnem assumpsit.

21. Hic subdit Magister in litterâ, vnionem Verbi divini cum humanitate, ita esse opus celsissimum, vt adedò inexplicabilem fore, fateri non vereamur. Quod suadere pertentat Magister ex Ioanne cap. 1. de castissimo Præcurfore alloquente, qui, etsi ab vtero matris fuerit sanctificatus, se non esse dignum fatetur solvere corrigiam calceamenti Christi Domini, eò quòd illius vnionis modum investigare non valeat, nec alijs tantum ac tam profundum Mysterium evolvere non sit sufficiens: igitur vnio hypostatica ita creatam exuperat mentem, vt omni eloquio sit maior.

22. Vndè, meritò detestandus venit avius eorum error, qui asserant, Verbum divinum veram non assumpsisse carnem, nec natum fuisse de sceminâ; sed falsam carnem, & imaginem corporis simulatam ostendisse videntibus; alioquin à carne humanâ divinitas, siue substantia Dei haud dubiè conspurcatur, si veram Filius Dei assumpsisset carnem.

23. Hoc etenim labile erratum quodam vulgari experimento elidit Magister in litterâ. Nam Solis corporalis radij à sordibus quas contingant, non conspurcantur: ergo si visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, quin collutulentur; quantò magis incommutabilis, & invisibilis veritas, Verbum quippè divinum, poterit humanæ carni associari absque sui candoris puritatisque dispendio? Ergo iam abiit in vanum hæreticorum commentum, quòd Verbum divinum veram non assumpserit carnem, eò quòd eius divinitas ex humanitatis compage scedaretur.

24. Sed oppones: Ob carnis humanæ assumptionem Filius Dei factus est passibilis: ergo & similiter factus est carnalis; sed spiritus scedatur dum carnalis efficitur: ergo & Filius Dei conspurcator ex humanæ carnis commercio dum carnalis efficitur: ergo hæreticorum profatum de sordibus Verbi divini per carnem illatum subsistit.

25. Respondetur negando Consequentiam. Quia Filius Dei etsi passibilis sit factus vi communicationis idiomatum secundum natu-

ram assumptā; non tamen secundum divinam substantiam. Vnde, et si carnalis dicatur prout denotat humanam carnem; non verò prout denominat vitium; quia solum passibilitatem, & non carnis sceditatem assumpsit. Instantia de infectione spiritus dum carnalis efficitur, non urget; cum aliud sit loqui de spiritus vitio per carnem, & aliud de carnis assumptione per Filium; quod est præcipuus controversiæ cardo. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficient. TERTIUM

26. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis enucleatione, tertium paratur thema: *Caro Christi Domini non fuit prius in illibatâ Virginis alvo concepta, quàm assumpta; sed simul carnem, & animam Verbum divinum assumpsit.* Quod Augustini, & Gregorij firmissimis autoritatibus supra modum illustrat Magister in litterâ.

27. Primò, sic Augustino assiduo comire lib. de fide ad Petrum, cap. 18. aggreditur probationem Magister: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate fuisse conceptam in utero Virginis priusquam susciperetur à Verbo. Sed ex eo quòd caro Christi Domini non fuerit in utero Virginis sine divinitate concepta priusquam susciperetur à Verbo, non prius fuit concepta, quàm assumpta; sed simul carnem cum rationali animâ Verbum divinum assumpsit: ergo.*

28. Secundò, Augustinus ipse alijs in litterâ præmunuit disertis verbis assertum. En eius divina eloquia lib. de Trinit. cap. 3. *Non autem in utero Virginis prius caro concepta est, & postmodum divinitas venit in carnem; sed mox ut Verbum venit in uterum, servatâ veritate propriæ naturæ, factum est caro, & perfectus homo: ergo si in utero Virginis prius caro non fuit concepta, & postmodum divinitas venit in carnem; sed mox ut Verbum venit in uterum, factum est caro, & perfectus homo, satis clarè colligitur, quòd Christi Domini caro non fuerit prius in alvo Virginis Matris concepta, quàm assumpta.*

29. Tertiò, Divus Gregorius in moral. lib. 18. cap. 25. ultimam probationi thematis his verbis adhibuit clausulam: *Angelo annunciate, & spiritu adveniente, mox Verbum in utero, mox intra vterum Verbum caro factum est, ergo si dum Angelo annunciate, & spiritu adveniente, mox Verbum in utero, & mox intra vterum Verbum caro factum est, non potuit in Virginis utero caro Christi Domini prius concipi, quàm assumi; sed necessariò ipso temporis intervallo eius conceptio, & assumptio enituit.*

30. Sed dices: Quod nondum existit, non aptè censetur assumptionis capax; sed caro, quæ non est concepta, nondum existit: ergo

vt caro à divino Verbo assumatur, peropus est, vt prius concepta existat: ergo iam caro Christi Domini prius fuit in illibato Virginitatis utero concepta, quam assumpta.

31. Respondetur compendiariò, instantiam hinc non premere: Quia solùm naturæ, non temporis prioritatem suadere videtur. Unde, etsi prior sit conceptio carnis, quàm eius assumptio naturæ ordine; non verò temporis; cum vtrumque, conceptio quippè carnis, & eius assumptio à divino Verbo, sub eodem temporis momento, virtute divinâ afflante, absque vllâ antilogiâ expleatur. Et hæc de tertiâ, & vltimâ distinctionis parte satis superque sufficiant.

Q V Æ S T I O N E S.

32. **Q** V Æ S T I O 1. Quid sit vnio hypostatica? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 2. art. 1. & seqq. Godoy in 3. p. tract. 2. disp. 11. §. 1. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 6. art. 3. Camerinus tom. 3. q. 2. art. 7. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 4. art. 1. & seqq. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 2. cap. 3. Lumbier de incarn. disp. 16. art. 3. Nicolai in 3. dist. 5. q. 1. art. 1.

33. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 1. q. 1. & seqq. Poncius tract. 11. disp. 37. q. 4. Boyvin 2. p. cap. 3. q. 1. Gallus in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. cap. 1. & 2. Delgadillo p. 1. cap. 1. difficul. 5. dub. 4. Herinx p. 4. disp. 1. q. 5. Castillo de Velasco de incarn. disp. 5. q. 4. Franc. Arriba lib. 2. disp. 1. cap. 18. Felix de incarn. cap. 5. difficul. 1.

34. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 8. sect. 1. Aranda de incarn. lib. 1. disp. 2. sect. 1. §. 1. & seqq. Beccanus cap. 2. q. 1. Bernal de incarn. disp. 11. sect. 2. Mart. Perez disp. 7. sect. 2. & 6. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 4. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 48. sect. 2. Anton. Perez tract. 5. disp. 1. cap. 1. Muniessa disp. 1. sect. 4. & 5. Vvanding. de incarn. disp. 4. dub. 3. Amicus tom. 6. disp. 8. sect. 3.

35. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 6. art. 2. q. 1. & seqq. Alenfis 3. p. q. 7. memb. 2. Gabriel in 3. dist. 3. q. 4. art. 2. Bonaipei disp. 4. q. 1. Calpenis tom. 2. tract. 20. disp. 4. sect. 1. Euttach. à S. Paulo p. 2. disp. 2. q. 4. Baldius lib. 2. quasit. 2. q. 1.

36. Quæstio 2. An vnio hypostatica sit omnium maxima? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 2. art. 9. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 6. art. 6. Camerarius tom. 3. q. 2. art. 9. Prudentius tract. 1. disp. 3. dub. 1. sect. 6. Nicolai in 3. dist. 5. q. 1. art. 2. Medina 3. p. q. 2. art. 12. Palacius in 3. p. dist. 6. disp. vlt.

37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 6. q. 1. Mastrius tom. 3. disp.

disp. 1. *q.* 2. *art.* 1. Boyvin *p.* 2. *cap.* 3. *q.* 7. Durand *tom.* 3. *tract.* 4. *disp.* 5. *q.* 5. Bellutus *in* 3. *disp.* 2. *q.* 6. & *in* 4. *dist.* 40. *q.* 2. Delgadillo *p.* 1. *cap.* 1. *difficul.* 6. *dub.* 1. & 2. Rada *3.p.* *controv.* 3. *art.* 5. Felix de *incarn.* *cap.* 5. *difficul.* 6.

38. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p.* *disp.* 6. *sect.* 2. Amicus *tom.* 6. *disp.* 8. *sect.* 5. Anton. Perez *tract.* 5. *tom.* 2. *disp.* 3. *cap.* 1. Aranda *lib.* 1. *disp.* 3. *sect.* 1. §. 3. & *sect.* 2. §. 1. Ragusa *disp.* 41. §. 2. Rhodès *tract.* 7. *disp.* 2. *q.* 4. *sect.* 2. §. 2. Peñafiel *tom.* 4. *disp.* 10. *sect.* 4. & 5. Muniessa *disp.* 1. *sect.* 14. & *seqq.* Ripalda *tom.* 2. *disp.* 79. Vazq. *3.p.* *disp.* 20. *cap.* 2.

39. Ex alijs D. Bonaventura *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *q.* 3. Alensis *3.p.* *q.* 7. *memb.* 2. *art.* 3. Bonæspei *tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 4. *dub.* 2. Baldus *lib.* 2. *quest.* 3. *q.* 1. *difficul.* 1. Baudunius *tract.* 1. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. Eustach. à S. Paulo *p.* 2. *tract.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. Estius *in* 3. *dist.* 6. §. 1. & *seqq.*

40. Quæstio 3. An Verbum prius assumpserit partes, quam totum; Vtrum verò prius totum, quam partes? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas *in* 3. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 9. Gonetus *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 10. *art.* 1. Camerarius *tom.* 3. *q.* 5. *art.* 5. Ioan. à S. Thomâ *tom.* 3. *q.* 6. *disp.* 7. *art.* 4. Nicolai *in* 3. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 9. Philipp. à SS. Trinit. *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 4. *dub.* 8.

41. Ex Subtili Scholâ Scotus *in* 3. *dist.* 2. *q.* 2. Maltrius *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 4. *art.* 1. Durand *tom.* 3. *tract.* 4. *disp.* 9. *q.* 1. Delgadillo *p.* 1. *cap.* 3. *difficul.* 2. *dub.* 6. Rada *3.p.* *controv.* 4. *art.* 4. Felix de *incarn.* *cap.* 7. *difficul.* 3. & *cap.* 8. *diff.* 1. & 2. Herinex *p.* 4. *disp.* 1. *q.* 6.

42. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *in* 3. *p.* *disp.* 16. *sect.* 1. Aranda *lib.* 1. *disp.* 4. *sect.* 2. §. 5. Bernal *disp.* 27. *sect.* 1. Mart. Perez de *incarn.* *disp.* 9. *sect.* 5. Rhodès *tract.* 7. *disp.* 2. *q.* 3. *art.* 1. §. 4. Peñafiel *tom.* 4. *disp.* 9. *sect.* 10. Carleton *tom.* 2. *disp.* 50. *sect.* 3. Muniessa *disp.* 2. *sect.* 6.

43. Ex alijs Estius *in* 3. *dist.* 2. §. 6. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 20. *disp.* 4. *sect.* 3. Baudun. *tract.* 1. *q.* 6. *art.* *unic.* Eustach. à S. Paulo *p.* 2. *tract.* 1. *disp.* 5. *q.* 3. & 4. Bonæspei *tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 5. *dub.* 1. & *seqq.* Baldus *lib.* 2. *quest.* 4. *q.* 1. & *seqq.*

44. Quæstio 4. An unio hypostatica sit ab extremis distincta? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas *3.p.* *q.* . *art.* 7. Godoy *in* 3. *p.* *tract.* 2. *disp.* 11. §. 1. & *seqq.* Prudentius *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 1. & *seqq.* Gonetus *tom.* 4. *disp.* 6. *art.* 2. & *seqq.* Cayeran. *3.p.* *q.* 2. *art.* 7. Medina *in* 3. *p.* *q.* 2. *art.* 7. Palacius *in* 3. *dist.* 5. *disp.* 2.

45. Ex Subtili Scholâ Scotus *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. Mayron *in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. Gallus *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. *cap.* 3. Rubion *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. Aquila

in 3. dist. 1. q. 1. Lychetus in 3. dist. 1. q. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Incarn. num. 7. & seqq.

46. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 8. sect. 2. & 3. Amicus tom. 6. disp. 8. sect. 2. Vazquez in 3. p. disp. 18. cap. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 10. sect. 1. Munieffa disp. 1. sect. 4. Aranda lib. 1. disp. 2. sect. 1. §. 1. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 4. sect. 1. §. 1. Aldrete de incarn. controv. 7. disp. 30. sect. 1. Martin. Perez disp. 10. sect. 1. Martinon de incarn. disp. 5. à sect. 6. & seqq.*

47. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 3. q. 2. Aleusis 3. p. q. 7. memb. 2. art. 1. Ochamus in 1. dist. 30. q. 1. Aureolus in 3. dist. 2. art. 2. Gabriel in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. Bonæpei tom. 2. tract. 3. disp. 4. dub. 1. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 2. sect. 5. Baldius lib. 2. quest. 2. q. 1. & seqq. Eustach. à S. Paulo p. 2. disp. 2. q. 4. & seqq.*

48. *Quæstio 5. An unio hypostatica sit accidens, aut substantiâ Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 2. art. 6. Godoy in 3. p. tract. 2. disp. 11. §. 1. & seqq. Nicolai in 3. dist. 5. q. 1. art. 1. & seqq. Camerarius tom. 3. q. 2. art. 7. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 4. sect. 1. & seqq. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 2. cap. 3. & seqq.*

49. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 7. q. 1. Gallus in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. cap. 3. Castillo de incarn. disp. 5. q. 4. num. 26. Arriba lib. 2. disp. 1. cap. 18. Cavellus in Schol. in 3. dist. 7. q. 1. Vulpes tom. 1. p. 4. disp. 12. art. 3. Aquila in 3. dist. 7. q. 1. & seqq. Macedo in 3. Collat. 2. diff. 1. sect. 4. & 5.*

50. *Ex Scholâ Eximiâ Lugo de incarn. disp. 11. sect. 4. Beccan. cap. 2. q. 3. Bernal de incarn. disp. 11. sect. 3. Martin. Perez disp. 7. sect. 4. Peñafiel tom. 4. disp. 10. sect. 2. & 3. Anton. Perez tract. 5. disp. 1. cap. 1. & 6. Vazquez in 3. p. disp. 18. cap. 3.*

51. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 7. art. 1. q. 1. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 2. sect. 6. Bonæpei tom. 2. tract. 3. disp. 5. dub. 3. Bandunius tract. 1. q. 2. art. 3. Baldius lib. 2. quest. 2. q. 1. difficult. 6. Eustach. à S. Paulo p. 2. disp. 2. q. 4.*

52. *Quæstio 6. An Verbum divinum immediatè assumpserit sanguinem? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 5. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 9. art. 7. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 4. dub. 7. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 4. disp. 7. art. 3. Camerinus tom. 3. q. 5. art. 1.*

53. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 16. q. 2. Mastrinus tom. 3. disp. 1. q. 5. art. 1. Gallus in 3. dist. 2. q. 2. Poncius disp. 34. q. 4. Vulpes disp. 6. art. 3. Bellutus in 3. disp. 3. q. 5. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 8.*

q. 5. Boyvin 2 p. cap. 5. q. 7. Delgadillo p. 1. cap. 3. difficult. 2. dub. 10. Felix cap. 7. diff. 3. Boscus tom. 2. disp. 4. §. sect. 4. Brancatus de Lauræa in Epitom. Canon. p. 785. Macedo in 3. Collat. 3. diff. 2. Frassen tom. 3. tract. 1. disp. 2. q. 3.

54. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. disp. 32. sect. 1. Aranda lib. 1. disp. 4. sect. 2. §. 2. Lugo disp. 14. sect. 1. & seqq. Bernal disp. 16. sect. 3. Martin. Perez disp. 9. sect. 2. Peñafiel tom. 4. disp. 9. sect. 4. Amicus tom. 6. disp. 15. sect. 7. Arriaga tom. 6. disp. 22. tract. 4. sect. 1. subsect. 2. Muniessa disp. 2. sect. 5. Carleton tom. 2. disp. 50. sect. 1.

55. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 2. q. 1. & 2. Bonaspei tom. 2. tract. 3. disp. 8. dub. 1. Caspentis tom. 2. tract. 20. disp. 4. sect. 4. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 5. q. 1. Baudun. tract. 1. q. 5. art. 2. Etlus in 3. dist. 2. §. 2. Abulensis paradox. 2. cap. 2. 40. & 43. Gabriel in 4. dist. 44. q. 1.

56. Quæstio 7. An Verbum assumpsit, aut assumere potuerit naturam subsistentem? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. Godoy in 3 p. tom. 2. disp. 19. §. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 4. disp. 7. art. 1. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 9. art. 4. Camerarius tom. 3. q. 4. art. 3. Prudentius tract. 3. disp. 2. dub. 6. Lumb. de incarn. q. 18. art. 5. Nicolai in 3. dist. 3. q. 3. art. 3. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 4. dub. 6.

57. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 5. q. 1. Mayron in 3. dist. 5. q. 3. Gallus de incarn. in 3. dist. 5. q. 2. art. 1. Boyvin 2. p. cap. 5. q. 4. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 8. q. 1. & seqq. Delgadillo 1. p. cap. 3. difficult. 2. dub. 1. Rada 3. p. controv. 1. art. 2. Felix de incarn. cap. 7. difficult. 2. Poncius in Comment. in 3. dist. 5. num. 5.

58. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 32. sect. 1. & seqq. Amicus tom. 6. disp. 15. sect. 4. Aldrete disp. 4. 1. sect. 1. & 2. Aranda lib. 1. disp. 5. sect. 1. §. 3. Lugo disp. 13. sect. 2. Bernal disp. 25. sect. 3. Martin. Perez disp. 9. sect. 9. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 3. sect. 2. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 9. sect. 6. Carleton tom. 2. disp. 50. sect. 5. Muniessa disp. 3. sect. 1. Vvand. disp. 13. dub. 3. Gasp. Hurtado disp. 4. dub. 14. Coninch disp. 8. dub. 5.

59. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. q. 3. art. 2. Alens. 3. p. q. 4. memb. 6. Aureolus in 3. dist. 1. q. 4. art. 2. Baldius lib. 2. quesit. 2. q. 3. difficult. 1. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 4. sect. 2. Etlus in 3. dist. 5. §. 3. Baudun. tract. 1. q. 4. art. vnic. dub. vnic. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 4. q. 1. & seqq.

60. Quæstio 8. An Verbum divinum assumpsit totam naturam
humana.

humanam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. & 7. & dist. 5. q. 3. art. 1. Godoy in 3. p. tract. 3. disp. 15. §. 1. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 8. art. 1. Camerarius tom. 3. q. 5. art. 2. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 4. disp. 7. art. 3. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 4. cap. 5. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 3. dub. 2. Nicolai in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. & 7. & dist. 5. q. 3. art. 1.

61. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 2. q. 2. Mastrius tom. 3. disp. 1. q. 4. art. 1. Poncius tract. 11. disp. 37. q. 5. Faber in 3. disp. 9. cap. 3. Rada p. 3. controv. 4. art. 4. Bellutus in 3. disp. 4. q. 2. Fetchius Epitom. 3. dist. 2. Lychetus in 3. dist. 2. q. 1. Vulpes disp. 10. art. 1. Gallus in 3. dist. 2. q. 2. art. 1. cap. 1. & seqq. Delgadillo p. 1. cap. 3. difficult. 2. dub. 3. Rada 3. p. controv. 4. art. 4. Herincx 4. p. disp. 1. q. 6. Cavellus in Schol. in 3. dist. 2. q. 2. Bassolius in 3. dist. 2. q. 3. art. 1. & 2.

62. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 16. & 17. Vazquez in 3. p. disp. 39. & 40. Carleton tom. 2. disp. 50. sect. 1. Bernal disp. 11. sect. 1. Aranda lib. 1. disp. 4. sect. 2. §. 1. Mart. Perez disp. 9. sect. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 9. sect. 4. Muniessa de incarn. disp. 2. sect. 5.

63. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 3. q. 2. Alensis 3. p. q. 4. memb. 5. Gabriel in 3. dist. 2. q. unic. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 4. q. 1. & seqq. Estius in 3. dist. 2. §. 2. & seqq. Bonæpei tom. 2. tract. 3. disp. 8. dub. 1. & seqq. Baudun. tract. 1. q. 4. art. 1. & seqq.

64. Quæstio 9. An Verbum assumpsit verum corpus humanum, & non phantasticum, aut cœleste? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 6. art. 2. & seqq. Paludan. in 3. dist. 2. q. 2. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 3. dub. 2. & seqq. Camerinus tom. 3. q. 5. art. 1. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 4. disp. 7. art. 3. & seqq.

65. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 2. q. 2. Macedo schol. 2. cap. 14. Herincx p. 4. disp. 1. q. 6. Boyvin 2. p. cap. 5. q. 5. Poncius in comment. in 3. dist. 2. num. 30. Cavellus in Schol. in 3. dist. 2. q. 2. Bassolius in 3. dist. 2. q. 3. art. 1. & 2. Delgadillo 1. p. cap. 3. diff. 2. dub. 9. & 18. Mastrius tom. 3. disp. 1. q. 5. art. 1.

66. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 32. & seqq. Peñafiel tom. 4. disp. 9. sect. 2. Carleton tom. 2. disp. 50. sect. 1. Muniessa de incarn. disp. 2. sect. 5. Bernal disp. 26. sect. 1. Mart. Perez de incarn. disp. 9. sect. 3. Aranda lib. 1. disp. 4. sect. 2. §. 3. Vazq. in 3. p. disp. 36. num. 34. Lugo de incarn. disp. 14. sect. 8. à num. 110.

67. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 3. q. 1. & 2. Alens. 3. p. q. 4. memb. 5. Estius in 3. dist. 2. §. 2. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 5. q. 1. Bonæpei tom. 2. tract. 3. disp. 8. dub. 1. & seqq. Baudunius

tract. 1. q. 4. art. 1. & seqq. Gabriel in 3. dist. 2. q. vnic. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 4. sect. 4. Baldus lib. 2. quest. 2. q. 3. diff. 1. & seqq.

68. Quæstio 10. An Verbum assumpsit dentes, vngues, capillos, & cæteras alias humanitatis partes? De quò, *hic* q. 8. & 9.

69. Quæstio 11. Quid humanitatis nomine intelligatur? De quò, *hic* quest. 8.

70. Quæstio 12. An vna, & eadem natura humana sit positivè in omnibus individuis? De quò, tom. 1. dist. 8. q. 5.

71. Quæstio 13. An ratio individui sit univoca omnibus individuis? De quò, tom. 1. dist. 8. q. 5.

72. Quæstio 14. An caro priùs fuerit concepta in utero Virginis Matris, & postea assumpta à divino Verbo? De quò, *hic* q. 7. & 8.

DE CONDITIONE NATVRÆ ASSVMPTÆ

DISTINCTIONIS TERTIÆ

Synopsis.

*In lumbis Abræ quanquam pie Christe fuisti,
Ut Levi, tamen es non decimatus ibi.*

Sic incipit : *Queritur.*

Sic terminat : *In ipso actu incarnationis.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de naturâ humanâ assumptâ à divino Verbo, in-
suetoque illius assumendi modo; sed in præsentî determinat de qualitatibus, conditionibusque ipsius naturæ assumptæ: ergo ordinatissimâ connexionis methodo pollent.

2. Consequentia probatur: In quavis rectâ contentionis serie præmittitur disputationis subiectum, ut inde aptius proprietates ipsius rimari valeant; eò quòd istæ necessariò subsequantur illi; sed Magister in superiori distinctioe egit de naturâ humanâ assumptâ à divino Verbo, miroque illius assumendi modo, quæ erat cardineus contentionis scopus: ergo modò de ipsius naturæ assumptæ qualitatibus, conditionibusque dislerere, certò certius erit connexionis iura ad vnguem servare.

Divi-

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expenditur Magister, qualiter caro Christi Domini antequam conciperetur, & à Virgine Matre emoliretur, fuerit materialiter peccato obnoxia, quanvis postmodum in ipsius assumptione, Spiritu Sancto operante, fuerit totius sævi facinoris experts. In secundâ verò sustinet, ipsam in lumbis Abrahamæ decimatam non fore. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit parte, qualiter in vestibulo suæ conceptionis fuerit caro illa animata, & assumpta.

4. PRO PRIMÆ igitur partis arguto examine, in primum profatum: *Caro Christi Domini, iuxta Magistrum, antequam à Virgine Matre emoliretur, materialiter, peccato fuit obnoxia, sicut reliqua Virgins caro.* Hoc utique suadere tentat Magister ex duplicis quesiti solutione subtili, quibus reverâ assumptum collatare videtur.

5. Sic primum à Magistro præficitur dubium in litterâ: *An caro Christi Domini ante sui conceptionem fuerit materialiter sordibus peccati obnoxia, quippè, antequam à carne Virginis Matris distraheretur?* Et respondet Magister in litterâ, quòd iuxta Sanctorum Patrum attestationis concordiam, ipsa Christi Domini caro ante sui conceptionem fuit materialiter obnoxia peccato, sicut & reliqua immaculata Virginis caro, idest, explorato materiali principio, ex quo facta est caro Christi Domini, fuit obligata, & obnoxia peccato, utpotè prodegens ex corruptâ illâ humani generis mafsâ.

6. Quod hæc solâ expendit ratione Magister: Caro illa Christi Domini de Virgine Matre fuit extracta; sed caro Virginis Matris fuit obnoxia peccato, eò quòd lineam duxerit ab illo materiali infecto, communique omnium principio, fueritque Beatissima Virgo Maria, iuxta Magistrum, in peccati originalis sordes immerfa: igitur caro Christi Domini ante sui conceptionem fuit materialiter obnoxia peccato, sicut & reliqua Virginis caro.

7. Sed dices: Hæc propositio: *Caro Christi Domini fuit peccato obnoxia, sicut & reliqua Virginis caro,* non bene audit; eò quòd caro illa Christi Domini immunis fuerit ab omni contagione peccati: igitur resolutio Magistri in primi quesiti gratiâ profectò aberrat à ianua.

8. Respondetur pro Magistro, carnem Christi Domini posse in triplici sensu, aut statu usurpari. Primò, prout solitariè est caro; & tunc caro Christi Domini obnoxia, & obligata censetur peccato; cum ortum ducat à mafsâ illâ generis humani à primo conspurcatâ parente. Secundò, in quantum erat caro in Virgine Matre, sive antequam à Virginis carne divideretur; & tunc, iuxta Magistrum in

literâ, fait obnoxia peccato, sicut & reliqua Virginis caro. Tertio, quatenus iam est Christi Domini caro, & à Virginis Matris immaculatâ carne discreta; & tunc non fuisse obnoxiam peccato, sed inoporiùs ab omni prosùs contagione immunem carnem illam à divino Verbo assumptam, catholicè profiteamur. His sic perpenſis, benè audit propositio Magistri pro temporis differentiâ, in quâ ipse floruit, & scripsit.

9. Cæterùm, an præſens pronunciatum Magistri, nempe, quòd Christi Domini caro, prout indistincta à Virginis carne, siuè antequàm à Virginis Matris carne divideretur, fuerit obligata, obnoxiaque peccato, sicut & reliqua Virginis caro, sit consonum modò pijsſimæ ac celeberrimæ de illibato Virginis ortu Opinioni; necnon decretis Apostolicis, præſertimque Sixti IV. Pauli V. Gregorij XV. Alexandri VII. & Tridentini Concilij? alij iudicent, dum nos promunere nostro Magistri agimus partes. Tamen obſequentiſſimo animo ſubmittimus infallibili cenſioni Eccleſiæ, & Doctorum iudicio hanc, & alias à nobis exaratas diſtinctiones; nec intendimus Opinione contrariam Immaculatæ Conceptioni Virginis Matris, quam mordicus propugnauit Magister, defendere, nec ipſius materiam agitare, aut argumentis promovere, aut vllò excogitabili modo fovere, imò eam ex voto abigere tentamus; ſed ſolùm Magistri nutum præfigere, & expendere, prout dum erat ipſe ſuperſtes.

10. Secundum ſub his verbis proponitur à Magistro dubium: *An caro illa Christi Domini immunis extiterit ab omni contagione peccati, vbi primùm Verbo diuino fuit associata?* Et reſpondet Magister, quòd caro illa Christi Domini ab omnibus peccati ſordibus, virtute Spiritus Sancti operante, immunis extiterit, antequàm à diuino Verbo aſſumeretur, remanente tamen in eâ poſſibilitate patiendi, non ex aliquâ neceſſitate, ſed ex liberâ voluntate ipſam aſſumentis. Hoc etenim nonnullis Patrum authoritatibus ſuadet Magister, qui in toto diſtinctionis progreſſu ſatis planè ſe dat in obuium opinioni piæ de illaſo immaculatoque Virginis Matris conceptu.

11. Primò probat Magister ex illo Angeli ad Mariam alloquentis cap. 1. apud Lucam: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed quòd Spiritus Sanctus ſuperuenerit in Mariam, virtus Altissimi obumbraverit, potentia generandi abſque viri ſemine fuerit ipſi elargita, eiufque foetus ſanctificatus, manifeſtè demonſtrant, generationem Christi Domini fuiſſe ab omni peccati contagione immunem,

munem, carnemque à divino Verbo assumptam etiam à cunctâ fordidâ labe purgatam: ergo quia caro illa Christi Domini ex Virgine evulsa, antequàm à divino assuméretur Verbo, iam extitit omni impuro dedecore purgata.

12. Secundò, id ipsum probat Magister ex Damasceno lib. 3. de Orthodoxâ fide, cap. 2. textum Lucae apprimè collustrante: *Post consensum autè Sancta Virginis Spiritus Sanctus supervenit in eam, purgans ipsâ, & potentiam deitatis Verbi receptivam preparans, simul autem & generativam, &c.* Sed ex eo quòd caro illa Christi Domini sic fuerit concepta, & assumpta, rectè colligitur, ipsam ab omni contagione peccati immunem extitisse, antequàm Verbum divinum eam sibi copulasset inviduitatem suppositi: ergo.

13. Adhæc subdit Magister in litterâ, Beatissimam Virginem Mariam ex tunc immunem fuisse ab omni peccato actuali. Quod primò egregiè ac venustè ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 37. his verbis suadet: *Exceptâ Sanctâ Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini, nullam prorsùs cum de peccatis agitur, haberi volo questionem: ergo si dùm de peccatis agitur, nulla prorsùs cum Virgine Mariâ habenda est quæstio, nec ipsa in illis immisceri licet, non incongruè deducit Magister, Intemeratam Virginem Matrem ex tunc liberam fuisse ab omni forde actualis peccati.*

14. Secundò, sic pergit eodem in libro Augustinus in ipsius probationem: *Hæc ergò Virgine exceptâ, si omnes Sancti, & Sancta congregari possent & quæreretur ab eis an peccatum haberent, quid responderetur, nisi quòd Ioannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: ergo quia sola Beatissima Virgo Maria inter tot numerosas Sanctorum turbas immunis extitit ab omni actuali peccato, ex tunc quòd Verbum divinum humanam carnem ex eâ acceperit.*

15. Tertiò, etiam suadet assumptum Magister: *Quia Spiritus Sanctus præveniens ipsam Virginem Matrem in sui Filij conceptione, à peccato sic purgavit, quòd & à scemite peccati, aut ipsum totaliter abstergendo, quòd magis videtur; aut ipsum sic attenuando, ut nullius postea peccati occasio sibi esset, eam liberaverit: ergo si ex tunc nihil potuit existere in Virgine Matre, quòd ei impenderet ad malum; ex tunc temporis immunis extitit ab omni peccato actuali. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.*

16. PRO SECUNDÆ verò distinctionis ostensione partis: en secundum profatum: *Quantùm Christus Dominus secundum corruptentiam substantiam fuerit in lumbis Abraha, sicut Levi, non tamen in eo decimatus*

est ut ille, eò quòd non descenderit ut ipse, secundùm legem communem, aut feminalem rationem. Quod pulchrè expendit Magister ex cuiusdam dubij affectatâ solutione.

17. Sic indagat Magister in litterâ: *Quare Christus Dominus non dicitur decimatus in lumbis Abrahamæ, sicut Levi, cum uterque fuerit in eo secundùm materialem rationem?* Et respondet Magister, quòd etsi uterque ipsorum fuerit in lumbis Abrahamæ, & ab eò descenderit; nihilominus Levi decimatus dicitur, quia secundùm feminalem rationem fuit in eo, ab illoque lineam duxit secundùm legem communem, quippè, per concupiscentiam carnis; secùs Christus Dominus, cum solùm fuerit in lumbis Abrahamæ secundùm causam materialem, & non secundùm legem communem, sive peccati.

18. Probat modò conclusionem Magister. Primò ex Apostolo, ad Romanos cap. 5. Etsi omnes in Adam peccaverint homines, non tamen Christus; sed ideò Christus Dominus in Adam non peccavit, etsi alij peccaverint homines, (exceptâ semper Beatissimâ Virgine Mariâ, de quâ, cum de peccatis agitur, nullam prorsùs, Augustino comite, volumus habere quæstionem) quia ab illo non descendit secundùm feminalem rationem, neque secundùm legem communem, sed supra naturæ vires, & sine peccato: ergo quanvis Christus Dominus fuerit in lumbis Abrahamæ secundùm corpulentam substantiam, sicut Levi, tamen in eo non fuit decimatus ut ille, eò quòd non descenderit ut ipse secundùm legem communem, aut feminalem rationem, nempe per libidinem carnis.

19. Secundò, suum altè roborat Magister discursum ex Augustino in Genes. lib. 10. cap. 20. dicente: *sicut Adam peccante, qui in lumbis eius erant, peccaverunt sic Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant, decimati sunt;* sed quanvis in lumbis Adæ fuerit Christus Dominus secundùm materialem rationem, non peccavit, quia non secundùm concupiscentiam carnis ab eò descendit: ergo quanvis in lumbis Abrahamæ fuerit Christus Dominus secundùm corpulentam substantiâ, tamen non est decimatus in eo, quia secundùm legem communem, sive concupiscentiam carnis non descendit ab illo.

20. Tertio, ampliùs sic illustrat assertum Magister in litterâ: Ille solùm decimatus est in Abraham, qui sic fuerat in lumbis Abrahamæ, sicut fuit in lumbis patris sui, sive, qui sic est natus de patre Abrahamâ, sicut de patre suo natus est, nempe, per legis carnem, & invisibilem concupiscentiam; sed Christus Dominus, etsi fuerit in lumbis Abrahamæ, sicut fuit in lumbis Matris suæ, tamen non est natus de Matre suâ

per

per legis carnem, & invisibilem concupiscentiam, sive secundum legem communem; sed supra naturæ vires, & sine peccato: ergo nulla viget ratio, ut Christus Dominus fuerit, sicut Levi, in Abraham decimatus.

21. Ulterius statuit Magister in litterâ, Verbum divinum non assumpsisse humanam carnem peccatricem, etsi similem carni nostræ eam acceperit, non in culpâ, sed in humanis pœnalitatibus. Quod firmat primò per Apostolum ad Romanos cap. 8. dicentem: *Misit enim Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*: ergo etsi Verbum assumpserit carnem non absimilem carni nostræ peccatrici in humanis pœnalitatibus, quippè, in siti, frigore, fame, doloribus, alijsque corporeis passionibus, non tamen eam peccatricem assumpsit: ergo quanvis fuerit similis carni nostræ, non in culpâ, sed pœnalitate.

22. Secundò: Caro Christi Domini fuit per gratiam concepta, sanctificata, & nata; ac proindè caro illa assumpta à divino Verbo non fuit in Christo obnoxia peccato; sed aliorum hominum caro non sic fuit per gratiam concepta, excipe semper Immaculatam Virginem Matrem: ergo quia Verbum divinum non assumpsit humanam carnem peccatricem, etsi non absimilem carni nostræ assumpserit peccatrici, non in peccati sordibus, sed in corporeis pœnalitatibus. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

23. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis indagine, en tertium profatum: *Caro Christi Domini mox in conceptionis sue vestibulo fuit membrorum debitâ distinctione formata, simul animata, atque assumpta; quanvis per temporis successum sumpserit corporis augmentum*. Quod utique probat Magister, dum obvium ipsum dat Augustinum superioribus dictis, illamque atticâ eloquentiâ in litterâ expendit.

24. Sic in nostrum profatum arguit Augustinus tract. 10. in Ioannem cap. 2. hocce expendens Christo Domino à Judæis obiectû: *Quadraginta, & sex annis edificatum est hoc templum, & in tribus diebus excitabis illud?* En modò clara ac divina Augustini eloquia: *Hic numerus perfectioni Dominici Corporis convenit; quia, ut dicunt Phisici, tot diebus forma humani corporis perficitur*. Igitur caro Christi Domini per successionem dierum fuit formata, sicut aliorum hominum caro; ac proindè non in suæ conceptionis vestibulo fuit membrorum debitâ distinctione formata, & animata, atque à divino Verbo in unitatem suppositi copulata.

25. Respondet Magister Augustiniana obiectiõni, & ipsius solutione cunctam thematis probationisque lineam absolvit. Augustinum non

non intendisse dicere, carnem Christi Domini per aliquos dies prius fuisse formatam, antequam animatam, & à divino Verbo assumptam; sed solùm quòd distinctio membrorum corporis, quod Verbum divinum in limine conceptionis animatum accepit, ita exigua ac parva fuerit, ut vix discerni potuerit, quæ, cum quadraginta sex dierum intervallo increvisset, potuit perfectè discerni; & ideo sustinet, numerum tot dierum Domini Corporis perfectioni convenire: ergo quanvis caro Christi Domini per temporis successum sumpserit augmentum; tamen illicò à sui conceptus vestibulo, fuit membrorum debitâ distinctione formata, simulque animata, & assumpta.

26. Unde in præsidium sui ratiocinij advocat Augustinus Damascenum lib. 3. de Orthod. fide cap. 7. scribentem: *Incarnatum est ergo Verbum, & à propriâ incorporalitate non excessit, & totum incarnatum est, & totum est incircumscriptum. Minoratur corporaliter, & contrahitur, & divinè est incircumscriptum, non coextensâ carne eius cum incircumscriptâ divinitate.* Quibus affectatis verbis egregiè depingit Damascenus Augustini mentem de tempore formationis, animationis, assumptionis, membrorumque distinctionis Domini Corporis, quin nullâ ob id valeat inuri censurâ mira ac catholica Augustini doctrina. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte sufficient.

Q V Æ S T I O N E S.

27. **Q**UÆSTIO 1. An Mysterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Matris sit proximè diffinibile de fide? Ex Angelicâ Scholâ Cayetanus tom. 2. *Opuscul. tract. 1. cap. 5.* S. Antonin. *tit. 8. cap. 2.* Canus *lib. 7. de locis cap. 3.* Lezana *in tract. de Concept. cap. 22.* Sotus *in Apolog. cap. 83.* Turrecrem. *lib. 2. cap. 109.* Victoria *in Relect. de potest. Eccles. Sylvius in controv. lib. 4. q. 2. art. 8.*

28. Ex Subtili Scholâ Vvand. *in Legat. pro Concept. orat. 9.* Castillo tom. 2. *disp. 16. q. 6.* Pytigan. *in 3. tom. 2. disp. 25. q. 2. art. 4.* Corduba *lib. 1. q. 44. pag. 358.* Cavellus *in Rosar. in 3. sent. in fine.* Herincx *p. 3. disp. 6. q. 4.* Lanterius *de fide disp. 18. propos. 3.* Rodriguez tom. 1. *qq. 9. 57. art. 2.*

29. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. *in 3. p. disp. 3. sect. 5.* Gradad. *de Concept. disp. 3. cap. 33.* Petrus Oxeda *in informat. pro Concept. cap. 15.* Avendaño tom. 1. *in Prolus. Apolog. §. 1. & seqq.* Vazquez tom. 2. *in 3. p. disp. 117. num. 148.* Ioan. Anron. Velazquez *lib. 4. dissertat. 4. adnotat. 3.* Mendo *de Iure Academico §. 1. à pag. 444.* Salazar *argum. 8. cap. 33. num. 2.* Ioan. Everardus Nidhardus *p. 4. pag. 160.*

30. Ex alijs Silveyra *Opuscul.* 4. q. 22. Lusitanus *lib.* 3. *de Concept.* q. 6. art. 4. Ioan. à Fonte in *Allegat.* fol. 14. Ferdin. de Oxeda in *Relect. de Concept.* cap. 12. Yepes *tom.* 7. *Annal.* S. Benedic. an. 1009. fol. 104. Manrique in *Relat. ad Innocent. X.* Anton. Solerius in *Opuscul. de veneratione & invocat. Sanct. Bernard. de Leon in prolog.* 1. p. *Opuscul. Reynofus lib. de Probat. Concept.* Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 2. q. 5. *punct.* 34. Saavedra *lib. de Sacri. Deiparâ.* Bonâspei *de Visione Eliæ disp. vit. dub.* 4. Barthol. de los Rios *tract.* 1. Horiz. Marian. *cap.* 22.

31. Quæstio 2. An defensio Immaculatæ Conceptionis possit cadere sub voto? De quò, *hic* q. 1.

32. Quæstio 3. An votû publicè celebratum ab Academijs, Religio-nibus, & Communitatibus in subsidium Immaculatæ Conceptionis Virginis sit licitum, sanctum, laudabile, & pium? De quò, *hic* q. 1.

33. Quæstio 4. An Conceptio Virginis in utero materno natura-lis, aut miraculosa fuerit? De quò, *hic* q. 1.

34. Quæstio 5. Quid intelligatur per hanc vocem: *Conceptio Vir-ginis*: Quid verò celebret Ecclesia, dum eam ritu solemnî colit? De quò, *hic* q. 1.

35. Quæstio 6. An solus Pontifex, absque Concilio Generali, vel Cardinalium consilio, valeat diffinire de fide, Virginem sine origi-nali peccato fuisse conceptam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 8. art. 10. Rocaberti *lib.* 1. *de Roman. Pontific. authorit.* cap. 1. & seqq. Turrecrem. *lib.* 2. *cap.* 109. Sotus in *Apolog.* cap. 83. Victoria in *relect. de potest. Eccles.* Sylvius in *Controvers.* *lib.* 4. q. 2. art. 8. Bannez 2. 2. q. 1. art. 10. *dub.* 2. Gravina *tom.* 2. p. 2. art. 9. fol. 144. Arauxo 2. 2. q. 1. de Pontif. art. 10. *dub.* 5. Ioan. à S. Thomâ *tom.* vnic. *tract. de authorit. Pon-tif.* *disp.* 1. art. 3. Castellinus *cap.* 3. *punct.* 36. Canus *de locis lib.* 5. *cap.* 5. q. 5.

36. Ex Subtili Scholâ Scotus in 1. q. 2. *prolog.* num. 9. Castro *contra heres.* *lib.* 1. *cap.* 2. Poncius *disp.* 28. q. 2. *conclus.* 9. Brunus Chassaing *de privileg.* p. 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *propositio* 2. Castillo de Velasco in 3. *tom.* 2. *disp.* 16. q. 6. num. 4. Pytigian. in 3. *tom.* 2. *disp.* 25. q. 2. art. 4. Lanterius *de fide disp.* 18. *propof.* 3. Herincx p. 3. *disp.* 6. q. 4.

37. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de fide disp.* 5. *sect.* 8. Amicus *tom.* 4. *disp.* 7. *sect.* 1. num. 23. Arriaga *tom.* 5. *disp.* 9. *sect.* 4. Bellarm. *lib.* 4. *de Roman. Pontif.* *cap.* 17. Tanner. *tom.* 3. *disp.* 1. q. 4. *dub.* 6. Granad. 2. 2. *Controv.* 1. *tract.* 7. *disp.* 2. *sect.* 2. Valentia *tom.* 3. q. 1. *punct.* 7. Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 5. Rhodès *tract.* 6. §. 5. & 6. q. 2. Carleton *tom.* 2. *disp.* 22. *sect.* 5. Avendaño *tom.* 1. *prolus.* *apolog.* §. 2.

38. Ex alijs Diana p. 11. tract. 2. resol. 2. & tract. 5. resol. 2. Silveyra in Opuscul. 4. q. 22. Caramuel in Theolog. Fundam. fundam. 8. num. 169. Davallius tract. de Roman. Pontif. p. 2. q. 1. Leo X. in Bull. contra articul. Lutheri. Caspensi. tom. 2. tract. 15. disp. 2. sect. 6. & 7. Bonæspei tract. 2. de fide disp. 4. dub. 6. Saavedra in Sacra Deiperâ disp. 19. Lusitan. lib. 3. de præser. q. 4. art. 1. Baucius in Miscel. pag. 79. Boverius tom. 2. demonst. 4. art. 10. Matth. Corona tract. 2. cap. 16.

39. Quæstio 7. An foret verus Martyr, qui pro tuendâ Immaculatâ Conceptione Virginis Matris, mortem subiret? Alphons. de Castro lib. 1. de iust. hæreticor. Turrian. 2. p. disp. 31. dub. 1. Salazar tract. de Concept. per totum. Saavedra in Sacr. Deiperâ disp. ult. à n. 466. Valentia tom. 3. disp. 8. q. 2. punct. 1. Granados de Concept. disp. 3. sect. 31. num. 349. Alvarus Rezano de Palacios discours. 2. punct. 2. Lusitanus lib. 3. de præservat. q. 9. art. ult. §. 4.

40. Quæstio 8. An ab instanti Conceptionis Beata Virgo Maria viderit essentiam divinam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. p. q. 12. B. Alanus lib. de Beatâ Virgine cap. 75. S. Antoninus 4. p. titulo 15. cap. 17. §. 1. Philip. à SS. Trinit. tom. 1. disp. 4. dub. 5.

41. Ex Subtili Scholâ D. Bernardinus tom. 2. Serm. 51. art. 1. cap. 2. Bencas. tom. 2. lib. 3. disp. 5. q. 9. Fraffen in Philos. sect. 2. de beatit. q. 1. Boyvin tom. 1. disp. 6. de vis. q. 5. Smising tract. 2. disp. 6. q. 9. Gallus in 3. dist. 14. q. 1. cap. 1. Lauræa de incarn. disp. 15. art. 1. & seqq.

42. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. q. 19. art. 4. disp. 1. Turrian. 1. p. disp. 14. dub. 10. Vazquez 3. p. disp. 75. cap. 2. & 3. Salazar de Concept. cap. 32. num. 54. Amicus 1. p. disp. 9. sect. 25. Arriaga disp. 6. sect. 5. Izquierdo tom. 1. disp. 17. tract. 8. q. 9. Salmeron tom. 1. tract. 31. verit. 7.

43. Ex alijs Gerson Alph. 88. litt. 2. Lusitanus 1. 2. lib. 12. q. 8. art. 4. §. 1. Verricellus in Parerg. Virg. pag. 491. Morandus tom. 1. tract. 2. q. 21. Abulens. in cap. 5. Matth. q. 46. Aureolus in 1. dist. 1. q. 3. art. 3. Baudun. tract. 2. q. 5. art. 3. Lallemandet tom. 1. disp. 6. p. 1. §. 2.

44. Quæstio 9. An Christus Dominus sit verus Filius Immaculatæ Virginis Matris? De quò, tom. 1. dist. 2. q. 8.

45. Quæstio 10. An Christus D. in lumbis Abrahæ fuerit decimatus? D. Thomas 3. p. q. 31. art. 8. & in 3. dist. 3. q. 4. art. 3. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 2. q. 2. Alenf. 3. p. q. 9. memb. 3. art. 4. Gabriel in 3. dist. 3. q. 2. Camerarius tom. 3. q. 31. art. 8. Nicolai in 3. dist. 4. q. 1. art. 4. Estius in 3. dist. 3. §. 8.

46. Quæstio 11. Quid sit peccatum originale, eiusque ratio formalis? De quò, tom. 2. dist. 30. q. 1.

Quæ-

47. Quæstio 12. An, & quomodo peccatum originale transfundatur in posteros? De quò, *tom. 2. dist. 30. q. 6.*
48. Quæstio 13. An Verbum assumpsit verum corpus humanum, & non phantasticum, sive cœleste? De quo, *hic dist. 2. q. 9.*
49. Quæstio 14. An Corpus Dominicum productum fuerit ad perfectam molem subito, vel successivè? De quò, *tom. 2. dist. 20. q. 6.*
50. Quæstio 15. An in Corpore Christi Domini distinctio membrorum operata fuerit illicò, vel sensim? De quò, *tom. 2. dist. 20. q. 6.*
51. Quæstio 16. An caro prius fuerit concepta in utero Virginis Matris, & postea assumpta? De quò, *hic dist. 2. q. 7. & 8.*
52. Quæstio 17. An Verbum divinum potuit uniri naturæ humanæ peccatrici? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 15. art. 1. Goudoy in 3. p. disp. 42. §. 1. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 9. art. 1. Albert. Magnus in 3. dist. 2. art. 2. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 4. dub. 5.
53. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 12. q. vnic. Felix de incarn. cap. 7. diff. 1. Rada 3. p. controv. 4. art. 1. Gallus in 3. disp. 2. art. 2. cap. 1. Boyvin 2. p. cap. 5. q. 2. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. incarn. num. 14. & seqq.
54. Ex Scholâ Eximiâ Lugo tom. 1. in 3. p. disp. 26. Amicus tom. 6. disp. 15. sect. 1. Valent. 3. p. disp. 1. q. 15. punct. 2. Aldrete disp. 72. sect. 6. Beccan. tom. 4. cap. 12. q. 3. & 4. Bernal disp. 25. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 50. sect. 1.
55. Ex alijs Alensis 3. p. q. 11. memb. 1. Bonaspei tom. 2. tract. 3. disp. 7. dub. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 4. q. 3. Baldius lib. 2. quæst. 2. q. 5. difficult. 2. & seqq. Pasqualig. disp. 78. sect. 9.
56. Quæstio 18. An Verbum divinum potuit assumere naturam irrationalem, aut quamlibet aliam substantialem, sive accidentalem naturam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. Goudoy in 3. p. tom. 2. disp. 18. §. 4. & seqq. Gonetus tom. 4. disp. 9. tract. 1. art. 1. & seqq. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 4. dub. 5.
57. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 2. q. 1. Mastrius tom. 3. disp. 1. q. 7. art. 1. Castillo de Velasco disp. 7. q. 1. p. 2. Boyvin 2. p. cap. 5. q. 2. Rada 3. p. controv. 4. art. 1. Gallus in 3. dist. 2. art. 2. cap. 1. Delgadillo p. 1. cap. 3. difficult. 3. dub. 6. Felix de incarn. cap. 7. difficult. 1. dub. 2.
58. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 14. sect. 2. Amicus tom. 6. disp. 15. sect. 1. Vvading. disp. 4. dub. 8. Esparza disp. 1. q. 21. Carleton tom. 2. disp. 50. sect. 1. Muniella disp. 3. sect. 3. Rhodès tract. 7. disp.

*disp. 2. q. 3. sect. 2. §. 2. Aranda lib. 1. disp. 5. sect. 1. §. 1. Martinon
disp. 7. sect. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 9. sect. 1. Martin. Perez disp. 9. sect. 7.
Petrus Hurtado disp. 43. sect. 1. subsect. 1.*

59. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 1. q. 2. Alenf. 3. p.
q. 11. memb. 1. Ochamus in 3. q. 1. art. 3. Gabriel in 3. dist. 1. q. 2. art.
1. & 2. Baldius lib. 2. quesit. 2. q. 5. difficult. 2. Eulach. à S. Paulo
p. 2. tract. 1. disp. 4. q. 1. Paqualig. disp. 78. sect. 9. Bonæpei tom. 2.
tract. 3. disp. 7. dub. 1. & seqq.*

DE AGENTE, QVO FORMATA EST natura assumpta.

DISTINCTIONIS QUARTÆ Synopsis.

*Divini flatus fuit incarnatio donum,
Quantis non deerant Filius atque Pater.*

Sic incipit : *Cum verò.*

Sic terminat : *Quia factus est.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de qualitatibus conditionibusque naturæ assumptæ; sed in præsentî determinat de authore, sive agente, quo formata est natura humana assumpta à divino Verbo : igitur rectè inter se præfatæ consonant distinctiones.

2. Consequentia probatur : In omni causarum genere priùs venit agendum de intrinsecis, quàm de extrinsecis rei causis; sed qualitates conditionesque naturæ assumptæ à divino Verbo sunt veluti causæ intrinsecæ illius; author verò, sive agens, quo formata est ipsa natura humana, in causæ extrinsecæ serie certò certius recentetur: ergo dùm Magister de authore, sive agente, quo natura humana assumpta à divino Verbo fuit formata, disserit in præsentî distinctione, postquam de qualitatibus conditionibusque ipsius in superiori determinarat, non procul à rectâ connexionione censetur.

Divi-

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expendit Magister, quare absconsum incarnationis opus crebrò Spiritui Sancto ascribitur; cum tamen à totâ Trinitate sit perfectè operatum. In secundâ verò venulè declarat, Spiritum Sanctum non posse Patris Christi Domini fortiri nomen, quanquam de ipso passim Christus natus dicatur. In tertiâ autem, & ultimâ detegit parte, quare Apostolus potiùs Christum Dominum de muliere fieri, quàm nasci, non semel proferat.

4. PRO PRIMÆ igitur partis plenâ enodatione, hoc primum paratur theorema: *Et si incarnationis arcanum Opus passim Spiritui Sancto ascribitur; tamen Patris & Filij cooperatio ab illo non eliminatur.* In cuius probationem, quandam in litterâ dubitationem proponit Magister, ipsique efficacem adijcit solutionem.

5. Sic sedulò in textûs litterâ inquit Magister: *Si Opus incarnationis specialiter in sacrâ paginâ accommodatur Spiritui Sancto, quomodo tota Trinitas ipsam incarnationem est operata?* Et respondet Magister, idè hoc sic contigisse, quia Spiritus Sanctus charitas donumque Patris & Filij censetur, & ex ineffabili Dei charitate Verbum caro factum est, quin ab incarnationis arcano opere ob id Pater & Filius arceri videantur.

6. Illustrat primò assumptum Magister ex Augustino in Enchir. cap. 38. inquirente simulque respondente: *Cum illam creaturam, quam Virgo concepit, & peperit, quanvis ad solam personam Filij pertinentem tota Trinitas fecerit; neque enim separabilia sint opera Trinitatis, cur in eâ faciendâ Spiritus Sanctus solus nominatus est? An etiam quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniversa operari Trinitas intelligitur? Ita verè est, & exemplis doceri potest.* Ergo quia nihil obsonum fidei principijs deprehendimus in eo, quòd incarnationis opus specialiter sacro in Codice accommodetur Spiritui Sancto, & quòd tota Trinitas incarnationem ipsam sit operata.

7. Secundo ratione: *Et si plura Trinitatis opera ad extra passim, & specialiter iteratis in Scripturæ locis ascribantur Patri & Filio, non impedit, quòd à totâ Trinitate sint operata, vt claret ex appositis in primâ huius libri distinctio: ergo quanvis tota Trinitas secretum incarnationis opus absolvat ad extra, poterit absque vilo trium personarum indivisionis dispendio specialiter Spiritui Sancto appropriari.*

8. Sed oppones: *Dùm divinam nominamus essentiam, personam determinatam necessariò non intelligimus, etsi vnâ eandemque*

naturam in tribus veneremur personis: ergo nec dum unam nominamus personam, aliam non intelligimus, cum una ab alia plus, quam ab essentia dissideat: ergo si absconsum incarnationis opus crebro in factis Spiritui Sancto accomodatur litteris, non poterunt ibi alia intelligi personæ, ut una cum Spiritu Sancto præfatum incarnationis opus perficiant: ergo ita incarnatio Spiritui Sancto specialiter adscribitur, ut alia ab hoc munere arceantur personæ.

9. Respondetur negando Consequentiam, & omne inde deductum. Licet enim, dum essentiam nominamus divinam, necessariam illatione personam determinatam non declarem; tamen dum unam personam ad extra operantem exprimimus, alias necessariò significamus. Quia, cum individuum deitatis sit commune tribus divinis suppositis, possumus essentiam nominare divinam, quin personam determinatam significemus. At, cum omnia opera ad extra sint toti Trinitati indivisa, non valemus personam unam exprimere operantem, quin alias in eodem munere deprehensas significemus. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

10. PRO SECUNDE vero distinctionis partis declaratione, hoc secundum statutum thema: *Quantum Christus Dominus de Virgine, ut Matre, dicatur natus; tamen de Spiritu Sancto, ut de Patre, non est natus.* Pro cuius exactâ indagine, quoddam satis affectatum adducit dubium Magister, & ipsius solutionis pondere solida conclusionis fundamenta iacit in litterâ.

11. Inquit ergo argute Magister: *An Christus Dominus debeat dici Filius Spiritus Sancti, dum natus de illo dicitur?* Et pro negante parte, sub hac argumentariâ methodo arguit: Christum Dominum, secundum quod est Verbum, Pater æternus genuit; ideoque eius proclamatur Filius: ergo si Christus Dominus diceretur Spiritus Sancti Filius, eum genuisset, secundum quod est homo, compositusque diceretur ex duabus naturis, divinâ quippè, & humanâ: ergo Christus Dominus secundum unam naturam esset Filius Patris æterni; & secundum aliam Spiritus Sancti Filius; quod maxime abnorme ab omnibus arbitratur: igitur Christus Dominus etsi natus de Spiritu Sancto dicatur, non tamen debet dici Filius illius.

12. Sed oppones in litterâ: Sicut Christus Dominus natus est de Beatâ Virgine Matre; sic de Spiritu Sancto dicitur natus; sed quia Christus Dominus natus est de Beatâ Virgine Matre, verè Virginis dicitur Filius: ergo quia Christus dicitur natus de Spiritu Sancto, erit Spiritus Sancti Filius, cum de illo, & illâ sit natus.

13. Respondet Magister negando Maiorem, & Consequentiam. Quia, etsi Christus Dominus possit absque vilo fidei dispendio dici Filius Beatissimæ Virginis Matris, non tamen valet dici Spiritus Sancti Filius, quamquàm de illo, & illà dicatur natus. Quia Christus Dominus non est natus de Spiritu Sancto, vt de Patre; bene verò de Beatâ Virgine, vt de Matre; & idcirco dicitur Filius Virginis, & non Spiritus Sancti Filius.

14. Præfatam instantiæ solutionem, & cui maximè innititur thematicis probationis robur, nonnullis præmunit exemplis Magister. Primò: Quamplura de re aliquâ nascuntur, quæ tamen filij eius non dicuntur, vt capilli de capite; & plura alia, quæ de homine nascuntur; & tamen filij eius non dicuntur: ergo licet Christus Dominus de Spiritu Sancto dicatur natus, non inde consequitur, quòd sit illius Filius.

15. Secundò: Qui nascuntur ex aquâ & Spiritu Sancto in baptis- mate, non aquæ filios eos rectè quispiam dixerit, sed filij Dei Patris, & Matris Ecclesiæ dicuntur: ergo etsi de Spiritu Sancto natus sit Christus, non tamen erit Spiritus Sancti Filius.

16. Tertiò, è conuerso, non omnes qui dicuntur alicuius filij, consequens est, vt de illo etiam nati esse dicantur, vt claret in filijs adoptiuis, filijsque gehennæ: ergò nec consequens erit, quòd qui nascuntur ab aliquo, filij illius dicantur: ergo pariter, nec in arctatam illationis compagem devenire quis poterit, nempe, quòd Christus Dominus debeat Spiritus Sancti appellari Filius, eò quòd de illo sit natus.

17. Modò Magister in litterâ geminam suggerit rationem, quare Christus Dominus specialiter de Spiritu Sancto dicatur natus, non verò Filius. Primam sic concinnat Magister rationem: Incarnatio est donum Dei, ad ostendendum, quòd vnio naturæ humanæ cum divino Verbo, ex solo Dei dono, & nullis præcedentibus meritis, fuit operata: ergo dum Christus Dominus dicitur de Spiritu Sancto natus, *ly de*, solùm denotat rationem operis; sed quo pacto solùm denotat rationem operis, Christus Dominus etsi de Spiritu Sancto dicatur natus, non est Filius illius: ergo.

18. Secundam etiam sic suppeditat rationem Magister: Christus Dominus de Spiritu Sancto dicitur natus, non sicut de feminali materiâ, sed sicut de causâ efficiente: ergo dum de Spiritu Sancto Christus dicitur natus, *ly de*, solùm denotat respectum causâ efficientis, non formalis, aut materialis; quemadmodùm homines dicuntur esse

ex Deo, non substantialiter, sed effectivè: ergo si Christus Dominus non est natus de Spiritu Sancto, sicut de seminali materiâ, sed solum sicut de causâ efficiente, poterit dici natus de illo, sed non Filius ipsius.

19. Hoc Magistri subtile pensum, his duabus rationibus in textûs litterâ deprehensum, aliquibus Patrum illustratur autoritatibus. Primò Augustinus in Enchir. cap. 38. sic ad rem affatur: *Conceptus ergò, & natus de Spiritu Sancto esse dicitur Christus; non quòd Spiritus Sanctus fuerit Virgini pro semine; non enim de substantiâ Spiritûs Sancti semen partus accepit, sed quia per gratiam Dei, & operationem Spiritûs Sancti de carne Virginis est assumptum, quòd Verbo est unitum; sed ex eo quòd de substantiâ Spiritûs Sancti partus Christi Domini non accepit semen, sed solum per gratiâ Dei, & Spiritûs Sancti operationem de carne Virginis fuerit assumptum, quòd Verbo fuit unitum, Christus Dominus specialiter natus de Spiritu Sancto, & nõ Filius illius debet dici; quia hoc solum denotat efficientem causam: ergo.*

20. Secundò: D. Ambrosius lib. 2. de Spirit. Sanct. in illa verba cap. 1. Matth. *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, &c.* sic condecorè alloquitur: *Quomodo ergò in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto? Si quasi ex substantiâ: ergo Spiritus in carnem, & ossa conversus est. Non vnique. Si verò quasi ex operatione, & potestate eius Virgo concepit, quis neget Spiritum Sanctum Dominicæ incarnationis Authorem? Ergo si inventa est in utero Beatissima Virgo Maria habens de Spiritu Sancto; & non quasi ex substantiâ ipsius, aliter Spiritus Sanctus in carnem, & ossa foret conversus; sed quasi ex operatione, & potestate eius Virgo concepit, quis inficias ibit, Christum Dominum etsi specialiter natum de Spiritu Sancto, Filium ipsius non debere dici.*

21. Sed oppones: Spiritus Sanctus vnâ cum Virgine Matre operatus est Filij Christi Domini insolitam conceptionem; sed quia Virgo sic operata est vnâ cum Spiritu Sancto Christi Domini admirabilem conceptionem, Christus dicitur Filius Virginis, & Virgo dicitur eius Mater: ergo quia Spiritus Sanctus eam explevit simul cum Virgine Matre, Christus poterit dici Filius Spiritûs Sancti, & Spiritus Sanctus eius Pater.

22. Respondetur ex Magistro negando Consequentiam, & simile. Nam, et si Spiritus Sanctus vnâ cum Virgine Matre sit operatus Christi Domini insolitam conceptionem; tamen aliter ac operata extat à Virgine Matre; quia Christus Dominus ita natus est de Virgine Matre, vt soli Matri sit similis in naturâ assumptâ; secus Spiritu

Sancto; & ideo Christus dicitur Filius Virginis, & Virgo Mater: At, Spiritus Sanctus nec Pater Christi Domini, nec Christus Filius Spiritus Sancti dici valet. Insuper, quia ex opposito varia consequuntur incommoda, videlicet, geminos in Trinitate esse Patres; & Filium ipsum esse sui ipsum patrem, eò quòd assumptionem naturæ humanæ in unitatem suppositi, etiam cum alijs divinis personis fuerit operatus; & alia plura, quæ supra insinuavimus. Et hæc de secundâ parte sufficient.

23. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, tertium præficatur theorema: *Christus Dominus quavis de Virgine Matre sit natus, potius dicitur factus, quàm natus, eò quòd virili ex semine non sit conceptus.* Etiam præsentis theorematibus probatio, quædam ex solutione dubij à Magistro in textûs litterâ producti, supra modum fulcitur.

24. Sic in litterâ ambigit Magister: Si nudo capite proferimus, Christum Dominum esse natum; & aliud sonat nasci, aliudque fieri, cur Apostolus cap. 1. ad Romanos scribit de Christo: *Factus ex semine David.* Et ad Galatas cap. 4. *Factus ex muliere?* Et respondet Magister, id Apostolum dixisse, ad ostendendam distantiam differentiamque petraræ conceptionis Christi Domini à communi aliorum hominum conceptione.

25. Quod sic expendit Magister: Christus Dominus virtute suæ insolitæ singularisque conceptionis pollet tam nati, quàm facti ratione, eò quod solâ Spiritus Sancti operatione in Virginis Matris immaculatâ alvo fuerit eius purissima caro formata; sed cæteri homines solâ nati, & non facti polent ratione; cum eorum caro virtute virilis seminis elaboretur in utero; & ideo homines dicantur filios generare, & non facere: ergo etsi Christus Dominus sit natus, rectè ab Apostolo dicitur factus, ut sic ostendat discrimen inter Christi Domini, & aliorum hominum conceptionem.

26. Sed dices: Ipse Apostolus cap. 1. ad Romanos de Christo Domino scribit: *Factus ex semine David.* ergo quia in Christi Domini conceptione semen hominis intervenit; sed ex eo quòd semen hominis eius conceptioni intervenerit, nulla distantia, aut differentia inter Christi Domini, & aliorum hominum conceptionem valet deprehendi: igitur Magistri ratio non abluat difficultatem adductam.

27. Respondet Magister negando Consequentiam. Quia, etsi Apostolus dicat Christum factum fuisse ex semine David, non intendit asserere, semen hominis eius supervenisse conceptioni; sed quòd

ex carne Virginis, quæ ex semine David processit, carò Christi Domini fuerit formata. Et hæc de tertiâ, & vltimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

Q V Æ S T I O N E S.

28. **Q** V Æ S T I O 1. An tota Trinitas fuerit causa efficiens Incarnationis? De quò, *hic dist. 1. q. 18.*

29. **Q** u æ s t i o 2. An nomen, & ratio doni propriè, & solitariè conveniat Spiritui Sancto? De quò, *tom. 1. dist. 11. q. 6.*

30. **Q** u æ s t i o 3. An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio? De quò, *tom. 1. dist. 11. q. 2.*

31. **Q** u æ s t i o 4. An Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti? De quò, *tom. 1. dist. 5. q. 3.*

32. **Q** u æ s t i o 5. An Charitas sit donum aliquod creatum à Spiritu Sancto distinctum? De quò, *tom. 1. dist. 14. q. 2.*

33. **Q** u æ s t i o 6. An sententia Magistri de hac re sustineri possit? De quò, *tom. 1. dist. 17. q. 4.*

34. **Q** u æ s t i o 7. An Christus D. sit verus Filius Immaculatæ Virginis Mariæ? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 6.*

35. **Q** u æ s t i o 8. An Christus, vt homo, sit Filius naturalis, proprius, aut adoptivus Dei? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 5.*

36. **Q** u æ s t i o 9. An Incarnatio sit opus Dei, vt vnus, an vt trini? De quò, *hic dist. 1. q. 15.*

37. **Q** u æ s t i o 10. An Christus Dominus, etiam vt homo, possit dici propriè servus? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 5.*

38. **Q** u æ s t i o 11. An Beata Virgo Maria sit appellanda genitrix Dei? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 6.*

39. **Q** u æ s t i o 12. An in Conceptione Filij fuerit aliquid Spiritui Sancto cooperata Beata Virgo Maria? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 6.*

40. **Q** u æ s t i o 13. An Incarnatio Filij Dei debeat appropriari Spiritui Sancto? De quò, *hic dist. 1. q. 18.*

41. **Q** u æ s t i o 14. An Christus Dominus possit dici Filius Spiritus Sancti? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 6.*

DE MODO VTRIVSQVE NATVRÆ, QVIPÈ
 affumentis, & assumptæ.

DISTINCTIONIS QVINTÆ
 Synopsis.

*Nec credas aliam quòd sumat hypostasis una,
 Etsi naturas continet una duas.*

Sic incipit : *Præterea.*

Sic terminat : *Dico: est.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de agente, seu authore, quo formata est natura assumpta à divino Verbo; sed in præsentî determinat de modo vtriusque naturæ, quippè affumentis, & assumptæ, sive an assumens, & assumptum habeant rationem naturæ, vel personæ: ergo haud dubiè rectæ connexioni adherent.

2. Consequentia probatur: Priùs est assignare authorem, quo formata est natura assumpta à divino Verbo, quam de vtriusque naturæ, affumentis scilicet, & assumptæ, sive an assumens, & assumptum habeant rationem naturæ, vel personæ, indagare, eò quòd hæc inquisitio supponat naturam formatam, & formationis illius authorem: ergo si modò Magister determinat de vtrâque naturâ assumptâ, & affumente, sive an assumens, & assumptum ratione naturæ, vel personæ polleant; postquam de authore, quo formata est natura à Verbo divino assumpta, egerat in antecedenti, reverà à recto connexionis tramite non disidet.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ tenet Magister, personam divinam-humanam assumptisse naturam. In secundâ verò sustinet, quòd etsi natura divina in personâ Filij possit dici incarnata; nonquàm tamen valer dici simpliciter caro facta. In terciâ autem, & ultimâ tuetur parte, Verbum divinum hominis personam non assumptisse.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ indagine, hæc prima præfigitur conclusio: *Hactenus, ex cuncto Catholicorum cœtu, nullus asseruit, personam assumpsisse personam, aut naturam absolutè naturam.* In cuius validum titulum, quadruplicatam adducit quæstionem Magister, eisque plenam ac subtilem adhibet solutionem.

5. Sic primam, secundam, & tertiam proponit quæstionem Magister. Primò: *An persona assumpserit personam?* Secundò: *An natura assumpserit personam?* Tertiò: *An persona assumpserit naturam?* Et respondet Magister his tribus dubitationibus satis perfunctoriè in litterâ, videlicet, personam non assumpsisse personam, nec naturam personam, sed personam naturam.

6. Quod aliquibus Augustini testimonijs indivisè suadet Magister. Primò in lib. de fide ad Petrum, cap. 2. his expressis alloquitur verbis: *Deus Verbum non accepit personam hominis, sed naturam:* ergo quia persona non accepit personam, nec natura personam, sed persona naturam.

7. Secundò ex eodem Augustino in litterâ idipsum probat Magister: *Sic Deus humanam naturam in unitatem personæ suscepit, quod se humilians per misericordiam, incorruptæ Virginis, uterum ex eâ nasciturus implevit:* ergo quia persona naturam humanam suscepit, & non persona personam, aut natura personam.

8. Tertiò, in aliam pergit cum Augustino probationem Magister. Sic ad rem eodem in libro, ipsoque in capite affatur: *Dei Filius Unigenitus, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis animæque rationalis incarnatus est; sed Filiû Dei Unigenitum susceptione carnis animæque rationalis incarnari, nihil aliud indicit, quam personam assumere naturam, & non personam personam, aut naturam in personam:* ergo. Hactenus de triplici à Magistro compressè adductâ quæstione.

9. Quartam, & ultimam in hunc præfigit modum quæstionem Magister: *An natura assumpserit naturam?* In cuius responsione maximè intentos, dubitationibus æstuantem, & contradictionibus irretitos quamplures Classicos adinvenit Doctores Magister in litterâ. Eorum rationes brevè perhibemus calamo, & Magistri proprium ac litteralem aperiemus sensum.

10. Primò: Quod natura non assumpserit naturam, videtur expressè docere Concilium Toletanum Sextum, cap. 1. hæc verborum serie: *Solus tamen Filius accepit hominem in singularitatem personæ, non in unitatem divinæ nature, id est, quod est proprium Filij, non quod commune est Trinitati:* igitur naturam divinam humanam non assumpsisse, eò

quòd Filius in singularitatem personæ, & non in vnitatem naturæ eam acceperit, Concilium statuit.

11. Secundò, consentaneè his Concilium Vndecimum Toletanum decernit: *Vnius substantiæ credimus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non tamen dicimus, vt huius trinitatis vnitatem Maria Virgo genuerit; sed tantum Filium, qui solus naturam nostram in vnitatem personæ suæ assumpserit: ergo quia solus Filius, quem Beata Maria Virgo genuit, naturam nostram in vnitatem personæ suæ assumpsit; ac proindè natura divina humanam non accepit naturam.*

12. Tertiò, etiam hæc in eodem Concilio inveniuntur verba: *Incarnationem quoque huius Filij Dei tota Trinitas operata esse credenda est: Solus tamen Filius formam serui accepit in singularitatem personæ: ergo* quanvis tota Trinitas incarnationem Verbi sit operata; tamen solus Filius formam serui accepit in singularitatem personæ; sed quo pacto sic eam acceperit, natura divina non assumpsit humanam: ergo.

13. Quòd autem natura divina humanam assumpserit, primò Augustinum in litterâ approbasse videtur, & præsertim lib. de fide ad Petrum cap. 2. dicentem: *Illam enim naturam, que semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, vt nasceretur ex Virgine: ergo quia natura divina humanam suscepit, nisi fortè natura pro personâ hinc accipiatur.*

14. Secundò, Augustinus ipse expressè de hac re lib. 1. de Trinit. cap. 1. alloquitur: *Forma Dei accepit formam serui; sed formæ Dei nomine, natura significatur divina: ergo quia hæc humanam assumpsit naturam.*

15. Tertiò, Divus Hilarius lib. 12. de Trinit. idipsum amplè confirmat: *Esse in formâ Dei non alia intelligentia est, quàm in Dei manere naturâ; sed in Dei manere naturâ, nihil aliud sonat, quàm naturam assumere naturam: ergo.*

16. Quartò, Doctorum Maximus Hieronymus in Explan. symb. ad Damalium, sic suum in huius opinionis subsidium calculum adhibuit: *Passus est quod pati poterat, idest, non secundum illam substantiam, que assumpsit; sed secundum illam, qua assumpta est; sed ex his claret, divinam substantiam humanam assumpsisse carnem: ergo.*

17. His ita perpenlis ex vnâ ac aliâ opinionibus parte, subinfert Magister. Primò, personam Filij assumpsisse humanam naturam; & divinam naturam in personâ Filij humanæ naturæ copulatam, necnon ipsam naturam divinam incarnatam fore: Secundò deducit, quòd etû crebrò dicatur, solum Filium naturam, siue formam sibi arro-

gasse humanam, sub hac tamen exceptione, divina non comprehenditur natura; cum duntaxat id proferatur, quia huiusmodi assumptio in Patris, vel Spiritus Sancti personam non fuit operata. Tertio observat, quod dum legitur, proprium esse Filij naturam humanam assumere, hæc hunc vertere sensum verba, nempe, Deum humanam sibi copulasse naturam in propria hypostasi Filij, & non in tribus personis.

18. Quod revera egregie expendit Magister in litteram gemino Damasceni lib. 3. de orthodoxa fide, cap. 6. testimonio. Sic primum suppeditat: *In humanatione Dei Verbi dicimus, omnem, & perfectam naturam deitatis in unam eius hypostaseon incarnatam esse, idest, unitam humane nature, & non partem parti.* Secundum cap. 7. eiusdem suggerit libri: *Quando dicimus naturam Verbi incarnatam esse, secundum Athanasium, & Cyrillum, deitatem dicimus esse unitam carni, & unam naturam Dei Verbi incarnatam consistemur: igitur natura divina fuit incarnata in Filij personam, quia sibi humanam copulavit carnem. Et hæc de prima distinctionis parte sufficienter.*

19. PRO SECUNDE vero distinctionis partis dilucidatione, secunda præfigitur conclusio: *Esti naturam divinam in Filij personam fore incarnatam sit concedendum; non tamen eandem fuisse carnem factam simpliciter est tenendum.* Quam probat Magister in litteram ex geminati dubij gnaram ac subtili solutione.

20. Sic primò res ambigitur à Magistro: *An sicut natura divina valet dici incarnata; sic pariformiter possit enunciari quod sit caro facta.* Nam quemadmodum ratione incarnationis Verbum divinum dicitur caro factum, etiam ipsa divina natura vi incarnationis possit fieri caro facta. Et respondet Magister, præfatam loquutionem simpliciter esse negandam, nè conversio nature in naturam significari putetur: Unde, si in sacra pagina quandoque invenitur, quod natura divina sit caro facta, exponendum venit, quod sit idem, ac incarnata: ergo quanvis sit concedendum, quod natura divina in Filij personam sit incarnata, non idè simpliciter erit tenendum, quod eadem sit caro facta.

21. Secundò, sic aliud controvertit dubium Magister: *Si natura divina assumpsit humanam, quare ratione illius assumptionis natura divina non dicitur homo facta, vel esse? Non enim Verbum divinum titulo assumptionis nature humane dicitur factum esse homo, vel esse? Ergo & cur natura divina eiusdem assumptionis vigore natura humana in Filij personam quippe, non poterit dici homo facta, vel esse?*

22. Et respondet Magister: *Quod licet Verbum divinum titulo assumpt-*

assumptionis naturæ humanæ dicatur factum esse homo, vel esse: nihilominus natura divina non valet dici homo facta, vel esse, etsi eandem humanam in Filij personâ assumpserit naturam; quia natura divina non humanam sibi copulavit naturam in unitate naturæ, quemadmodum Verbum eam sibi arrogavit in unitate personæ: ergo quavis natura divina humanam assumpserit, non ideo poterit dici homo facta, vel esse; ac proinde, etsi naturam divinam in Filij personâ fore incarnatam sic concedendum; non tamen eandem fuisse carnem factam simpliciter erit tenendum.

23. Sed oppones in hanc Magistri doctrinam: De omni eo, de quo prædicatur Filius Dei, prædicatur homo; sed hæc propositio est vera: Divina natura est Filius Dei: ergo & illa: Divina natura est homo: ergo cum natura divina humanam assumpserit in Filij Dei personâ, iure optimo dici poterit homo facta, vel esse homo.

24. Respondetur ex Magistro in litterâ negando Consequentiam, & fortasse Maiorem. Nam Filius Dei est suppositum naturæ humanæ assumptæ, non sic divina natura, etsi eam in Filij personâ assumpserit; & ideo hæc prædicatio magis propria censetur: Filius Dei est homo; quàm illa: Divina natura est homo. Unde Magister non simpliciter eam negat, sed ait, non ita esse propriam, nec crebrò in usum adducendam, ac aliam; cum præfatus loquutionis modus nimiam videatur præcontingere expressionem. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

25. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis intelligentiâ, tertia statuitur conclusio: *Personam hominis Verbum non assumpsit divinum, sed accipiendo sibi naturam copulavit, & copulando accepit, sicque personalitatem prævenit.* In huiusmodi ergo asserti propugnationis gratiam tenet Magister, Verbum non assumpsisse hominis personam; quia caro humana, & rationalis anima, quam Verbum accepit, ante sui assumptionem, nullam construebant personam.

26. In præfatam conclusionem bifariam aggreditur Magister: Primò sub hæc formâ. *Persona est rationalis naturæ individua substantia; sed anima rationalis est individua substantia naturæ rationalis: igitur rationalis anima est persona; sed Verbum divinum assumpsit rationalem animam: ergo & personam.*

27. Respondet Magister, rationalem animam carni unitam non pollere propriâ ratione personæ, sed tantum à corpore separatam: Cum ergo Verbum divinum rationalem animam à corpore separatam non assumpserit, sed ipsi copulatam, benè colligitur, ipsum personam non assumpsisse.

28. Secundò arguit Magister aliquibus Augustini, & sacrae paginae expressis testimonijs validè fretus. Primò, sic in Expos. symb. scribit Aurelius : *Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum à Filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit.* Secundò, lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. ait : *Ille homo à Verbo est assumptus : Ille homo factus est Christus.* Tertiò, ex Prophetâ de Christo homine alloquente, Psal. 64. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, &c.* ergo quia Verbum assumpsit hominem ; sed homo est persona : ergo videtur Verbum assumpsisse personam.

29. Respondet Magister, præmissa Augustini testimonia, eisque quamplura similia, in hoc utique sensu fore capienda, videlicet, quòd dum dicitur Verbum divinum assumpsisse hominem, ly homo, accipiatur pro naturâ humanâ, & non pro personâ ; ita, ut hunc aptissimum referat sensum, assumpsit hominem, id est, humanam naturam ; sicque Verbum divinum nunquam personam accepit.

30. Tandem pro distinctionis calce studiosè animadvertimus, Magistrum hic in textûs litterâ, etsi obiter, asseruisse, rationalem animam separatam à corpore esse personam. Hoc etenim confidenter improbant Parisienses, gravique censurâ taxant : Sed immeritò ; cum alia, ac diversa sit Magistri mens, quam deprehenditur à Parisiensibus. Nam rationalis anima nec separata à corpore, nec ipsi unita est persona, eò quòd substantiæ completæ nec nomen, aut rem fortiri valeat ; sed tantùm esse partem humanæ substantiæ completæ constitutivam.

31. Nec abnuitur ita fuisse à Magistro ; sed duntaxat ab ipso dicitur, rationalem animam separatam à corpore subsistere per se, tanquam substantiam, seu personam completam ; quod hæcenus à nemine exploditur : Quamobrem potius vox, quam Magistri mens aberrat à philosophico seopo. Er hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

32. **QVÆSTIO 1.** An natura divina personam, aut persona personam assumpsit? De quò, *hic dist. 2. q. 7. & 8.*

33. **Quæstio 2.** An plures personæ divinæ possint eandem numero creatam naturam assumere? De quò, *hic dist. 1. q. 13.*

34. **Quæstio 3.** An vna persona divina plures possit creatas assumere naturas? De quò, *hic dist. 1. q. 13.*

35. **Quæstio 4.** An Verbum divinum assumpsit naturam subsistentem, aut assumere potuit? De quò, *hic dist. 2. q. 7.* Quæ-

36. Quæstio 5. An Verbum divinum assumpsit totam humanitatem? De quò, *hic dist. 2. q. 8.*
37. Quæstio 6. An natura divina potuit immediatè vniri naturæ humanæ? De quò, *hic dist. 1. q. 16.*
38. Quæstio 7. An Incarnatio sit opus totius Trinitatis? De quò, *hic dist. 1. q. 18.*
39. Quæstio 8. An Trinitas sit causa efficiens Incarnationis? De quò, *hic dist. 1. q. 18.*
40. Quæstio 9. An natura humana fuerit immediatè vnita divinitati, aut propriæ subsistentiæ Verbi? De quò, *hic dist. 1. q. 15.*
41. Quæstio 10. An processiones divinæ sint immediatè per naturam? De quò, *tom. 1. dist. 5. q. 1.*
42. Quæstio 11. An essentia divina sit generans, aut genita? De quò, *tom. 1. dist. 5. q. 8.*
43. Quæstio 12. An Christus vt homo, sit Filius naturalis, proprius, aut adoptivus Dei? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 5.*
44. Quæstio 13. An vna persona divina sine altera potuit incarnari? De quò, *hic dist. 1. q. 19.*
45. Quæstio 14. An natura divina debeat dici caro facta, sicut Verbum caro factum dicitur? De quò, *hic dist. 1. q. 16.*
46. Quæstio 15. An Christus Dominus dicens sit duo propter dualitatem naturæ, aut vnus propter vnitatem suppositi? De quò, *hic dist. 1. q. 17.*
47. Quæstio 16. Quid sit persona, & an formaliter constituatur aliquo positivo, aut negativo? De quò, *tom. 1. dist. 23. q. 1.*
48. Quæstio 17. An subsistentia realiter distinguatur à naturâ? De quò, *tom. 1. dist. 23. q. 2.*
49. Quæstio 18. An detur subsistentia absoluta, & communis tribus divinis personis? De quò, *tom. 1. dist. 5. q. 2.*
50. Quæstio 19. Quid sit vnio hypostatica? De quò, *hic dist. 2. q. 1.*
51. Quæstio 20. An vnio hypostatica sit distincta ab humanae naturæ vnione? De quò, *hic dist. 2. q. 1. c. 4.*
52. Quæstio 21. An vnio hypostatica sit omnium maxima? De quò, *hic dist. 2. q. 2.*
53. Quæstio 22. An vnio hypostatica sit ab extremis distincta? De quò, *hic dist. 2. q. 4.*
54. Quæstio 23. An vnio hypostatica sit accidens, vel substantia? De quò, *hic dist. 2. q. 5.*

DE LOQVVTIONIBVS EXPERIMENTIBVS
divini Verbi incarnationem.

DISTINCTIONIS SEXTÆ

Synopsis.

*Corporis ac animæ qualis foret unio Christi,
Prendere Doctores non potuere prius.*

Sic incipit : *Ex præmissis.*

Sic terminat : *Testimonia.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de conditionibus constituentibus actum unionis naturæ humanæ cum divino Verbo, siue an assumens, & assumptum habeant rationem naturæ, aut personæ; sed in præsentî determinat de conditionibus unionis actum consequentibus: ergo rectè inter se hæc distinctiones coherere videntur.

2. Consequentia probatur: Prius est constituere unionis actum naturæ humanæ cum divino Verbo, quàm de conditionibus ipsum consequentibus determinare; eò quòd istæ ex unionis constitutivò tanquam rivuli ex fonte promanare videantur; sed Magister in superiori distinctione egit de conditionibus constituentibus unionis actum naturæ humanæ cum divino Verbo: ergo modò de ipsius unionis conditionibus actum consequentibus determinare, haud dubiè erit concinnam connexionis servare methodum.

3. Dividitur præsens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ quædam proponit quæstiones Magister, videlicet, an Deus factus sit homo, vel homo factus sit Deus, & huiusmodi. In secundâ verò, antiquorum opiniones circa præsentem materiam, siue Verbi divini incarnationem refert, & non refellit, sed infixò aculeo fugit Magister.

4. **P**RO PRIMÆ igitur partis plenissimo captu, in primum theorema: *His loquutionibus: Deus factus est homo: Homo factus est Deus, alijsque consimilibus, ægerrimè possumus responsonem præbere. Quod clarè*

in-

inducunt ea, quæ textus littera continet. Sic ibi affatur Magister: *In huius profunditatis reſeruatione, & ſcrupuloſæ quaſtionis expoſitione, plurimum diſſerre inveniuntur Sapientes.* Unde geminas ex his abſtruſas con-
 tortalque oriri quaſtiones, ſatis indicit Magiſter.

5. Primum ſic præfigit quaſitum Magiſter: *An Deus factus ſit ali-
 quid, vel aliquid dicatur eſſe Deus; cum paſſim ab omnibus ſtatuatur,
 Filius Dei factus eſt homo, Deus eſt homo, & homo eſt Deus.* Se-
 cundum etiam hiſ verbis præficit dubium Magiſter: *An ſicut benè di-
 citur; Deus homo factus eſt; ſic benè dici valeat: Homo factus eſt Deus?*

6. Et reſponder Magiſter, valdè arduum cenſeri appoſitis dubijs
 ſolutionem parare, eò quod Claſſici Doctores in eorum ſolutionibus
 maximè inter ſe arietare, ſuumque arbitrium congeſtè adſcribere
 videantur. Quamobrem eas modo miſſas facit Magiſter ad ſequen-
 tem diſtinctionem uſque, ubi varias Doctorum pro eiſdem dubijs
 abluendis reſponſiones adducit. Et hæc de primâ diſtinctionis parte
 ſufficiant.

7. PRO SECVNDE verò, & ultimæ diſtinctionis partis ſolerti
 examine, ea ſecundum theoremata: *Tres extant hic in litterâ antiquorum
 opiniones de Verbi divini admirabili incarnatione.* Cuius probatio ſolum
 deſumitur ex nudâ illarum litterali narratione, quin eas ad linam
 iam nunc advocare intendat Magiſter, ſed potiùs arguta ipſarum diſ-
 cuſio arbitrio legentium vtrò committit.

8. Prima veterum Doctorum olim ſententia aſſerebat, duo in
 Chriſto Domino elucere ſuppoſita: Vnum creatum, quod eſt homo
 in humanâ naturâ ſubiſtens; & increatum aliud, quod eſt ipſum di-
 vinum Verbum ſubiſtens in naturâ divinâ.

9. Verùm hæc opinio complura præcontinet, ex Magiſtro, me-
 ditatione digna. Primò, quòd eſt geminum in Chriſto conſtruat
 ſuppoſitum; tamen vnâ duntaxat attruit in ipſo perſonam, nempe,
 perſonam Verbi divini; quia ſuppoſitam creatum in Chriſto Domi-
 no non importat perſonam, cum digniori ac perfectiori ſuppoſito,
 divino quippè, extet vnitum; & perſona exprimat ſuppoſitum ad
 dignitatem expectans. Unde, eſt duo in Chriſto Domino, iuxta hanc
 ſententiam, deprehendantur ſuppoſita, vna tamen in eo ſupereminet
 perſona.

10. Secundò, conſentaneè iſjs ſubiungit opinio, corpus, & ani-
 mam Chriſti Domini, non temporis, ſed naturæ ordine, priùs invi-
 cem fuiſſe vnita ad hominis conſtitutionem; ac proindè hominem ex
 corpore & animâ conditum, fuiſſe à divino Verbo aſſumptum: Cum

autem homo suppositi nomen iure optimo fortiat, recto illationis tramite defensat opinio, duo in Christo Domino supposita, vnum creatum, & increatum aliud, certò certius morari.

11. Tertiò sustinet opinio, proprietatem vnus suppositi in Christo Domino non prædicari absolutè de alterâ, sed quadâm cum reduplicatione. Quapropter hæc propositio non est concedenda: Hic homo, demonstrato Christo, est æternus, nisi apponatur, in quantum Deus est. Consimiliter & ista: Hic homo est mortuus, etiam designato Christo, nisi adijciatur, in quantum homo est.

12. Quartò tandem tenet opinio, quòd divini Verbi persona non fuit magis composita post naturâ humanâ à Verbo divino assumptionem, quàm ante, eò quòd homo assumptus ad personâ divinâ unitatem non pertineat. Hæc etenim sententia quâdam Divi Augustini, & Hilarij in sui validum fulcimentum autoritates producit in litterâ.

13. Divus Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 19. sic scribit: *Cùm legitur Verbum caro factum est, in Verbo intelligo verum Dei Filium; in carne agnosco verum hominis Filium; & utrumque simul vnâ personam, Deum, & hominem ineffabilis gratiæ largitate coniunctum; ergo videtur, duo in Christo Domino elucere supposita, creatum vnum, & increatum aliud, et si vnâ tantum personam; cùm homo sit nomen suppositi, & in concreto vnitus supposito non constituat personam.*

14. Intuper in Enchir. cap. 38. hæc profert Augustinus verba: *Christus Iesus Deus de Deo est, homo autem natus est de Spiritu Sancto ex Mariâ Virgine. Vtrumque vnus, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem; sed ex eo quòd Christus Dominus sit vnus, et si aliud propter Verbum, & aliud propter hominem, reverâ duo in ipso meditantur supposita, creatum vnum, & increatum aliud, et si vna persona: ergo.*

15. Ulteriùs, Divum Hilarium hanc fovisse opinionem lib. 10. de Trinit. aliquibus placuit. En eius verba: *Christum non ambigimus esse Deum Verbum, neque rursus Filium hominis ex animâ, & corpore constituisse ignoramus; ergo quia Filius hominis non est compositus ex naturâ, aut personâ Verbi, sed ex animâ & corpore: igitur Christus Dominus, in quantum homo, non subsistentiam increatam, sed creatam amplectitur, quâ in concreto sit homo; sicque duo supposita, & persona vna Christo Domino assident.*

16. Secunda sententia, quam in textûs litterâ recenset Magister, propugnat, vnum tantum in Christo Domino esse suppositum, vnamque

que solum personam. Vnde, in vberiore ipsius explanationem, nonnulla præfata opinio adijcit consecutaria.

17. Primò, hæc asserit sententia, Corpus Christi Domini, eiusque rationale animam fuisse prius naturâ, & non tempore, vnita, non ad suppositi, sed ad naturâ humanâ solitariam constitutionem; sicque inuere vnionis naturâ humanâ cum divino Verbo constituitur subsistens, & simul constituit hominem.

18. Secundò, primæ opinionis oppositum firmat, videlicet, vnum esse in Christo Domino suppositum, vnamque personam in duabus naturis subsistentem, divinâ quippè, & humanâ.

19. Tertio deducit, vi vnitatis suppositi Christi Domini in duplici naturâ, creatâ scilicet, & increatâ, valent verè prædicari de Christo Domino nomina significantia vtriusque naturæ attributa, v. g. Deus est mortuus: Hic homo est æternus, & sic de alijs consimilibus propositionibus.

20. Quarto subinfert, quòd post naturâ humanâ assumptionem, Verbi divini persona evasit composita, cum prius fuerit simplex; non quidem compositione quasi ex partibus, vnde totum resulteret; sed quia Verbi divini persona, quæ ante incarnationem in vnâ tantum erat subsistens personâ, post incarnationem in duabus subsistit naturis.

21. Etiam, qui hanc tuentur opinionem, pluribus Damasceni ac Augustini se muniunt autoritatibus, quæ in textûs litterâ ad longum possunt à legentibus lustrari. Nos autem vnâ, aut aliam decrevimus in huius sententiæ adiungere gratiam. Primò ex Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 17. dicente: *Ex vtrâque ergo substantia, & divinitatis, & humanitatis vnus atque idem est Deus; Dei, & hominis Filius Iesus Christus, vt verus Deus, ita etiam homo verus.* Ergo quia Christus Dominus verè est persona composita ex duabus naturis, divinâ, & humanâ.

22. Secundò ex ipso Augustino, eodem in libro ac capite apprime scribente: *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona: Ac per hoc iam est ex tribus, Deo, anima, & carne.* Ergo satis expressè alloquitur Augustinus in thesis contemplationem, quòd Christus Dominus sit persona composita ex deitate, & humanitate, tanquam ex geminatis naturis.

23. Tertio, id ipsum sic consuadet Damascenus lib. 3. de fide orthod. cap. 5. & seqq. *In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas agnoscimus, vnâ autem hypostasin ex vtriusque compositam:* ergo quia in Christo Domino vnum elucet suppositum, vnaque persona ex duabus

bus naturis, humanâ quippè, & divinâ, composita.

24. Quartò, sic ibidem affatur Damascenus: *Incarnatus est ergò Christus ex Virgine assumens primitias nostra masse, ut ipsa existeret carni hypostasis, quæ Dei Verbi hypostasis etiam composita, & facta fuerit, quæ prius simplex erat Verbi hypostasis: Composita verò ex duabus perfectis naturis deitate, & humanitate: igitur persona Verbi divini, et si prius simplex fuerit, si vè ante incarnationem; tamen post naturæ humanæ assumptionem, duabus naturis composita eluxit; non compositione ex partibus, unde totum resultat; sed quia Verbi persona, quæ in vnâ tantum naturâ ante incarnationem subsistebat, post illam in duabus subsistit.*

25. Tertiâ sententiâ hâc etiam tradita à Magistro sustinet, Verbum divinum humanam assumpsisse naturam, ut habitum, si vè indumentum. Quæ in sui propagnationem quatuor in litterâ observare videtur.

26. Primum, animam rationalem Christi Domini, ipsiusque corpus vicissim diuisa, omnique compositione eliminatâ inter se, fuisse à Verbo divino assumpta, ita ut dum dicimus, Filius Dei assumpsit naturam humanam, vertat hunc sensum, assumpsit partes humanæ naturæ, quæ humana natura dicuntur, quemadmodum partes domûs, dicuntur domus.

27. Secundum, quòd anima Christi Domini, eiusque corpus Verbi divini personalitatem non referunt, sed veluti quoddam extrinsecum se habent ad illam, sicut passim de indumento respectu hominis dicimus; atque adeò Christus Dominus solum extrinsecè est homo, et si dicatur esse, & fieri hominem, quia humanitatem extrinsecè induit, quâ in formâ visibili hominis mundo apparuit.

28. Tertium, quòd corpus animæque rationalis Christi Domini solum accidentaliter per modum extrinseci habitûs fuerunt Verbo divino vnita, quemadmodum vestis corpori vnitur; sicque persona Verbi nec componit hominem, nec intrinsecè, sed extrinsecè solum est homo.

29. Quartum, ex arctatâ illatione hâc observat opinio, in Christo Domino vnâ duntaxat esse personam, non compositam, sed æque simplicem post assumptionem naturæ humanæ à Verbo divino, ac ante; eò quòd solum accidentaliter per modum extrinseci habitûs fuerit ipsi vnita.

30. Pro hac opinione etiam eius Affectæ nonnulla ex Sanctis Patribus congerunt testimonia. Primò ex Augustino exponente illud

Apostoli ad Philip. cap. 2. *Habitu inventus ut homo, &c.* ibique enodare ostendente, Filium dici factum esse hominem, vel esse hominem secundum habitum; sed ex eo quod factus sit homo, vel sit homo secundum habitum, solam extrinsecè est homo: ergo.

31. Secundo, eodem ex Augustino lib. 4. de Trinit. cap. 21. sic suum promouent assumptum: *Si queritur incarnatio quomodo facta sit, ipsum Verbum Dei dico carne factum, id est, hominem factum, ut carnalibus membris congruenter appareret indutum;* sed Verbum Dei carne factum, sic carnalibus membris congruenter apparere indutum, reverà est, extrinsecè solam esse hominem: ergo.

32. Tertio, ipso semper assiduo comite Augustino lib. 2. contra Maximinum, cap. 22. his suadent verbis intentum: *Cum esset per seipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est:* ergo solum Christus Dominus est, vel dicitur homo, quia cum esset invisibilis, visibilis inter homines apparuit homo.

33. Quarto, etiam sic Divi Hilarij suffragio lib. 10. de Trinit. tentant opinioni novum adijcere robur: *Quomodo Dei Filius natus est ex Maria, nisi quia in formâ Dei propter naturam divinam; & in formâ servi ex conceptione Spiritus sancti secundum hominis habitum reperiens est. Non fuit habitus ille tantum hominis, sed ut hominis:* igitur solum Christus Dominus fuit Beatissimæ Virginis Matris Filius, quia formâ, & habitu hominis reperiens est homo; quod nihil intrinsecum cogè adhibere videtur.

34. Quintò tandem, hâc ratione, sive congruentiâ vrgent præfata opinionis sequaces; Deus assumens naturam humanam, factus est homo: ergo quia propter acceptum hominem, dicitur Deus verè esse homo; & propter assumentem Deum, dicitur homo esse Deus: ergo si essentialiter, inquirunt, Deus esset homo, vel homo esset Deus; si tunc Deus assumpsisset hominem in sexu muliebri; & mulier essentialiter Deus esset; & Deus essentialiter mulier; sed potuit Deus assumere hominem in sexu muliebri: ergo & potuit mulier esse essentialiter Deus; & Deus essentialiter mulier: ergo cum non mediocre absurdum hæc in nos ingerere videantur, necessariò sustinere debemus, Christum Dominum solum extrinsecè apparenterque hominè fuisse.

35. En modò triplicem Doctorum Veterum opinionem, quas Magister in hac distinctione adducit, easque discussioni examiniq; legentium relinquit. At in distinctione sequenti rem hanc pro dignitate tractare videtur. Ibi enim acum credo inveniet Lector, si acumen querat; cum nihil possit nec addi, nec adimi. Nos autem coronidem

his imponimus distinctioni. Et hæc de secundâ, & vltimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

36. **QVÆSTIO 1.** An istæ locutiones: Deus factus est homo: Deus est homo: Homo est Deus, catholicum vertant sensum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. *dist.* 7. q. 1. art. 1. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. *disp.* 16. art. 1. & *seqq.* Camerarius tom. 3. q. 16. art. 1. & *seqq.* Nicolai in 3. *dist.* 7. q. 2. art. 1. & 2. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. *tract.* 1. *disp.* 8. *dub.* 1. Rayner. de Pilsis *verb. incarn. cap.* 6. & *seqq.*
37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. *dist.* 7. q. 1. & 2. *Maltrius tom.* 3. *disp.* 2. q. 11. art. 1. Poncius *tract.* 11. *disp.* 40. q. 3. & in *Comment. in* 3. *dist.* 1. num. 3. & 14. Bellutus in 3. *disp.* 25. q. 2. *Vulpes disp.* 18. art. 4. Gallus in 3. *dist.* 7. q. 1. *cap.* 1. Delgadillo 2. p. *cap.* 18. *difficul.* vnic. *dub.* 6. Rada in 3. *controv.* 8. art. 1. & *seqq.* Felix de *incarn. cap.* 21. *difficul.* 2. & 3. Aquila in 3. *dist.* 7. q. 1.
38. Ex Scholâ Eximâ Suarez 3. p. tom. 1. *disp.* 35. *sect.* 1. *Munieffa de incarn. disp.* 2. *sect.* 7. & 8. Aranda lib. 1. *disp.* 1. *sect.* 5. §. 2. & *disp.* 4. *sect.* 2. §. 4. Lugo *disp.* 23. *sect.* 1. & 2. Bernal *disp.* 45. *sect.* 2. *Marta Perez de incarn. disp.* 40. *sect.* 1. & *seqq.* Rhodès *tract.* 7. *disp.* 2. q. 5. Peña-fiel tom. 4. *disp.* 11. *sect.* 2.
39. Ex alijs D. Bonaventura in 3. *dist.* 7. q. 1. & 2. Gabriel in 3. *dist.* 7. q. 1. art. 3. Estius in 3. *dist.* 7. §. 2. Eutach. à S. Paulo p. 2. *tract.* 1. *disp.* 10. q. 3. Baldius lib. 2. *quasit.* 2. q. 10. *difficul.* 6. & *seqq.* Caspens. tom. 2. *tract.* 20. *disp.* 9. *sect.* 2. Baudun. *tract.* 1. q. 17. art. 1. Bonaspei tom. 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *dub.* 6.
40. **Questio 2.** An persona Christi Domini sit propriè, & verè composita? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 2. art. 4. Godoy in 3. p. *tract.* 2. *disp.* 10. §. 1. & *seqq.* Prudentius de *incarn. tract.* vlt. *disp.* vlt. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. *disp.* 4. q. 2. art. 4. Genetus tom. 4. *tract.* 1. *disp.* 6. art. 2. Camerarius tom. 3. q. 2. art. 4. Nicolai in 3. *dist.* 6. q. 1. art. 6. & q. 2. art. 3. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. *tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 3. Cayetanus 3. p. q. 2. art. 4. Medina in 3. q. 2. art. 4. Victoria 3. p. q. 2. art. 4.
41. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. *dist.* 6. q. 3. *Mastrius tom.* 3. *disp.* 2. q. 2. art. 1. Boyvin 2. p. *cap.* 3. q. 6. Durand tom. 3. *tract.* 4. *disp.* 5. q. 2. Bellutus in 3. *disp.* 2. q. 2. Faber in 3. *disp.* 16. q. 1. Delgadillo p. 1. *cap.* 1. *difficul.* 7. *dub.* 4. Rada 3. p. *controv.* 3. art. 3. Felix de *incarn. cap.* 5. *difficul.* 3. Cavellus in *Schol. in* 3. *dist.* 6. q. 3.

42. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 7. sect. 4. & disp. 8. sect. 1. Vazq. in 3. p. disp. 16. cap. 1. Aranda lib. 1. disp. 1. sect. 5. §. 2. Bernal disp. 13. sect. 3. & seqq. Mart. Perez disp. 8. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 5. sect. 2. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 8. sect. 3. Muniella de incarn. disp. 2. sect. 1. num. 19. Amicus tom. 6. disp. 9. sect. 2.

43. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 6. q. 2. art. 2. Alenf. 3. p. q. 6. memb. 2. art. 5. Baldius lib. 2. quæst. 2. q. 3. difficul. 7. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 2. sect. 3. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. 3. dub. 4. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 2. q. 3. Baudun. tract. 1. q. 2. art. 2. Estius in 3. dist. 6. §. 2.

44. Quæstio 3. In quo formalis communicationis idiomatum consistat ratio? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 16. art. 1. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 16. art. 4. dub. vnic. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 8. dub. 2. Nicolai in 3. dist. 7. q. 2. art. 1. & 2. Camerarius tom. 3. q. 16. art. 1. & seqq. Rayner. de Pisis verb. incarn. cap. 6. & seqq.

45. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 7. q. 2. Mastrius tom. 3. disp. 2. q. 11. art. 1. Poncius tract. 11. disp. 40. q. ult. Boyvin 2. p. cap. 6. q. 4. Delgadillo 1. p. cap. 5. difficul. vnic. dub. 1. Rada 3. p. contr. 1. art. 3. dub. vnic. Herincx p. 4. disp. 1. q. 10. Felix de incarn. cap. 21. difficul. 1. Vulpes disp. 18. art. 4. Gallus in 3. dist. 7. q. 1. cap. 1. & seqq.

46. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 1. disp. 35. sect. 1. Aranda lib. 1. disp. 6. sect. 1. §. 1. Coninch disp. 7. de Trinit. & 18. de incarn. Bernad disp. 45. & 46. sect. 4. §. 4. Arriaga disp. 46. sect. 2. Lugo de incarn. disp. 23. sect. 1. & seqq. Mart. Perez disp. 39. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 5. sect. 3. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 11. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 56. sect. 1. & 2. Muniella disp. 2. sect. 7.

47. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 7. q. 1. & 2. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 9. sect. 1. Baldius lib. 2. quæst. 2. q. 10. difficul. 3. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 10. q. 1. & 2. Baudunius tract. 1. q. 16. art. 1. Estius in 3. dist. 7. §. 2. & seqq. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. 6. dub. 8. & seqq. Gabriel in 3. dist. 7. q. 1. art. 3.

48. Quæstio 4. An Christus Dominus dicendus sit duo propter dualitatem naturæ, aut vnus propter vnitatem personæ? De quò, hic dist. 1. quæst. 17.

49. Quæstio 5. An vna persona divina plures naturas creatas assumere possit? De quò, hic dist. 1. q. 13.

50. Quæstio 6. An, quemadmodum in Christo Domino duplex reperitur natura; gemina etiam substantia inveniatur? De quò, hic dist. 2. q. 7.

51. *Quæstio 7. An si Verbum assumpsisset sexum muliebrem, posset dici mulier, sicuti dicitur homo, quia humanitatem accepit? De quò, hic q. 3.*

52. *Quæstio 8. An Verbum divinum per incarnationem sit mutatum? De quò, hic dist. 1. q. 1.*

53. *Quæstio 9. An vnio duarum naturarum in Christo Domino sit terminata ad unitatem personæ, aut naturæ? De quò, hic dist. 1. q. 15.*

CRISIS LOQVVTIONVM IVXTA OPI- niones prædictas.

DISTINCTIONIS SEPTIMÆ.

Synopsis.

Quæstio multiplici versans ambage Magistros,

Quod parte ex aliqua sectio sexta docet.

Quid veri teneat, dispectis omnibus, isthæc

Septima demonstrat, satque superque tibi.

Sic incipit : *Secundùm primam.*

Sic terminat : *Facit.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de conditionibus actum hypostaticæ vnionis consequentibus, siuè de nonnullis loquutionibus circa vnionem naturæ humanæ cum divino Verbo, iuxta triplicem Veterum Doctorum opinionem, quas ibi indefinitas reliquit; sed in præsentem eas differtissimè enodat, earumque fundamenta ad trutinam consultò vocat: ergo quia firmo connexionis vinculo pollent.

2. Consequentia probatur : Frequens commendataque à Philosophis disputandi methodus est, prius proponere Doctorum opiniones, ipsarumque fundamenta refert; postmodùm verò ea plaudere, aut explodere: sed Magister in superiori distinctione triplicem apposuit Veterum Doctorum opinionem de aliquibus loquutionibus, quæ ad Verbi diuini incarnationis indaginem plurimum conferunt: ergo
dum

dum eas in præfenti studiosè enodat, earumque fundamenta cogitatò trutinat, reverà totus in illarum connexionè versatur.

3. Dividitur præfens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ suum detegit nutum Magister circa triplicem illam Veterum Doctorum opinionem, quas in superiori distinctiõne refuso donavit calamo. In secundâ verò, & ultimâ expendit parte ea, in quibus præfata opiniones conveniunt, & ea, in quibus differunt.

4. PRO PRIMÆ igitur partis elucidatione, primum proponitur placitum: *Vbi varia ac diverse extant Doctorum opiniones, ibi varia ac diversa debent exhiberi solutiones.* Quod duntaxat probat Magister ex litterali ac genuinâ pro ipsis inculcatâ responsione.

5. Expendit igitur iam Magister primum superioris distinctiõnis theorema, videlicet, quòd his loquutionibus: Deus factus est homo: Homo factus est Deus, & similibus, ægerrimè possumus responsionem præbere. Quamobrem resolvit Magister, quòd hæc propositio: Deus homo factus est, sonat idem ac ista: Deus cœpit esse substantia rationalis, quæ antea non fuerat; & illa: Homo factus est Deus, idem ac ista: Illa rationalis substantia cœpit esse Deus, quod ex gratiâ habuit, non ex meritis, & naturâ.

6. Unde ad dubium illud: An Deus factus sit aliquid, vel aliquid dicatur esse Deus, eò quòd Filius Dei factus sit homo, respondet primò Magister, iuxta primam Veterum Doctorum opinionem, affirmativè, nempe, quòd Deus factus est aliquid, idest, substantia, quæ esse cœpit. Indeque secundùm appositam sententiam firmiter tenendum erit, Christum Dominum prædestinatam esse Dei Filium, non in quantum Deum, sed in quantum hominem.

7. Sed in hanc vrget solutionem Magister: Deus cœpit esse aliqua substantia; ergo quia Deus est aliquid, quod non semper fuit, sed Deus est idem, quod semper fuit, alioquin immutabilis nõ foret. ergo Deus vi assumptionis naturæ humanæ in unitatem suppositi, nec cœpit esse aliqua substantia, nec esse aliquid.

8. Respondet Magister, instantiam non premere si benè hoc perpendatur. Concedendum est enim Deum inceptisse esse aliquam substantiam, sive aliquid, non simpliciter, sed cum aliqua modificatione, quippe, secundùm carnem factus est aliquid, quod semper non fuit; non verò factus est aliquid secundùm divinitatem; sique eius immutabilitas nullam ex hoc iacturam patitur.

9. Insuper, penes secundam opinionem secundò respondet Magister, istique loquutionibus iuxta genuinum ipsarum captam solutio-

nem adhibet. Primò, dum dicimus: Deus factus est homo, & è conver-
so: Homo factus est Deus, sensus genuinus est, quòd Deus incepit
esse subsistens in duabus naturis. Secundò, alius sensus est, quòd Deus
humanam assumpsit naturam, & secundùm hanc homo dicitur à Deo
assumptus; ita vt Christus Dominus, in quantum homo, sit aliquid,
ex corpore quippè, & rationali animâ constitutus.

10. Ceterùm, iuxta hanc primam opinionem non illepidè de-
ducit Magister, humanam naturam vnitam fuisse deitati in tempo-
re, quæ vno ex gratiâ facta est, & ab æterno à Deo prædestinata;
sicque Christus Dominus in quantum homo cognitus, est prædestina-
tus, non in quantum Deus.

11. Vltèrius subiungit Magister in litterâ quamplures ac subti-
les diuersarum autoritatum solutiones, quæ insonare videntur, ho-
minem assumptum fuisse à diuino Verbo, & Christum Dominum non
vnam personam in quantum Deum, & hominem, sed diuersam esse.

12. Verùm hæc vmbracula radijs solaribus Augustinianæ doctri-
næ penitus fugat Magister in litterâ. Sic alloquitur Augustinus tract.
69. in Ioan. tom. 9. *Aliud est Verbum Dei, aliud homo; sed Verbum caro
factum est, idest homo; non itaque alia Verbi, alia est hominis persona, quo-
niam verumque est Christus vna persona.* Et lib. 3. contra Maximinum,
cap. 10. ita non inconcinne affatur: *Christus vna persona est, gemina sub-
stantiæ, quia & Deus est, & homo est.* Igitur nec Verbum diuicum ho-
minem assumpsit, sed naturam humanam, nec geminam in Christo
Domino personam, sed vnâ solùmprehendimus.

13. Tandem Magister, satis expressas litteralesque Patrum, præ-
fert inque Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, ac Augustini in texto sup-
peditat autoritates, quibus determinatur, quomodò Verbi diuini
persona sit post incarnationem composita. Ita in pauca sua videtur
in litterâ conferre verba Magister: *Posita est diligenter secunda sententia,
& eius explanatio, cui in nullo, vel in modico obuiant autoritates in tercia
sententiâ inductæ, quæ iam consideranda est.*

14. Iuxta tertiam verò opinionem propriam ac germanum ha-
rum loquutionum, videlicet: Deus factus est homo: Deus est homo,
& homo est Deus, consimiliumque, adducit intellectum Magister.
Dum enim dicimus: Deus factus est homo: Deus est homo, &c. per
illud prædicatum homo, solus denotatur habitus, ita vt reddat hunc
sensem, Deus habet hominem, vel est persona humanata.

15. Ex quibus tria, penes hanc opinionem, subinfert Magister.
Primum; quòd Christus Dominus non sit aliquid secundùm quòd
homo,

homo, sed aliquomoddò se habens. Secundum ; quòd dùm dicitur, Filius Dei prædestinatus est esse homo, aut homo Dei Filius, sic venit expendendum, quòd prædestinatum fuerit à Deo ab æterno, quòd Deus sit homo, & quòd homo sit Deus. Tertium ; quòd licèt benè dicamus, homo est Deus, non tamen congruè dicere possumus, homo est Dominicus, quia Angustino hoc non aridet, imò postquam creberrimè dixerat, hociplam retractavit.

16. Audi modò Augustini confessionem, eiusque humilem retractationem lib. 1. Retract. cap. 19. *Non video vtrum rectè dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei, & hominum Christus Iesus, cum sit vtrique Dominus ; & hoc quidem vt dicerem, apud quosdam legi Catholicos tractatores. Sed vbicunque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippè vidi non esse dicendum, quanvis nonnullà possit ratione defendi. Ergo quia estò benè dicatur, homo est Deus, non tamen congruè dicitur, homo est Dominicus.*

17. Demùm, animadvertit hïc Magister in litterâ, cuncta in his duabus distinctionibus deprehensa, se satis impigrè, iuxta diversorum sententiam nuper appositam, absque assertionem, & præiudicio tractasse, quin ea discutere intenderit, sed legentium iudicio pensanda reliquerit. Et hæc de primâ distinctionis parte satis sint dicta.

18. PRO SECUNDÆ verò, & vltimæ distinctionis partis enodatione, secundum stabilitur placitum : *Etsi præfate Doctorum Veterum opiniones in quibusdam consonare videantur ; nihilominus in compluribus discrepare pro comperito habetur.* Hoc vtrique assertum quanvis expressè, & litteraliter in textu non inveniatur ; tamen ex toto duarum distinctionum progressu conversè, & non contortè colligitur.

19. Hæ etenim opiniones in quatuor præsertim consonant punctis. Primò ergò conveniunt in eo, quòd vnâ tantùm in Christo Domino altruant personam contra hæreticos Nestorianos, qui duas secundum divinam quippè, & humanam agnoverunt naturam.

20. Secundò consentiunt in hoc, quòd duplicem naturam in Christo Domino construunt, divinam scilicet, & humanam contra Eutychem, qui vnâ post divini Verbi incarnationem ex divinâ, & humanâ naturâ agnovit compositam. Insuper & in eo, quòd tres in Christo Domino constituunt substantias, videlicet, corpus, animam, & deitatem contra devium Appollinaris erratum, qui falsè ac confidenter asseruit, rationalem animam à Verbo non fuisse assumptam, sed deitatem ipsam loco animæ habere.

21. Tertio, etiam in hoc consonant opiniones, quòd verum cor-
pus,

pus, veramque animam Verbum assumpsisse divinam agnoscant, contra Manichæum tenentem Christum Dominum habere humanitatem phantasticam.

22. Quartò demùm concordant in eò, quòd corpus Christi Domini, eiusque anima non extitere priùs tempore, quàm essent à Verbo divino assumpta, contra quosdam hæreticos, quos Damascenus lib. 3. de orthod. fide cap. 4. & seqq. deducit ad calculum, asserentes, priùs tempore humanitatem extitisse, quàm eam sibi arrogasset Verbum.

23. Etiam consentaneè his, totidem in punctis prædictæ differunt opiniones. Primò in eo, quòd prima sententia duo in Christo Domino astruat supposita: Secunda autem, vnum tantùm suppositum constituat in duabus naturis per se subsistens: Tertia verò, quanvis vnum in Christo Domino agnoscat suppositum, tamen illud per accidens subsistere tenet, eò quòd corpus, & anima solum accidentaliter per modum extrinseci habitûs, quemadmodùm vestis vnitur corpori, fuerint à divino Verbo assumpta.

24. Secundò dissident, quia prima opinio fert, hominem fuisse assumptum; secunda tenet, solam humanitatem; tertia verò asserit, nec propriè hominem, nec humanitatem propriè, sed solum suis in partibus fuisse à divino Verbo humanitatem assumptam.

25. Tertio discrepant in eo, quòd prima sententia affirmat, corpus, & animam esse partes hominis assumpti, & non personæ assumptæ; sicque personam assumptæ ita ex æquò se simplicem ostendisse post assumptionem naturæ, ac ante, propugnare videtur; secunda verò statuit, esse partes assumptas, vt personæ assumptæ, & non hominis assumpti, quia iuxta hanc sententiam, non homo, sed humanitas fuit assumpta; tertia autem, illas assumptas locat, non vt partes hominis assumpti, nec vt personæ assumptæ, sed veluti quendam exteriorem habitum, vt vestem vnitam corpori.

26. Quartò, & vltimò dissentunt, quia prima opinio statuit, Christum Dominum esse aliquid secundùm quòd est homo, eò quòd fit, iuxta illam, quoddam suppositum à Verbo divino assumptam; secunda verò docet, esse aliquid secundùm quòd humanam continet naturam, cum ipsa natura humana, quam Verbum accepit, prædicetur de eo concretivè; tertia tandem asserit, Christum Dominum non esse aliquid secundùm quòd est homo, sed tantùm aliquomodò se habere, vt quemadmodùm homo indutus, aliter se habet, quàm ludus: ergo etsi Veterum Doctorum præfatæ opiniones in quibusdam

dam consonare videantur; tamen compertum est, in totidem discrepare.

27. Verùm, etsi præfatas opiniones nec cretà, nec carbone Magister notare intendat; tamen extra litteram dicimus, primam sententiã, vti falsam, & erroneam, à Neotericis taxari Doctoribus: Secundam, vt catholicam amplecti: Tertiam verò, vt hæreticam, ab omnibus censeri. Ast ad difficultatem præsentem penitus abstergendam, sine cunctatione veri non dubitamus, eas insufficientes fore. Et hæc de secundã, & vltimã distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

28. **Q**VÆSTIO 1. An Filius Dei sit prædestinatus? Ex Angelicã Scholã D. Thomas 3 p. q. 24. art. 1. Godoy in 3. p. tract. 14. disp. 55. q. 24. §. 1. Ioan. à S. Thomã tom. 3. disp. 20. art. 2. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 24. art. 1. Camerarius tom. 3. q. 24. art. 2. Lumbier de incarn. q. 38. art. 5. Nicolai in 3. dist. 7. q. 3. art. 1. & seqq. Philip. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 10. dub. 1. & seqq. Paludan. in 3. dist. 7. q. 3. Cayetan. 3. p. q. 1. art. 3. Rayner. de Pulsis verb. incarn. cap. 15. & seqq. Catharin. Opuscul. de Christi prædest.

29. Ex Subtili Scholã Scotus in 3. dist. 7. q. 3. Mastrius tom. 3. disp. 2. q. 11. art. 1. Poncius tract. 11. disp. 40. q. 4. Boyvin. 2. p. cap. 11. q. 6. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 19. q. 2. Delgadillo 2 p. cap. 17. difficul. 1. dub. 1. & 2. Rada 3. p. controu. 5. art. 1. Felix de incarn. cap. 19. difficul. 2. Cavellus in Schol. in 3. dist. 7. q. 3. Pitygian. in 3. dist. 7. art. 8. Aquila in 3. dist. 7. q. 3. Bassolius in 3. dist. 7. q. 3. Mayron in 3. dist. 7. q. 3.

30. Ex Scholã Eximiã Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 5. sect. 1. & 2. Vazq. 3. p. disp. 10. cap. 1. & seqq. Aranda de incarn. lib. 5. disp. 5. sect. 4. Meratius disp. 52. conclus. 2. Beccan. cap. 19. q. 2. Lugo disp. 23. sect. 2. Bernal disp. 67. sect. 1. & 2. Mart. Perez disp. 40. sect. 7. & seqq. Aldrete controu. 15. disp. 88. sect. 1. & seqq. Rhodès tract. 7. disp. 4. q. 1. sect. 1. & 2. Peñafiel tom. 4. disp. 21. sect. 1. Muniella disp. 9. sect. 6.

31. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 7. art. 2. q. 1. Alens 3. p. q. 13. memb. 1. & seqq. D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 10. & seqq. D. Gregor. lib. 3. Moral. cap. 11. D. Chrysoft. hom. 3. in cap. 1. Ioan. Damascenus lib. 3. cap. 18. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 7. Baudun. q. 24. art. vnic. Bonaspei tom. 2. tract. 3. disp. 14. dub. 4. Etkius in 3. dist. 7. §. 3. Rupert. lib. 3. de glor. & honor. Filij Dei.

32. Quæstio 2. An istæ locutiones sint veræ: Deus factus homo: Homo factus Deus? De quò, hic dist. 6. q. 1.

33. Quæstio 3. An sit concedendum: Homo prædestinatus est esse Filius Dei? De quò, *hic q. 1.*

34. Quæstio 4. An sit catholica locutio: Filius Dei prædestinatus est esse homo? De quò, *hic q. 1.*

35. Quæstio 5. An sit concedendum: Homo cœpit esse Deus: Deus cœpit esse homo? De quò, *hic q. 1.*

36. Quæstio 6. An persona Christi Domini sit propriè ac verè composita? De quò, *hic dist. 6. q. 2.*

37. Quæstio 7. An, quemadmodùm in Christo Domino duplex reperitur natura, gemina etiam subsistentia inveniatur? De quò, *hic dist. 2. q. 7.*

38. Et omnes quæstiones superioris distinctionis possunt hîc aptè in discussione adduci.

DE CONSEQUENTIBVS INCARNATIONEM.

DISTINCTIONIS OCTAVÆ.

Synopsis.

*In Christo natura Dei ne nata vocetur,
Ni modo personam significare voles.*

Sic incipit: *Post prædicta.*

Sic terminat: *Bis natam fore.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de conditionibus actum hypostaticæ unionis consequentibus, quoad effectum ex ipsâ subsecutum; sive de nonnullis loquutionibus, quæ ad Verbi divini incarnationem conferunt; sed in præsentî determinat de eisdem conditionibus, sive de comparatione divinæ naturæ ad humanæ proprietatem: igitur à recto connexionis scopo non aberrat Magister.

2. Consequentia probatur: Ex unione Verbi divini cum naturâ humanâ necessariò oriuntur conditiones, sive loquutiones, quæ ad comparationem proprietatum naturæ divinæ cum humanâ expectare videntur: ergo dum priùs determinat Magister de conditionibus ipsam hypostaticæ unionis actum consequentibus, quoad effectum ex ipsâ

ipsâ subsecutum, quàm de eisdem conditionibus, aut loquutionibus, quæ comparationem proprietatum naturæ humanæ cum divinâ naturâ referunt, absque vllâ proorsùs cunctatione connexionem servat.

3. Dividitur præsens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, quomodo divinâ natura valeat in Christo Domino dici nata. In secundâ verò, & ultimâ subtiliter expendit, qualiter Christus Dominus, vi duarum naturarum, divinâ quippè, & humanæ, geminâ nativitate potiatur.

4. PRO PRIMâ igitur partis explanatione, hæc prima argutz discussione objicitur thesi: *Nequit fateri divinâ natura de Virgine Matre nata, nisi quatenus persona divinâ de eadem dicitur nata.* Pro cuius litterali probatione percontatur Magister: *An natura divinâ possit dici nata, quemadmodum supra non rarenter dicebatur incarnata?*

5. Et pro negante parte sic in litterâ arguit Magister, dubioque apposito responsum præbet: Si natura divinâ possit dici nata de Virgine Matre nativitate temporali; etiam & nata de Patre nativitate æternâ valet dici; sed natura divinâ non valet dici nata de Patre nativitate æternâ: ergo nec nata de Virgine temporali nativitate poterit dici.

6. Modò pro affirmante parte etiam vrget Magister: Si rectè hæc perpendantur, pro eodem vsurpari videtur, humanam naturam in utero Virginis assumere, ac eam de Virgine Matre nasci; sed natura divinâ humanam assumpsit in alvo Virginis Matris, vt supra distinctione quintâ expendebamus: igitur fateri debemus, naturam divinam fuisse de Virgine Matre natam.

7. Respondet iam dubitationi Magister, quòd si divinâ natura pro personâ accipiatur, non incongruè poterit dici quòd natura divinâ sit de Virgine Matre nata: At, si pro essentiâ divinâ natura assumatur, haud unquam poterit dici de Virgine nata, sive de Patre nativitate æternâ, sive de Matre Virgine temporaneâ nativitate.

8. Sed oppones primò Divum Augustinum lib. de fide ad Petrum, cap. 2. sic in litterâ alloquentem: *Natura æterna atque divinâ non potest temporaliter concipi, & nasci ex naturâ humanâ, nisi secundum susceptionem veritatis humanâ, veram temporaliter conceptionem, & nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus veraciter secundum tempus, & conceptus, & natus ex Virgine: ergo cum sic veram temporaliter conceptionem, & nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset, poterit æterna atque divinâ natura dici concepta, & nata ex naturâ humanâ, sive ex Virgine Matre.*

9. Responder Magister, quòd si Augustini verba conquestè no-
tentur, potius de personâ, quàm de divinâ naturâ intelligi debent;
quæ sine cunctatione vllâ, & de Patre, & de Virgine Matre nata po-
terit dici. Vndè adhuc locorum inveniatur, naturam divinam fuisse
incarnatam, siuè natam de Patre aternâ nativitate, aut temporaneâ
de Matre, tunc naturæ nomine intelligitur persona divina, & non
absolutè essentia.

10. Oppones secundò in Magistrum: Humana natura non est de
Patre genita: ergo nec de Matre Virgine nata. Consequentia pro-
batur ex Magistri verbis in litterâ: *Quæ enim res non est de Patre genita,
non dicitur de Matre nata;* sed natura humana non est de Patre genita:
ergo nec de Virgine Matre nata: ergo quanvis divina natura pro
personâ accipiatur, adhuc de Matre Virgine nata non poterit dici.

11. Responderetur ex Magistri doctrinâ, appositam instantiam
extra impugnationis scopum penitus collimare. Quia Magister so-
lùm de nativitate illâ in textûs litterâ agit, quâ res aliqua dicitur
nasci, ita, vt filiationis proprietatem, nomenque ipsius sibi arrogare
valeat; cùm ergò natura humana in Christo Domino sit huius mune-
ris expertis, meritò non censetur aculeatum argumentum in eâ, quæ
hic scribit Magister.

12. Oppones tertiò: Ideò dicimus personam Verbi esse de Vir-
gine natam, quia ipsam incarnatam fatemur; sed naturam divinam
dicimus fuisse incarnatam ex huius libri distinctione quintâ: ergo &
fuisse natam de Virgine fateri debemus.

13. Respondetur ex Magistro negando Consequentiam. Quia, etsi
Verbi divini persona, quia incarnata, dicatur de Virgine nata; non
ideò natura divina poterit dici de Virgine nata, quanvis sit incarna-
ta. Quia incarnatio non construit communicationem idiomatum ra-
tione convenientiæ in naturâ, sed potius ratione convenientiæ in per-
sonâ: Quamobrem solùm incarnatio respicit nativitatem personæ
assumentis, quæ est suppositum naturæ assumptæ, & non nativitatem
naturæ, cùm nulla ipsi in ratione naturæ aptari valeat nativitas. Et
hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

14. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis enodatione, se-
cunda præficitur assiduo examini thesis: *Ex proprietatibus duarum na-
turarum, quæ in Christo Domino reperiuntur, geminas in ipso distinctas elu-
cere nativitates colligimus.* Quam probare tentat Magister ex cuiusdam
quæ-siti studiosâ solutione.

15. Indagat ergò Magister in litterâ: *An Christus Dominus debeat
dici*

dici bis natus, sicut dicitur Dei, & hominis Filius: Et respondet ipse Magister affirmativè. Nam ex diversitate proprietatum, quæ duabus naturis in Christo Domino existentibus crebrè crebriùs adscribuntur, valet Christus Dominus bis natus dici, sive duas habere nativitates.

16. Quod sic primò illustrat, expenditque Magister: Christus Dominus æternâ nativitate pollet à Patre, secundùm quam est Patri coæternus, & ante sæcula genitus; sed similiter temporaneâ potitur nativitate, secundùm quam est à Virgine Matre in sæculo natus: igitur duabus in Christo Domino medietatis naturis, earumque proprietatibus, poterit dici bis natus, sive duas habere nativitates.

17. Secundò, id ipsum confirmat Magister ex Augustino lib. de fide ad Petrum, cap. 2. dicente: *Pater Deus de sua natura genuit Filium Deum sibi coequallem, & coæternum. Idem quoque unigenitus Deus natus est ex Patre semel, & ex Matre semel*; sed ex eo quòd unigenitus Deus natus sit ex Patre semel, & semel ex Matre, duas in Christo Domino nativitates deprehendimus, vnam æternam ex Patre, & aliam temporalem ex Matre: igitur his inspectis naturis, quis inficias ibit, Christum Dominum bis natum, duasque nativitates habere?

18. Tertio, alio Augustini perspicuo testimonio sic roborat assumptum Magister: *Natus est enim de Patre Dei Verbum: Natus est de Matre Verbum caro factum. Vnus ergò atque idem Dei Filius natus est ante sæcula, & natus in sæculo; viraque nativitas vnus est Filij Dei, divina scilicet, & humana: ergo si vnus idemque Dei Filius natus est ante sæcula, & natus in sæculo; natus de Patre Dei Verbum, & natus de Matre Verbum caro factum, non abs re duas in Christo Domino capimus nativitates, vnam æternam, & temporalem aliam; sive vnam ex Patre ante sæcula, & aliam in sæculo ex Matre.*

19. Quarto, etiam Divus Damascenus lib. 3. de orthod. fide cap. 7. rem totam acu venustè in textùs litterà his tetigit verbis: *Duas ergò Christi nativitates veneramur: Vnam ex Patre ante sæcula, quæ est super causam, & rationem, & tempus, & naturam: Et vnam, quæ fuit in ultimis temporibus propter nos, & secundùm nos, & super nos, ex Spiritu Sancto, & Sanctâ Virgine supra legem conceptionis: ergo quia ex his Damasceni eloquijs manifestè apparet, Christi Domini duas esse nativitates, eundemque bis natum fore.*

20. Sed oppones primò in Damasceni autoritatem: *Generatio Filij Dei ex Patre est generatio naturalis; sed generatio naturalis non est supra naturam, sed iuxta illam: ergo non benè consonant Da-*

masceni verba, quòd generatio Filij Dei sit supra causam, & rationem, & tempus, & naturam; atque aded frustra currit Magister cum Damasceno in thesis probationem.

21. Respondetur negando Consequentiam. Quia Damascenus solum hic alloquitur de naturâ creatâ, dum sustinet, generationem Filij Dei ex Patre esse supra naturam; non verò de naturâ aternâ, siuè increatâ; cum hæc supra naturam aternam esse non valeat; aliter supra seipsam foret, vt ad sensum apparet; quod reverâ ex terminis repugnare videtur. Vnde Damasceni testimonium in tuto quiescit pro validâ thesis propugnatione.

22. Oppones secundò in posteriora Damasceni authoritatis verba: Generatio Christi Domini ex Virgine Matre fuit omninò similis aliorum hominum generationi; sed si generatio Christi Domini ex Virgine Matre foret supra legem conceptionis, iam non similis aliorum hominum generationi non esset; eò quòd hæc supra conceptionis legem non perficiatur: igitur Damasceni testimonium actum agere videtur, dum assertum suadet.

23. Respondetur negando Maiorem, & Consequentiam. Quia conceptio Christi Domini ex Virgine Matre non fuit omninò similis aliorum hominum conceptioni. Et quidem; quia licet fuerit operata propter nos, siuè propter nostram salutem; & secundum nos, quia natus est homo ex muliere, & tempore conceptionis, scilicet, novem mensium; tamen fuit supra nos, quia non fuit in tempore, sed in instanti; quia non ex semine, sed ex Spiritu Sancto, & Sanctâ Virgine supra conceptionis legem. Verba sunt Damasceni in litterâ; sicque actum agere non videntur, dum his assertum probat Magister. Et hæc de secundâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

24. **Q**VÆSTIO 1. An natura divina sit de Virgine nata? De quò, tom. 1. dist. 2. q. 8.

25. Quæstio 2. An nasci de Virgine verè dicatur de naturâ assumpta? De quò, hic dist. 6. q. 3.

26. Quæstio 3. An in Christo Domino sint duæ filiationes? De quò, hic dist. 1. q. 17.

27. Quæstio 4. An concedendum sit: Christum Dominum bis esse natum? De quò, hic dist. 1. q. 17.

28. Quæstio 5. An Christus Dominus sit Filius naturalis respectu vtriusque nativitatibus? De quò, tom. 1. dist. 13. q. 5.

29. Quæstio 6. An Christus, vt homo, sit Filius naturalis, proprius, aut adoptivus? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 5.*
30. Quæstio 7. In quo formalis communicationis idiomatum consistat ratio? De quò, *hic dist. 6. q. 3.*
31. Quæstio 8. An Filius sit genitus ex substantiâ Patris, aut ex nihilo? De quò, *tom. 1. dist. 5. q. 6.*
32. Quæstio 9. An Christus Dominus dicendus sit duo propter dualitatem naturæ, aut vnus propter vnitatem personæ? De quò, *hic dist. 1. q. 17.*
33. Quæstio 10. An Christus Dominus sit verus Filius Immaculatæ Virginis Matris? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 8.*

DE HIS, QUÆ CONVENIUNT NATVRÆ
humanæ ratione naturæ divinæ.

DISTINCTIONIS NONÆ.

Synopsis.

*Nunquam sacra Dei Verbum caro deserit absens,
Obque id culta pari semper honore fuit.*

Sic incipit : *Præterea.*

Sic terminat : *Explicatur.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de comparatione divinæ naturæ ad proprietatem naturæ humanæ; sed in præsentî determinat de huiusmodi comparatione naturæ humanæ ad proprietatem naturæ divinæ: ergo vicissim hæc distinctiones cohærere videntur.

2. Consequentia probatur: Omnes ac singulæ prædicationes, quæ hætenùs in litterario orbe de Christo Domino extant, certò certius suum ortum ducere videntur ex comparatione naturæ humanæ ad proprietatem naturæ divinæ, & ex comparatione divinæ ad proprietatem naturæ humanæ; sed Magister in superiori distinctioe egit de loquutionibus prædicationibusque, quæ de Christo Domino

ex-

extant ex comparatione naturæ humanæ ad proprietatem divinæ: ergo dum in præfenti determinat de eisdem loquutionibus ex comparatione divinæ naturæ ad proprietatem humanæ, proprium obit Magister connexionis munus.

3. Dividitur præfens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ percontatur Magister, an Christi Domini humanitas sit latriæ cultu adoranda. In secundâ verò, & ultimâ, sententiam communiorẽ veriorẽque vllâ ambiguitate, totoque molimento amplectitur.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ discussione, en primum pronuntiatum: *Humanitas Christi Domini, adhuc Verbo divino vnita, cultu latriæ non est adoranda, iuxta aliquorum sententiam omni prorsus veritate denudatam.* In cuius probationis gratiam duas recenset opiniones Magister; sed modò ex solius primæ sententiæ assiduâ contemplatione, præcipuam, pro hâc primâ distinctiois parte, excerpimus fundamentum.

5. Primum ergò percontatur Magister: *Verùm natura humana in Christo domino eodem debeat adorari cultu cum Verbo divino, cui vnita extat?* Et respondet Magister in litterâ negativè, ductus non suâ, sed aliorum sententiâ, quam non solum non probat, verùm omnibus suo calculo mordere pertentat.

6. His præsertim eorum innituntur fundamenta. Primò: Adoratio latriæ est cultus quidam soli Creatori debitus: ergo solum erit Deus adorandus illo cultu, qui nulli creaturæ sit exhibendus; sed caro Christi Domini, sive eius sanctissima anima, quanvis divino Verbo vnita, est creatura: ergo quia humanitas Christi Domini, adhuc divino Verbo associata, non poterit eodem latriæ adorare cultu.

7. Secundò: Dum cultus soli Creatori debitus creaturæ adscribitur, haud dubiè idolatriæ censetur; sed cultus latriæ soli Creatori est debitus: ergo dum creaturæ talis adscribitur cultus, exhibenti in idolatriam deputabitur; sed humanitas Christi Domini, quantumvis divino Verbo vnita, est creatura: ergo quia adoratione latriæ vnâ cum Verbo divino adorari non valet.

8. Tertio: Quia cultus divinitati debitus, & ipsi meritò exhibendus, reverà est cultus in amore, & cordis dilectione, & bonorum corporalium, temporaliumque exhibitione, atque omnimodâ reverentiâ consistens; qui latinè dicitur *pictas*, græcè autem *theosebia*, idest, Dei cultus; vel *eusebia*, idest, bonus cultus; sed humanitati Christi Domini, adhuc divinitati vnita, non est exhibendus cultus in amore,

& cordis dilectione, & bonorum temporalium, corporaliumque exhibitione, atque omni modâ reverentiâ consistens: ergo quia eâdem adorationis specie, quâ Verbum divinum colitur, non erit Christi Domini humanitas vnâ cum ipso honoranda.

9. Quartò: Eò quòd Christi Domini humanitas sit creatura supra cunctas alias exaltata, nequit eodem adorari cultu, quo ceteri Sancti honorantur: ergo cum non possit adorari eâdem cultûs specie, quâ Verbum divinum colitur, sustinent, illam debere honorari aliâ specie cultûs distinctâ, ac Deum omnesque veneramur Sanctos: ergo necessariò Christi Domini humanitas erit honoranda speciali adoratione *dulie*, sive *hyperdulie*, & quæ ipsi soli debetur: igitur cultu, quo Verbum divinum colitur, nunquam poterit Christi humanitas honorari.

10. Quintò tandem: Quantûm cunque Christi Domini humanitas sit Verbo divino vnita, semper est minor deitate, vt claret in Christo Domino, qui in quantûm homo, minor est Patre: ergo minor erit humanitati exhibendus cultus, quàm divinitati, cum minor minori, & maior maiori semper sit honor præstandus; sed divinitati semper patriæ cultus adscribitur: ergo quia humanitati nunquam poterit hæc adorationis species aptari. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

11. PRO SECUNDÆ verò, & ultimæ distinctionis partis enodatione, en secundum pronuntiatum: *Etsi humanitas Christi Domini, prout à Verbo divino separata, non sit cultu patriæ adoranda; tamen in quantum ipsi vnita, eâdem adorationis cum illo debet specie honorari.* Vtramque thematis consuadet partem Magister, & tanquam veriore communioremque hanc secundam opinionem aperto pectore nudoque capite plaudit.

12. Primò sic geminam partem indivisè probat Magister, eamque in limine huius capituli accuratè delicat: Humanitas Christi Domini bifariam adorari valet, tum propter sanctitatem creatam, tum propter increatam sibi adiunctam; sive ratione sui, vel suppositi divini, cui vnitur: ergo licet patriæ cultu non valeat humanitas Christi Domini adorari propter sanctitatem creatam, sive ratione sui; tamen propter increatam, & divinam sanctitatem, quæ est obiectum formale patriæ, aut suppositum divinum, cui vnitur, & à quo nunquam separatur humanitas, dignissima censenda est omni patriæ cultu honorari, quo ipsum Verbum adoratur divinum.

13. Secundò probat Magister: Quia si patriæ cultus non foret hu-

mani-

manitati Christi Domini, prout Verbo divino unitæ, exhibendus, maximè, quia ad idolatriam adorantem impelleret; sed cultus latriæ sic Christi Domini humanitati exhibitus, non ad idolatriam adorantem impellit: cum in cultum honoremque divinitatis formaliter tendat, & solum materialiter in creaturæ venerationem: igitur quòd humanitas Christi Domini, in quantum Verbo divino unita, culta latriæ honoretur, in nullam fidei iacturam devenire possumus.

14. Tertio, vna cum Damasceno lib. 3. de orthod. fide, cap. 8. his dissertis concinnatisque verbis promovet assumptum Magister: *Vnus ergò Christus est Deus perfectus, & homo perfectus; quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto vna adoratione cum incontaminatâ carne eius. Non inadorabilem carnem dicentes: Adoratur enim in vna Verbi hypostasi; quæ hypostasis generata est; non creaturæ venerationem præbentes.* En quomodo vtramque humanitatis Damascenus adorationem comprehendit: ergo licet humanitati Christi Domini, vt à Verbo divino dejugatæ, non sit exhibendus cultus latriæ; tamen in eadem Verbi hypostasi, vna adoratione cum Patre, & Spiritu Sancto est honoranda.

15. Quarto, in vberiore probationem cum ipso Damasceno sic pergit Magister in litterâ: *Non ergò vt nudam carnem adoramus humanitatem, sed vt unitam deitati in vnam hypostasin Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi Dei mei simul vtramque naturam propter carni unitam deitatem. Non enim quartam appono personam in Trinitate; sed vnam personam confiteor Verbi, & carnis eius.* Quid expressius? ergo omni periculo procul fugato, eadem Christi Domini humanitas rectè culta latriæ adoratur, non quidem ratione sui, sed suppositi, quippè, in quantum à Verbo divino in suppositi unitatem est assumpta, & ab eâ nunquã separatur.

16. Sed oppones in superiorem Damasceni autoritatè: Vnicuique divinarum personarum vna per se adscribenda est adoratio: ergo si ad ingeminationem obiecti necessariò consequitur actus multiplicario, non poterit Christus Dominus vna cum Patre, & Spiritu Sancto, eò quòd realiter distinguantur; vna adoratione honorari: igitur Damasceni dictum in suâ non manet classe.

17. Respondetur negando Consequentiam. Quia realis divinarum personarum distinctio impeditè non valet, quòd vno eodemque simul omnes venerentur persone latriæ cultu; cum idem sit omnium formale adorationis obiectum pro culta omnibus exhibendo: quemadmodum & ipsæ divinæ persone vna dilectione diliguntur, eò quòd vna in eis summa moretur bonitas, et si realiter discernuntur;

atque.

atque adeo tela ista in Damascenum evitamus amictu.

18. Quintò, alijs etiam Augustini testimonijs, & præfertim his ex Serm. 58. de Verbis Domini, fideliter decerptis, præmittit assumptum Magister. Sic alloquitur: *Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem, idè adoro, quòd à divinitate suscepta, & deitati vnita est; vt non alium, & alium; sed vnum eundemque Deum, & hominem Filium Dei esse confitear*; sed Divus Augustinus non dividit adorationem humanitatis Christi Domini à Verbo divino susceptæ, eique vnitæ, ab ipsâ divinitate; imò vnum eundemque Deum, & hominem Filium Dei esse confitetur: ergo quia vna eademque adoratio humanitati Christi Domini, simulque divinitati exhibenda erit.

19. Sextò, id ipsum valdè expendunt hæc alia Augustini verba, quæ in exemplum assumpsit Magister in litterâ: *Denique si hominem separaveris à Deo, illi nunquam credo, nec seruo, velut si quis purpuram, vel diadema regale iacens inventat; nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò eis Rex fuerit indutus, periculum moris incurrit, si ea cum rege adorare quis contempserit.* Ergo quavis humanitas Christi Domini, vt separata à divinitate, non possit cultu patriæ coli; tamen quantum divinitati vnita, si vè provt vnum Filium Deum verum, & hominem verum simul cum ipsâ constituit, ita vno eodemque patriæ cultu assidue venerari debet, quòd si eam quis contempserit, æternaliter morietur.

20. Septimò tandem, aliud subiungit Magister Augustini testimonium venustè illustrantis illud Psal. 88. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Hæc sunt modò illius verba: *Suscepit enim Verbum de terra terram; quia caro de terrâ est, & de carne Mariæ carnem accepit. Hæc si se impietate à Verbo Dei assumpta adoratur à nobis; quia nemo carnem eius manducat, nisi prius adoret; sed qui adorat, non terram intuetur; sed illum potius, cuius scabellum est, propter quem adorat: ergo si qui carnem Christi Domini manducat, illam prius adorat, & qui adorat, non carnem intuetur, sed Deum potius, cuius scabellum est, propter quem adorat, non incongruè colligitur, eadem fore adoratione honorandam humanitatem Christi Domini ac Verbum ipsum divinum, cui arctâ alligatur compage.*

21. Sed dices in Divi Augustini verba: *Si Christi Domini humanitas eodem patriæ cultu vnâ cum eius divinitate coleretur, plûs Christus Dominus foret venerandus, quàm aliæ divinæ personæ; sed hoc in rectam catholicamque illationem devenire non licet: ergo quia eodem cultu ac divinitas non est honoranda Christi Domini*

humanitas. Maior probatur ex Magistri doctrinâ. In Christo Domino adoratur divinitas, simulque humanitas; sed in alijs personis solum divinitas, & non humanitas adoratur: ergo plus Christus Dominus adorandus foret, quàm aliæ divinæ personæ, si humanitati Christi Domini patriæ cultus exhibendus esset.

22. Respondetur negando Maiorem ipsiusque probationem. Quia Christus Dominus non plus honorari debet, quàm Pater, & Spiritus Sanctus; imò nec Verbum divinum magis post incarnationem, ac ante illam venerari. Quia, cum adoratio solum dignitatem maiestatemque respiciat; hæcque ex vnione naturæ humanæ cum divino non accreverit Verbo, non poterit maiori intensiorique cultu Christus Dominus honorari ac aliæ divinæ venerantur personæ; sed solum extensivè, vt fert communis aliquorum animus. Et hæc de secundâ, & ultimâ distinctionis parte satis sint dicta.

QVÆSTIONES.

23. **Q**UESTIO 1. Quid, & quotuplex sit adoratio; & an virtus patriæ sit theologica? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 8. cap. 3. & seqq. Candidus in disquis. tom. 1. disquis. 7. Nicolai in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. & 2. Rayner. de Pilsis verb. adoratio cap. 1. & seqq. pag. 45. Camerarius tom. 3. q. 25. art. 1. Lumbier q. 39. art. 4.

24. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 9. q. vnic. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 6. Maftrius tom. 3. disp. 2. q. 9. art. 1. & 2. Gallus in 3. dist. 9. q. vnic. art. 1. & 2. Delgadillo de adorat. cap. 1. dub. 1. & seqq. Veteveis lib. 6. cap. 1. art. 1. & seqq. Herincx p. 4. disp. 3. q. 1. Aquila in 3. dist. 9. q. 1. Cavellus in Schol. in 3. dist. 9. q. vnic. Castillent. in Polyantb. Seraph. verb. adoratio, num. 1. & seqq.

25. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 2. 2. disp. 51. sect. 1. Lugo disp. 23. sect. 2. Aranda lib. 5. disp. 8. sect. 1. Bernal disp. 62. sect. 1. Arriaga disp. 51. sect. 1. & seqq. Palao tract. 8. disp. 1. punct. 1. Rhodès tract. 7. disp. 4. q. 3. sect. 1. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 25. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 61. sect. 1. Munieffa disp. 19. sect. 1. & 2. Oxea disp. 2. de charit. sect. 4. Marr. Perez disp. 37. sect. 1. & seqq. Azor 1. p. lib. 9. cap. 5. q. 4.

26. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 2. q. 4. Alensis 3. p. q. 10. memb. 1. art. 1. §. 2. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 8. Diana p. 9. tract. 4. resol. 2. Bonacina tom. 2. disp. 3. punct. 1. Calpensis tom. 2. tract. 20. disp. 15. sect. 1. Baidius lib. 2. quasi. 4. q. 4. difficult. 1. & seqq. Estius in 3. dist. 9. §. 1. & seqq.

27. Quæstio 2. Quamnam sint adorationis species exhibendæ Deo, Virgini Matri, Sanctisque omnibus? De quò, *hic q. 1. 3. & 6.*

28. Quæstio 3. An Christus Dominus sit adorandus adoratione latriæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 25. art. 1. & 2. & in 3. dist. 9. q. 1. art. 5. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 8. cap. 3. Camerarius tom. 3. q. 25. art. 1. Nicolai in 3. dist. 9. q. 1. art. 5. Rayner de Pisis verb. adoratio, cap. 1. & seqq. Lumbier de incarn. q. 39. art. 1. & seqq.

29. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 9. q. vnic. Maftrius tom. 3. disp. 2. q. 9. art. 1. & 2. Bellutus disp. 15. q. 2. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 6. Boyvin p. 2. cap. 13. q. 1. Gallus in 3. dist. 9. q. vnic. art. 1. & 2. Delgadillo de adorat. cap. 3. dub. 1. & seqq. Herincx p. 4. disp. 3. q. 1. Castillent. in Poliant. Seraph. verb. adoratio, num. 2. & seqq. Picygian. in 3. dist. 9. art. 1. & seqq.

30. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 53. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 61. sect. 2. Aranda lib. 5. disp. 8. sect. 2. Aldrete disp. 87. sect. 2. Bernal disp. 69. sect. 1. Lugo disp. 34. sect. 1. & seqq. Palao p. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 2. Peñafiel tom. 4. disp. 25. sect. 3. & seqq. Muniessa disp. 19. sect. 4. Fagundez tom. 1. lib. 1. cap. 32. num. 26.

31. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 1. q. 1. Alenf. 3 p. q. 10. memb. 1. art. 1. & seqq. Aureolus in 3. dist. 9. q. 1. Gabriel in 3. dist. 9. art. 1. Bonæpei tom. 2. tract. 3. disp. vlt. dub. 1. Calpens. tom. 2. tract. 20. disp. 15. sect. 3. Estius in 3. dist. 9. §. 1. Baudun. tract. 1. q. 25. art. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 8. Bonacina tom. 2. disp. 3. punct. 1. & seqq.

32. Quæstio 4. An humanitas Christi Domini præcisa à divinitate sit adoranda adoratione latriæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. & in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. & 2. Camerarius tom. 3. q. 25. art. 2. Lumbier q. 39. art. 4. Nicolai in 3. dist. 9. q. 1. art. 5. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 8. cap. 3. & seqq.

33. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 9. q. vnic. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 6. & in 3. Comment. dist. 9. num. 56. Delgadillo de adorat. cap. 3. dub. 1. & seqq. Boyvin p. 2. cap. 13. q. 1. & 2. Herincx 4 p. disp. 3. q. 1. Castillent. in Poliant. Seraph. verb. adoratio, num. 2. & seqq. Picygian. in 3. dist. 9. art. 1. & seqq. Maftrius tom. 3. disp. 2. quæst. 9. art. 1. & 2.

34. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 54. sect. 2. Lugo disp. 35. sect. 3. Arriaga disp. 53. sect. 5. subsect. 2. Aldrete disp. 48. sect. 2. Aranda de incarn. lib. 5. disp. 8. sect. 2. §. 2. Vazq. in 3 p. disp. 96. cap. 1. & seqq. Bernal disp. 69. sect. 2. Marr. Perez disp. 38. sect. 4. Muniessa disp. 19. sect.

sect. 7. Carleton tom. 2. disp. 61. sect. 2. Palao p. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 2. & seqq. Peñafiel tom. 4. disp. 25. sect. 3. & seqq.

35. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 1. q. 1. Estius in 3. dist. 9. §. 1. & seqq. Bonacina de incarn. disp. 3. punct. 1. & seqq. Caspenlis tom. 2. tract. 20. disp. 15. sect. 3. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. ult. dub. 1. & seqq. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 8. Ateof. 3. p. q. 10. memb. 1. art. 1. & seqq. Aureolus in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. & seqq. Gabriel in 3. dist. 9. q. 1.

36. Quæstio 5. An Beata Virgo Maria propter dignitatem Matris Christi Domini possit adorari adoratione latrâ? De quò, hîc q. 7.

37. Quæstio 6. An, & quâ adoratione imagines Christi Domini Virginis Matris, omniumque Sanctorum, necnon sanctissimæ Crucis sint adorandæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 25. art. 3. Camerarius tom. 3. q. 25. art. 3. Nicolai in 3. dist. 9. q. 1. art. 6. Capisuccus controv. 26. q. 2. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 8. cap. 3. & seqq. Rayner. de Pisis verb. adoratio, cap. 1. & seqq. pag. 45.

38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 9. q. vnic. Macedo schol. 19. cap. 13. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 11. Boyvin p. 2. cap. 13. q. 2. Mastrius tom. 3. disp. 2. q. 10. art. 1. Faber in 3. disp. 22. cap. 6. Gallus in 3. dist. 9. q. 1. cap. 1. & seqq. Delgadillo de adoratio. cap. 5. dub. 1. & seqq. Herinex p. 4. disp. 3. q. 4. Veturis lib. 7. cap. 4. art. 1. Lauræa disp. 16. art. 6. num. 115.

39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. q. 25. disp. 54. sect. 1. & seqq. & lib. 2. contra Regem Anglia cap. 14. Arriaga disp. 56. per totam. Amicus disp. 32. sect. 3. Aranda lib. 5. disp. 8. sect. 4. Lugo disp. 36. sect. 3. Mart. Perez disp. 38. sect. 8. Palao p. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 4. Peñafiel tom. 4. disp. 25. sect. 7. Carleton tom. 2. disp. 61. sect. 2. Fagund. tom. 1. lib. 1. cap. 32. num. 12. Muniella disp. 19. sect. 9. & seqq. Pallavicinus in hist. Trident. p. 2. lib. 11. cap. 5.

40. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 1. q. 1. & seqq. Caspenl. tom. 2. tract. 20. disp. 15. sect. 6. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 9. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. ult. dub. 3. Estius in 3. dist. 9. §. 4. Lorca disp. 95. cap. 1. & seqq. Bonacin. de incarn. disp. 3. punct. 1. & seqq. Baudun. tract. 1. q. 25. art. 1. & seqq. Bassæus verb. adoratio, num. 1. & seqq. Alenf. 3. p. q. 10. memb. 1. art. 1. & seqq.

41. Quæstio 7. An Beata Virgo Maria debeat adorari adoratione hyperduliâ, medium tenente inter latrâ, & duliâ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 9. q. 1. art. 7. Camerarius tom. 3. q. 25. art. 5. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 8. cap. 3. & seqq. Rayner. de Pisis verb.

verb. adoratio cap. 1. & seqq. à pag. 45. & seqq. Capifuccus contror. 26. q. 2. & seqq. Nicolai in 3. dist. 9. q. 1. art. 7.

42. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 9. q. vnic. Macedo tom. singul. collat. 7. diff. 1. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 9. Boyvin 2. p. cap. 13. q. 4. Matrius tom. 3. disp. 2. q. 9. art. 1. & 2. Bellutus disp. 15. q. 2. Gallus in 3. dist. 9. q. 1. cap. 1. & seqq. Delgadillo de adorat. cap. 4. dub. 2. Lauræa disp. 29. art. 9. num. 222. Heriæx p. 4. disp. 3. q. 1. Vetuveis lib. 6. cap. 2. art. 3.

43. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 18. sect. 4. & lib. 2. contra Reg. Angliæ cap. 7. Aranda lib. 5. disp. 8. sect. 3. Rhodès tract. 8. disp. vnic. q. 6. sect. 2. §. 1. & seqq. Palao p. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 3. Peñafiel tom. 4. disp. 25. sect. 6. Carleton tom. 2. disp. 61. sect. 2. Munniffa disp. 19. sect. 8. Honorat. Fabri tom. 1. in Epist. 9. nor. 1. Garau in suâ Deiparâ, triumph. 9. §. 2.

44. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 1. q. 1. & seqq. Bonalpei tom. 2. tract. 3. disp. vlt. dub. 2. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 15. sect. 4. Baldius lib. 2. quasit. 4. q. 4. difficul. 1. & seqq. Bassæus verb. adoratio, à num. 1. & seqq. Eultach, à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 8. Bonacina de incarn. disp. 3. de adorat. punct. 1. & seqq. Estius in 3. dist. 9. §. 1. & seqq.

45. Quæstio 8. An, & quomodò SS. D. N. Clemens XI. Pontifex Maximus sit adorandus? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 84. art. 5. & in 3. dist. 9. q. 1. art. 10. & q. 2. art. 5. Raphael de la Torre 2. 2. tom. 2. q. 84. art. 5. disp. 5. num. 26. Ioan. Vvigers tract. 8. cap. 3. dub. 1. Nicolai in 3. dist. 9. q. 1. art. 10. & q. 2. art. 5.

46. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 9. q. vnic. Macedo tom. 3. singul. collat. 7. diff. 3. sect. 4. Delgadillo de adorat. cap. 6. dub. 5. & vlt. Corduba lib. 1. q. 1. dub. 6. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. adoratio, num. 7. & seqq.

47. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. q. 25. disp. 54. sect. 1. & seqq. Lugo disp. 37. sect. 1. Lelsius de iust. lib. 2. cap. 37. dub. 1. Tanner. tom. 3. disp. 5. q. 2. dub. 1. Vazquez tom. 1. in 3. p. disp. 8. cap. 10. Palao tom. 2. tract. 8. disp. 3. Lorinus in Act. Apost. cap. 10. vers. 25. Raynaud. in Monast. Pontific. subnotat. 3. fruct. 1. Mart. Perez disp. 38. sect. 10. Peñafiel tom. 4. disp. 25. sect. 12. Cornel. à Lapide in Isaiam, cap. 49. vers. 23.

48. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 9. q. 1. & seqq. Caramuel in hierarch. Ecclesiast. lib. 1. disp. 60. num. 680. Diana tom. 9. tract. 4. resol. 2. Ioseph. Stephanus lib. de Oscul. Pontific. cap. 19. Anton. Ma-

zaronius *tract. de adorat. Pontific. cap. 1.* Machado *tom. 2 lib. 4. p. 7. tract. 4. docum. 18.* Leander *tom. 6. tract. 7. de adorat. disp. 6.* Barbosa *de iure eccles. lib. 1. cap. 2.*

49. Quæstio 9. An Summus Pontifex, vt Vicarius Christi Domini, possit cultu latriæ adorari? De quò, *hic q. 8.*

50. Quæstio 10. An licitum sit præter genuflexionem, & pedum osculationem, adorare Pontificem pectoris tunctione? De quò, *hic q. 8.*

51. Quæstio 11. An eâdem adoratione attingatur imago, & res adorata? De quò, *hic q. 1. & 6.*

52. Quæstio 12. An vsus sacrarum imaginum, earumque adoratio sit vetustissimus, aut de novo per Tridentinum introductus? De quò, *hic q. 6.*

53. Quæstio 13. An creaturæ irrationales possint absque idolatriâ adorari? De quò, *hic q. 8.*

54. Quæstio 14. An imago Sancti non Canonici possit in Altari debite, ac licite locari? De quò, *hic q. 6.*

55. Quæstio 15. An liceat Episcopo approbare, exponereque venerationi publicæ novas reliquias, quanvis non sint alicuius Sancti Canonici? De quò, *hic q. 6.*

56. Quæstio 16. An solius Episcopi sit approbatio reliquiarum Sancti Canonici? De quò, *hic q. 6.*

57. Quæstio 17. An miraculorum examen solitariè ad Ordinarios pertineat? De quò, *hic q. 6.*



DE HIS, QUÆ CONVENIUNT SUPPOSITO
divino ratione naturæ humanæ.

DISTINCTIONIS DECIMÆ
Synopsis.

*Quod Christo nomen personæ convenit, hoc fit
Ipsius haud hominis, sed ratione Dei.*

Sic incipit : *Solet etiam.*

Sic terminat : *Personaliter uniretur.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de comparatione naturæ humanæ ad proprietatem naturæ divinæ; sed in præsentî determinat de communicatione idiomatum in comparatione ad personam divinam : igitur in connexionis munere istæc abnormes non censentur distinctiones.

2. Consequentia probatur: Communicatio idiomatum, in comparatione ad personam divinam, necessariò oritur ex divinæ naturæ ad proprietatem naturæ humanæ comparatione unâ cum ipsius naturæ humanæ ad divinæ naturæ proprietatem assimilatione, sed Magister in superiori distinctione egit de comparatione naturæ humanæ ad divinæ naturæ proprietatem, postquam de assimilatione naturæ divinæ ad humanæ naturæ proprietatem determinarat : ergo dum in præsentî de communicatione idiomatum in comparatione ad personam divinam agit Magister, iura connexionis sine cunctatione delibata commendat.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ validè statuit Magister, Christum Dominum, in quantum hominem, nec rem, nec nomen posse sortiri personæ. In secundâ verò declarat, Christum Dominum non Filium adoptivum, sed naturalem dici debere. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit parte, qualiter Christus Dominus, secundum quòd homo, prædestinatus dicatur.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ detectione, primum ponitur

tur assertum: *Christus Dominus, secundum homo, non est persona, etsi humane nature sit individua substantia, quatenus homo.* Quod utique consuetudine tentat Magister ex cuiusdā gravissimi dubij affectata solutione.

5. Sic sedulo inquit Magister in litterā: *An Christus Dominus, secundum quod homo, sit persona, vel etiam sit aliquid?* Pro utraque parte nervosè arguit Magister, & dum illarum adaggerat fundamenta, more suo decretorio, ea ad vnguem librat.

6. Prīmò sic in affirmantis partis defensionem vrget in textus litterā Magister: *Christus Dominus, in quantum homo, est aliquid: ergo aut substantia, aut aliquid à substantiā diversum; sed non est aliud à substantiā diversum: ergo est substantia; sed non irrationalis substantia: ergo rationalis. Modò sic; sed omnis rationalis substantia est persona, bene pensatā definitione personæ, quippè, rationalis nature individua substantia: igitur Christus Dominus, secundum quod homo, est persona.*

7. Secundò, in negantis partis subsidium, sivè in oppositum arguit Magister, in litterā: *Si Christus Dominus, quatenus homo, foret persona, reverà in Trinitate esset tertia, & non alia persona; sed tertia Trinitatis persona est Deus: ergo si Christus Dominus, in quantum homo, foret persona, necessariò, secundum quod homo, esset Deus: sed consequens exorbitat à veritate: igitur & illud ex quo deducitur; ac proinde Christus Dominus, quatenus homo, non est persona.*

8. Huic instantiæ respondet Magister, nunquàm fore concedendum, Christum Dominum, in quantum hominem, esse personam; quia tunc Verbum divinum non naturam, sed personam sibi arrogasse videretur; quod procul à verò ab omnibus Orthodoxis censetur. Unde non est dicendus Christus Dominus persona, secundum quod homo, nisi forsàn propositio illa, *secundum*, unitatem personæ denotaret expressè.

9. Quamobrem animadvertit Magister in litterā, *ly secundum*, multiplici acceptione potiri. Quandoque enim exprimit conditionem, vel proprietatem divinæ, aut humanæ nature. Quandoque unitatem personæ. Quandoque habitum. Et quandoque causam. Quapropter his verbis finem animadvertitioni imponit Magister. *Cuius distinctionis rationem diligenter Lector animadvertat, atque in sinu memoriæ recondat, ne eius confundantur sensus, cum de Christo sermo occurrerit.*

10. Tertio Magister, iam vim oppositæ instantiæ bis magnâ dexteritate detergit. Primò; quia hæc illatio: *Christus Dominus, in quan-*

quantum homo, est substantia rationalis: ergo est persona, non tenet: Nam anima est rationalis substantia: ergo est persona, non sequitur. Quia persona, ex sua etymologica ratione, dicitur quasi res per se sonans, & non alij rei coniuncta; quod de natura humana à Verbo divino assumptam, sive de Christi Domini humanitate summum ac turpe foret divulgare nefas.

11. Secundò, etiam præfatum argumentum impigrè deterit Magister. Nam, quòd Christus Dominus, in quantum homo, sit persona, quia eius vulgaris diffinitio id sonare videtur, nempe, rationalis naturæ individua substantia, nihil evincit; quia, etsi illa personæ descriptio alijs congruat personis, non verò divinis, cum præ ipsis excogitata non sit. Vnde, quanvis omnis individua substantia rationalis naturæ sit persona, hæc meditata descriptio; tamen natura humana à Verbo divino assumpta experta huius muneris arbitratur, estò individua substantia rationalis naturæ ab omnibus commendetur; cum à Verbo divino in unitatem personæ, extra omnem aleam, sit accepta; sicque Christus Dominus, secundum quòd homo, non est persona.

12. Verùm in hanc geminam solutionem rursus sic apponit Magister: Christus Dominus, in quantum homo, est prædestinatus, ut sit Filius Dei; sed in quantum Christus Dominus est Filius Dei, est persona: igitur in quantum est homo, est persona.

13. Respondet tamen Magister in litterâ, præfata instantiam valde posse sub æquivoco laborare, si eius termini profundè, studiosè, & que mente non agitantur. Nam *ly in quantum*, si cum reduplicatione accipiatur, valet cadere, vel super prædestinationem, aut super filiationem. Si super prædestinationem, assumptum tenet, sed instantia non valet: Si super filiationem, instantia subsistit, sed assumptum corrumpit. Quamobrem, Christus Dominus, secundum homo, nec rem, nec nomen personæ sortiri valet; quia non quòd homo est, eò Filius Dei est, sed solum per gratiam, cum id per eam acceperit. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

14. PRO SECUNDE verò distinctionis partis ostensione secundum præfigitur assertum: *Christus Dominus, adhuc secundum homo, nequit dici Filius Dei adoptivus, sed naturalis*. Etiam, ex unius quæsitæ peracuratâ solutione, apprimè thematis fundamentum concinnabat Magister in litterâ.

15. Sic edocendi avidus percontatur Magister in textu: *An Christus Dominus, in quantum homo, sit Filius Dei adoptivus?* Et respondet

Magister, Christum Dominum non esse Filium adoptivum, sed naturalem. Non enim Christus Dominus sic dicitur Filius naturâ, quemadmodum dicitur Deus naturâ divinitatis; cum solum divinitatis munere dicatur Deus, & Filius ratione naturalis nativitatis, & originis.

16. Quod ergo Christus Dominus non sit Dei Filius adoptivus, sed naturalis, rationum pondere, & gravissimis Patrum auctoritatibus, sic primò conatur suadere Magister: Ille dicitur filius adoptivus, qui prius non fuit filius patris, & postmodum in filium ipsius adoptatus est; quemadmodum homines, qui cum essent filij iæ, per gratiam postea facti sunt filij Dei; sed Christus Dominus, in quantum homo, semper fuit Filius Dei; ergo in quantum homo, non est Filius adoptivus, sed naturalis.

17. Secundò probat assumptum Magister his Augustini verbis lib. de fide ad Petrum cap. 2. *Ille, scilicet Deus, factus est naturaliter hominis Filius, qui est naturaliter Filius Unigenitus Dei Patris;* sed ex eo quod Christus Dominus sit factus naturaliter hominis Filius, qui erat naturaliter Filius Unigenitus Dei Patris, reverà non est Filius adoptivus, secundum quod homo, sed naturalis: ergo.

18. Tertio, ex ipso Augustino in Ioan. tract. 28. cap. 9. sic amplius roborat intentum Magister: *Nos sumus filij gratiâ, non naturâ; Unigenitus autem naturâ, non gratiâ adoptionis;* sed quo pacto homines non naturâ, sed adoptionis gratiâ sunt filij Dei; Unigenitus verò non gratiâ adoptionis, sed naturâ est Dei Filius, Christus Dominus, in quantum homo, est Filius naturalis, & non adoptivus: ergo.

19. Quarto cum Hieronymo sup. Epist. ad Ephes. id ipsum in hanc firmat formam Magister: *Ille quidem naturâ Filius est; nos verò adoptione: Ille nunquam non fuit Filius; nos antequàm essemus, prædestinati sumus, & tunc spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in Filium Dei.* Ergo si Christus Dominus naturâ Filius est, & nos adoptione: Ille verò nunquam non fuit Filius; nos autem antequàm essemus, prædestinati sumus, & tunc spiritum adoptionis accepimus, non incongruè colligitur, esse Filium Dei naturalem, & non adoptivum.

20. Quintò, ex Hilario novum asserto adjicit robor Magister. Sic lib. 3. de Trinit. affatur Hilarius: *Non solo nomine contestatus est se esse Filium Dei, sed etiam proprietate: Nos sumus filij Dei, sed non talis hie Filius. Hic enim verus, & proprius est Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione;* sed ex his Hilarij verbis clarissimè constat, Christum Dominum non solum nomine, & proprietate, verum origine, veritate, & nativitate esse Filium Dei.

secùs adoptione, nuncupatione, aut creatione; homines verò esse filios Dei nomine, proprietate, adoptione, nuncupatione, creationeque; ergo.

21. Sextò tandem Ambrosius, dùm lib. 1. de fide, cap. 9. hæc in litterâ scribit, certò certius in ære Magistri est: *Christus Filius est non per adoptionem, sed per naturam; sed per adoptionem nos filij dicimur, ille per veritatem nature est*; ergo si Christus Dominus non per adoptionem, sed per naturam est Filius Dei; nosque per adoptionem tantùm filij Dei dicimur, quis ibit inficias, Christum Dominum esse Filium naturalem, & non adoptivum Dei.

22. Sed oppones ex Magistro in litterâ: Christus Dominus est Filius Dei naturâ, & Virginis Matris gratiâ; sed esse Filium Dei per gratiam, est esse Filium Dei adoptione: igitur Christus Dominus, in quantum homo, erit Filius Dei adoptivus, & non naturalis.

23. Respondetur, Christum Dominum esse Filium Virginis Matris simul per naturam, & gratiam vnionis, iuxta Augustini pronuntiatum nuper appositum: *Factus est naturaliter hominis Filius, qui est naturaliter Filius Vnigenitus Dei Patris*, quin ex eo sequatur, esse Filium adoptivum; quia etsi sit Filius gratiâ, non gratiâ adoptionis, sed vnionis gratiâ: quod Patrum autoritates hæc in litterâ productæ confertim iam discussum ostendunt.

24. Instabis: Non benè consonant, quòd Christus Dominus sit simul Filius Virginis naturâ, & gratiâ. Et quidem; quia quòd est naturale, non est gratuitum; & quòd est gratuitum, non est naturale: ergo si Christus Dominus est Filius Virginis naturâ, non poterit esse Filius gratiâ, & è contra; ac proindè præsens abest, dùm hæc profert Magister.

25. Respondetur ex Magistro, gratiam vnionis, & naturam rectè posse de ipsâ enuntiari re per comparisonem ad diversa. Nam Christus Dominus, secundùm quòd homo, est Filius naturalis Virginis Matris, cùm sit Filius origine, & nativitate; at, in quantum Deus, est Filius Virginis, non naturâ, nec adoptione, sed gratiâ vnionis, quæ cum filiatione naturali non pugnat; atque adèdò Magister non præsens abest, dùm hæc scribit.

26. Iterùm in Magistram vrget: Nos dicimur, ex Magistro, filij adoptivi, quia cùm nati fuerimus iræ filij, per gratiam facti sumus filij Dei: ergo si hæc Magistri doctrina in tuto quiesceret, reverà nec Angeli boni, nec homo in statu innocentie forent adoptivi filij, nec in Regno Dei sortem, aut partem haberent, eò quòd in eorum con-

ditione inter iræ filios annumerati non fuerint: ergo in Magistri doctrinam valdè hæc arietat instantia.

27. Respondetur, Magistrum in litterâ solum fuisse alloquatum de adoptione referente extraneitatem conferentem elongationem à Deo per actum peccaminosum, quæ Angelis bonis non congruit ratione filiationis, nec primo homini in suæ creationis vestibulo: atque accipienso extraneitatem, quantum ad culpam, quæ inest, sive quia potuit inesse, omnes filios adoptionis ad vnguem exambit; ita, ut Angeli, primusque homo possint absque vllâ cunctatione his filiorum Dei insigniri nominibus, quin instantia premat Magistrum. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

28. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis argutâ vestigatione, tertium statuitur assertum: *Christus Dominus non solum quoad naturam humanam, verùm quoad personam benè dicitur æternaliter Filius Dei prædestinatus.* Quod satis compressè pertractat Magister in litterâ, sola cuiusdam dubij non aviâ solutione.

29. Aucupât enim Magister: *An natura, vel persona in Christo Domino fuerit prædestinata?* Et respondet in textûs litterâ, personam, & naturam in Christo Domino fuisse prædestinatam. Hoc etenim secundum geminam partem suadet Magister.

30. Primò, fuit Christus Dominus prædestinatus quoad personam: Quia persona Filij, quæ semper fuit, est prædestinata, secundum hominem assumptum, ut ipsa, scilicet ens homo, esset Dei Filius, sive destinata fuit in filiationem Dei, tanquam in finem, cum posset præfata destinatio talis assumptionis in alium collineare finem: igitur Christi Domini persona fuit prædestinata.

31. Secundò, etiam quoad naturam humanam fuit Christus Dominus prædestinatus: Quia natura humana eò sine fuit producta, ut in unitatem personæ à Verbo divino assumeretur: ergo quia non solum quoad personam, verùm quoad naturam Christus Dominus benè dicitur æternaliter Filius Dei prædestinatus. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

32. QVÆSTIO 1. Quid sit persona, & an formaliter constituatur aliquo positivo, aut negativo? De quò, *tom. 1. dist. 23. q. 1.*
33. Quæstio 2. An substantia realiter distinguatur à naturâ? De quò, *tom. 1. dist. 23. q. 2.*
34. Quæstio 3. An detur substantia absoluta, & communis tribus divinis personis? De quò, *tom. 1. dist. 5. q. 2.*

Quæ-

35. Quæstio 4. An Christus, vt homo, sit Filius naturalis, proprius, aut adoptivus? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 5.*
36. Quæstio 5. An concretum Christus dicat personalitatem divinam, aut naturam humanam in recto? De quò, *hic dist. 1. q. 17.*
37. Quæstio 6. An Christus Dominus dicendus sit duo propter dualitatem naturæ, aut vnus propter vnitatem personæ? De quò, *hic dist. 1. q. 17.*
38. Quæstio 7. An Christus Dominus eò sit Filius, quò Deus? De quò, *tom. 1. dist. 13. q. 5.*
39. Quæstio 8. An Filius Dei sit prædestinatus? De quò, *hic dist. 7. quest. 1.*
40. Quæstio 9. An persona Christi Domini sit propriè ac verè composita? De quò, *hic dist. 6. q. 2.*
41. Quæstio 10. An quemadmodum in Christo Domino duplex reperitur natura, sic gemina inveniatur persona? De quò, *hic dist. 2. quest. 7.*
42. Quæstio 11. An Christus Dominus sit verus Filius Immaculatæ Virginis Matris? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 8.*
43. Quæstio 12. An Christus Dominus sit Filius naturalis, aut adoptivus Beatæ Virginis Matris? De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 8. & dist. 13. quest. 5.*
44. Quæstio 13. An prædestinatio nostra fuerit ex meritis Christi Domini? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 4.*



DE HIS, QUÆ CHRISTO DOMINO RATIONÆ NATURÆ HUMANÆ CONVENIUNT, QUANTUM AD DEFECTUS, QUI NATURAM SEQUUNTUR.

DISTINCTIONIS VNDECIMÆ
Synopsis.

*Non quit simpliciter Christus factura vocari,
Quovis hoc certa conditione queat.*

Sic incipit : *Solet etiam quæri.*

Sic terminat : *Vel cum adiunctione.*

I. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de communicatione idiomatum in comparatione ad personam divinam, sive de conditionibus ad huiusmodi personæ dignitatem pertinentibus; sed in præsentî determinat de conditionibus defectibilitatem aliquam importantibus penes ipsam divinam personam: igitur propriam ac rectam connexionem ducere videntur.

2. Consequentia probatur: Ea, quæ præ se ferunt dignitatem, potiori iure prius pertractanda veniunt, quàm ea, quæ defectum aliquem referunt, eò quòd bona malis semper sint præferenda: ergo si Magister in antecedenti distinctione egit de conditionibus ad personæ divinæ dignitatem spectantibus; & postmodum in præsentî de conditionibus defectibilitatem aliquam importantibus circa eandem personam determinat, haud dubiè à rectâ connexionis viâ non defleçit.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ statuit Magister, Christum Dominum nec factum, nec creatum, sive creaturam simpliciter, & absolutè non debere dici. In secundâ verò declarat, ipsum posse creaturam dici, cum certâ tamen determinatione, aut addito quodam apposito. In tertiâ autem, & ultimâ expendit parte, hunc non tenere discursum: Christus, ut homo,

homo, est creatura: ergo simpliciter, & absolutè Christus Dominus est creatura.

4. PRO PRIMÆ igitur partis solerti indagine, en primum theoremata: *Esti Verbi divini persona sit hypostaticè in natura humanâ, tamen simpliciter, & absolutè loquendo, Christus Dominus nec factus, nec creatus, nec creatura est dicendus.* Quod varijs Patrum tentat suadere testimonijs Magister.

5. Sic sedulo disquirat Magister in litterâ in theorematibus datamentum: *An simpliciter debeat dici, concedique valeat Christum Dominum esse factum, vel creatum, vel creaturam?* Et respondet Magister, simpliciter atque absolutè non unquam concedendum fore Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam.

6. Quod hâc argumentariâ methodo primò probat Magister quodam Augustini monito fretus lib. 1. de Trinit. cap. 13. dicente: *Cum de Christo loquimur, quid, secundum quid, & propter quid dicatur, prudens, & diligens, ac pius Lector intelligere debet: ergo cum Magister hic suas cum Augustino partes agere intendat, ut ex ipsius contexturâ claret, non poterit Christus Dominus simpliciter atque absolutè factus, creatus, aut creatura dici, sed quadam cum limitatione.*

7. Secundò, iam Augustinus rem totam venustè expendit cap. 6. eiusdem libri. En eius prælara eloquia: *In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est, & omnia per ipsum facta sunt. Neque dicitur omnia, nisi ea que facta sunt, idest, omnem creaturam; sed Christus Dominus simpliciter, & absolutè non est factus per seipsum, etsi omnis creatura per ipsum absolutè sit facta: ergo quia absolutè, & simpliciter Christus Dominus creatura non debet dici.*

8. Tertio, in vberiore thematis probationem amplius sic pergit Augustinus lib. 83. qq. 67. *Dicitur creatura quicquid fecit Deus Pater per Filium, qui non potest appellari creatura, quoniam per ipsum facta sunt omnia: ergo si solum dicitur creatura quicquid fecit Deus Pater per Filium, & omnia per ipsum facta sunt, revera Christum Dominum simpliciter, & absolutè nec dici, nec appellari creaturam debere, tenendum est.*

9. Quarto, Divus Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 6. dignanter digitis sic metitur assumptum: *Probemus, inquit, creaturam non esse Dei Filium. Audivimus enim in Evangelio Dominum mandasse discipulis: Prædicare Evangelium universæ creaturæ. Qui universam creaturam dicit, nullam excipit: Et ubi sunt qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium prædicari; & subiectus esset vanitati; quia testan-*

te Apostolo: *Omnia creatura vanitati subiecta est. Non ergo Christus creatura est, sed Creator, qui docenda creatura discipulis mandat officium. Quid clariu? Quid expressius? pro infractâ theorematibus probatione: igitur Christus Dominus simpliciter, & absolutè nec factus, nec creatus, aut creatura ritè & rectè poterit appellari.*

10. Quintò tandem suadet Magister intentum ex eodem Ambrosio lib. 1. de fide, cap. 9. & lib. 6. cap. 7. recensente horrendum illud sceleratissimi Arrij supplicium, toto corpore atque omnibus unguis contententis Christum Dominum esse puram creaturam. Sic alloquitur Ambrosius: *Arrius hac fuisse perfidia legitur, ut Christum creaturam faceret. Ideò effusa sunt Arrii viscera, atque crepuit medius, poststratus in faciem, e quibus Christum negaverat, fœda ora pollutus; sed his gravissimis Arrius non afficeretur cruciatibus, si Christum Dominum puram non predicaret creaturam: ergo.*

11. Sed oppones primò ex apposis supra distinctione primâ huius libri, ubi hæc pæssim recitantur ex Apostolo authoritates. Primò ad Galat. cap. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Secundò ad Rom. cap. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* sed omne factum simpliciter, & absolutè est creatura: ergo si Filius Dei est factus, poterit Christus Dominus simpliciter, & absolutè appellari creatura.

12. Respondetur ex Magistri doctrinâ, præfatas Apostoli authoritates quoddam in se additum præcontinere, ut decisioni nostræ non sint absorptæ. Nam, cum prima, per ly factum de muliere, &c. Et secunda, per ly factus est ex semine David secundum carnem, &c. expressè denotent naturam assumptam à divino Verbo, non absolute, & simpliciter indicant Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam, nisi cum determinatione in quantum homo; atque adeò sacra pagina testimonia lubricis Arrij non favent erratis.

13. Oppones secundò: Hæc propositio absolute prolata, & in rigore sermonis est vera: Christus est homo: ergo aut creatus, aut increatus; sed non increatus, ut ex se claret; ergo est homo creatus; sed homo creatus est creatura: ergo Christus Dominus simpliciter, & absolute est creatura.

14. Respondetur ex ipso Magistro, quòd licet Christus Dominus sit homo creatus; tamen simpliciter, & absolute non est concedendum Christum Dominum esse creatum, ne ecquis pravo sensu ductus, tale prædicatum simpliciter, & totaliter ei adscribere tentet, utramque comprehendens naturam, divinam quippè, & humanam; ideòque

præfata propositio sine determinatione non est concedenda. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient. *supra*

15. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis enucleatione, en secundum theorema: *Licet absolutè, & simpliciter loquendo, non sit concedendum Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam; tamen concedi potest additâ determinatione.* Hoc verâ assertum ex æquò ac primùm etiam probat Magister aliquibus Patrum autoritatibus in eundem confluentibus finem.

16. Primò, illud expendere tentat, nonnullas in literâ assignando determinaciones, ipsarumque proprium ac catholicum referendo sensum. Dùm enim dicimus: Christus est factus, creatus, aut creatura, necessariò debemus addere, secundùm naturam assumptam sive in quantum homo est, aut quatenùs incepit esse homo; sed his additis determinationibus, non sequitur, Christum Dominum simpliciter, & absolutè esse creaturam, aut cœpisse esse: ergo quanvis absolutè, & simpliciter loquendo, non sit concedendum Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam: nihilominùs dici concedique valet: appositâ determinatione.

17. Secundò probat Magister ex Ambrosio lib. 1. de fide, cap. 6. dicente: *Non Deus factus est, sed Deus Dei. Filius natus est: postea verò, secundùm carnem, homo factus ex Mariâ est:* ergo quanvis Filius Dei, quâ Deus, non sit factus, sed natus; postmodùm verò secundùm carnem homo ex Mariâ factus est: ergo quia absolutè non est concedendum Filium Dei esse factum, sed additâ determinatione, quippè, quia secundùm carnem homo ex Mariâ factus est.

18. Tertio ex his Apostoli verbis ad Galat. cap. 4. id ipsum firmat Magister: *Misit enim Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Vbi ea expendens Ambrosius verba, ait: *Cùm dicit suum, generationis aternæ proprietatem signavit: Postea factum ex muliere asseruit, & factura non divinitati, sed assumptioni corporis ascribitur:* ergo cùm idem sonet esse factum, creatum, aut creaturam; & factura, sive creatura nunquam divinitati, sed assumptioni corporis sit ascribenda, non poterit Christus Dominus dici absolutè factus, creatus, aut creatura, sed cum determinatione, secundùm hominem, aut secundùm carnem, aut quovis aliò excogitabili addito.

19. Quarto, ampliùs in literâ illustrat assumptum Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 7. his verbis: *Est ergò Christus Dominus secundùm hominem dicitur creatura, non tamen simpliciter prædicandus est creatura; sed idcò Christus Dominus simpliciter non est prædicandus creatura.*

ra, et si secundum hominem dicatur creatura, quia ly *secundum*, coarctat ac minuit absolutam loquutionem: ergo nec factus, nec creatus, nec creatura poterit Christus Dominus absolute, & simpliciter dici, sed cum apposita limitatione.

20. Sed oppones: Dum aliquid de aliquo predicatur cum addito non restringente verè, de ipso absolute, & simpliciter dicitur: sed homo predicatur de Christo Domino cum addito non restringente: ergo verè de ipso absolute, & simpliciter dicitur: sed dum homo de Christo Domino predicatur, æquè de ipso dicitur quod sit factus, creatus, aut creatura: igitur simpliciter, & absolute erit concedendum Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam.

21. Respondetur ex Magistro in litterâ, instantiam satis debilem esse. Nam dum aliquid de aliquo predicatur cum addito non minuente, verè de ipso absolute, & simpliciter dicitur, si determinationis limites non excedat; secus si illos transgrediatur, ut in proposito apparet. Quia, etsi Christus Dominus, in quantum homo, sit factus, creatus, aut creatura, cum addito non minuente, non licet inferre, ipsum esse simpliciter, & absolute factum, creatum, aut creaturam, eò quod sic determinationis limites transgrediantur, ut in confertis claret exemplis. Primò: Christus est predestinatus secundum hominem: ergo absolute predestinatus? Secundò: Æthiops est albus secundum dentes: ergo simpliciter albus? non sequitur. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

22. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, in tertium theoremata: *Quantvis sit concedendum, Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam, secundum humanam naturam, non tamen ex eo deduci valet, esse factum, creatum, aut creaturam simpliciter, & absolute.* Quod duntaxat intendit suadere Magister cuiusdam argumentationis peracutâ solutione.

23. Sic in litterâ argumentum proponit Magister: Christus Dominus, secundum humanitatem, est creatura: ergo Christus Dominus absolute est creatura. Consequentia probatur: Eo ipso quod secundum humanitatem Christus Dominus sit creatura, est aliquid non divinum; sed quo pacto Christus Dominus est aliquid non divinum, absolute est creatura: ergo ex eo quod secundum humanitatem sit creatura, absolute est creatura.

24. Respondet Magister in litterâ, præfatum argumentum uti collapsum apinamque ab omnibus meditari, eò quod procedat à predicato secundum quid, ad prædicatum simpliciter, sive tropicè à parte

parte ad totum, nempe, Christus est creatura secundum humanitatem: ergo simpliciter est creatura; cum tropicè hic à parte ad totum, siuè à prædicato secundum quid, ad prædicatum simpliciter arguatur: ergo quanvis sit concedendum, Christum Dominum esse factum, creatum, aut creaturam, secundum humanam naturam, non inde dicendum erit, simpliciter, & absolutè creaturam esse.

25. Sed oppones: Hæc illatio ex hoc necessariò tenet antecedente: Christus Dominus, secundum quòd creatura, est aliquid non divinum: ergo Christus Dominus est aliquid non divinum: ergo & hæc alia subsistere poterit: Christus Dominus, secundum naturam humanam, est creatura: ergo Christus Dominus est creatura.

26. Respondetur ex Magistro negando Antecedens, & Consequentiam inde deductam. Nam hæc illatio non tenet: Christus Dominus, in quantum creatura, est aliquid non divinum: ergo est aliquid non divinum; quia in antecedenti arcet negatio divinitatem à naturâ creatâ, quod est verum; at in consequentiâ remouet à personâ increatâ, quod est falsum. Alia verò argumentatio similiter exploditur, ut nuper dicebamus, quia in eâ tropicè à parte ad totum, siuè à prædicato secundum quid, ad prædicatum simpliciter arguitur. Et hæc de tertiâ, & vltimâ distinctionis parte satis superque sunt dicta.

QUESTIONES.

27. **Q**UESTIO 1. An Christus Dominus possit dici absolutè creatura? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 16. art. 8. Cayetan. 3. p. q. 16. art. 8. & seqq. Rocaberti lib. 2. Apologes. cap. 12. num. 2697. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 16. art. 8. dub. vnic. Camerarius tom. 3. q. 16. art. 8. Nicolai in 3. dist. 11. q. 1. art. 1. & 2. Philipp à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 8. dub. 4. Medina in 3. dist. 11. q. 1.

28. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 11. q. 1. & 2. Poncius tract. 11. disp. 40. q. 1. Boyvin 2. p. cap. 6. q. 5. Maltrius tom. 3. disp. 2. q. 11. art. 3. Bellutus in 3. disp. 5. q. 4. art. 2. Gallus in 3. dist. 11. q. 1. cap. 1. Deigadillo 2. p. cap. 18. difficul. vnic. dub. 10. Felix de incarn. cap. 19. difficul. 4. Rada 3. p. controu. 8. art. 3. Aquila in 3. dist. 11. q. 1. Herincx p. 4. disp. 1. q. 11.

29. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. q. 16. disp. 14. sect. 1. & seqq. Aranda lib. 1. disp. 6. sect. 2. Mart. Perez disp. 40. sect. 5. Rhodès tract. 7. disp. 2. q. 5. sect. 3. §. 7. Peñafiel tom. 4. disp. 11. sect. 4. Hurtado disp. 11. difficul. 11. & seqq. Vazquez 3. p. disp. 65. cap. 1. & seqq. Logo tom. 1. in 3. p. disp. 28. sect. 4.

30. Ex alijs **D. Bonaventura** in 3. *dist. 11. q. 1. art. 2.* **Gabriel** in 3. *dist. 11. q. 1.* **Aureolus** in 3. *dist. 11. q. 1. art. 1. & seqq.* **Caspensis** tom. 2. *tract. 20. disp. 9. sect. 2.* **Estius** in 3. *dist. 11. §. 1.* **Baudun.** *tract. 7. q. 10. art. 1. & seqq.* **Durandus** in 3. *dist. 11. q. 1.*
31. **Quæstio 2.** An sit concedendum: **Deus cœpit esse homo: Homo cœpit esse Deus?** De quò, *hic dist. 7. q. 1.*
32. **Quæstio 3.** An istæ locutiones sint veræ: **Deus factus homo: Homo factus Deus?** De quò, *hic dist. 6. q. 1.*
33. **Quæstio 4.** An sit catholica locutio: **Filius Dei prædestinatus est esse homo?** De quò, *hic dist. 7. q. 1.*
34. **Quæstio 5.** An **Christus Dominus** sit **Omnipotens**, & in quò stet eius ratio formalis constitutiva? De quò, *tom. 1. dist. 7. q. 6.*
35. **Quæstio 6.** An **Omnipotencia divina** possit infinitum actum producere? De quò, *tom. 1. dist. 42. q. 1.*
36. **Quæstio 7.** An relatio Creatoris sit intrinseca, aut extrinseca, sivè ex tempore Deo? De quò, *tom. 1. dist. 30. q. 3.*
37. **Quæstio 8.** An relatio Dei ad creaturas sit realis, & è converso? De quò, *tom. 1. dist. 30. q. 4.*
38. **Quæstio 9.** An sit naturaliter notum, **Deum posse aliquid creare?** De quò, *tom. 1. dist. 30. q. 2.*
39. **Quæstio 10.** An, & quomodò **Christus Dominus factus sit ex muliere?** De quò, *tom. 1. dist. 2. q. 8.*
40. **Quæstio 11.** An sine præiudicio divinæ simpliciter possit in Deo admitti aliqua compositio? De quò, *tom. 1. dist. 8. q. 1.*
41. **Quæstio 12.** An **Deus** in aliquo collocetur prædicamento? De quò, *tom. 1. dist. 8. q. 2.*
42. **Quæstio 13.** An **Christus Dominus** sit causa nostræ prædestinationis? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 4.*



DE INCOEPTIONE.

DISTINCTIONIS DVODECIMÆ.

Synopsis.

*Non potuit Christus quamvis committere culpam
At potuit fieri fœmina, factus homo.*

Sic incipit: *Post prædicta queritur.*

Sic terminat: *Indicavit.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ pertractavit Magister, an Christus Dominus debuerit dici factus, creatus, aut creatura, vi assumptionis naturæ humanæ in unitatem personæ; sed in præsentî indagat, an ipso fuerint defectus, quos passim naturæ creatæ adscribimus: igitur exploratam in se connexionem servant.

2. Consequentia probatur: Non posset aptè Magister querere, an defectus, qui cribro crebrius naturæ creatæ aptantur, fuerint in Christo Domino, si prius non vestigasset de ipso, utrùm dici factus, creatus, aut creatura vi hypostaticæ compagis valeret; cum hi alijs præficiant defectibus: ergo si Magister modò inquirat, an defectus communes naturæ creatæ fuerint in Christo Domino, postquam in antecedenti distinctione discussum reliquerat, utrùm debeat dici factus, creatus, aut creatura, reverâ extra connexionis metas non divagari videtur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ statuit Magister, Christum Dominum, in quantum Verbum est, semper fuisse; in quantum verò homo est, concedi posse inceperit. In secūdâ verò declarat, Verbum divinû aliam potuisse assumere naturam diversam ab eâ, quam sibi copulavit in unitatem suppositi. In terriâ autem, & ultimâ ostendit parte, ipsum Verbum divinum sexum equidem muliebrem assumere potuisse, sed virilem ex fœminâ cum assumere, magis fuit congruum.

4. PRO PRIMÆ igitur partis dilucidatione, primum præfigitur
pla-

placitum: *Esi tenere debeamus, Christum Dominum secundum humanitatem temporaliter incepisse; nihilominus concedendum est, ipsum secundum divinitatem aeternaliter fuisse.* Quod utique ex cuiusdam quaesiti solutione duntaxat probat Magister.

5. Sic percontatur Magister in littera: *An Christus Dominus, secundum hominem, aliquando cepit esse, vel semper fuerit; quemadmodum de Filio Dei simpliciter enunciamus, semper fuisse, & nunquam cepisse?* Et respondet Magister, Christum Dominum, in quantum homo est, cepisse; in quantum verò Verbum est, semper fuisse.

6. Quod aliquibus Divi Augustini autoritatibus evincit Magister. Primò, tract. 106. super Ioan. cap. 7. ait Aurelius: *Habuit aliquando Dei Filius, quod nondum habuit idem ipse homo Dei Filius; quia nondum erat homo:* ergo si aliquando habuit Dei Filius, quod nondum habuit idem ipse homo Dei Filius, quia nondum erat homo, non incongruè deducitur, quòd Christus Dominus, in quantum homo est, cepit esse; licet in quantum Verbum est, semper fuerit.

7. Secundò, eodem ex Augustino tract. 105. id ipsum his probat Magister verbis: *Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus:* ergo si antequam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, benè colligitur, quòd homo Christus Iesus Mediator Dei, & hominum non fuit semper, sed aliquando cepit esse.

8. Tertio, super Psal. 80. sic ad rem in littera ipse scribit Augustinus: *Christus noster etsi fortè homo recens est tamen est aeternus Deus;* sed quo pacto Christus noster recens homo est, etsi aeternus Deus sit, in quantum homo est, aliquando cepit esse, etsi in quantum Verbum est, nunquam incepit esse, sed semper fuerit: ergo.

9. Quarto demùm inclarus Hipponis Praesul in ipsum Ioan. tract. 8. & 105. sic apprimè decisioni ultimam adhibuit manum: *Per Christum omnia esse facta, in quantum Verbum est: Secundum illud verò quòd homo est, ipsum esse factum, & glorificatum.* Si ergò ad personam respicias, confidenter dic hominem illum semper fuisse; si verò ad naturam hominis, concede eum cepisse. Ergo si per Christum, in quantum Verbum est, omnia sunt facta, & in quantum homo est, ipse est factus; & dum ad personam Christi respicimus, semper eum fuisse fateri debemus, sicut & incepisse, si ipsius naturam hominis attendamus, iure optimo consequitur, Christum Dominum, in quantum Verbum, semper fuisse, & nunquam incepisse; in quantum verò homo, non semper fuisse, sed aliquando incepisse.

10. Sed opponēs : In sacrâ paginâ passim de Christo Domino puero legitur, ipsum manibus suis creasse stellas, seque esse principium, floruisseque ante Abraham : ergo quia Christus Dominus fuit ante mundum, sed ex eo quod sic Christus Dominus fuerit ante mundum, non illepidè consequitur, ipsum non incœpisse temporaliter esse, sed æternaliter fuisse: ergo.

11. Respondet Magister in litterâ, quod his alijsque similibus instantijs non est ferenda absque distinctione responsio. Nam si Christus Dominus consideretur quantum ad personam, tunc semper fuit, creavit stellas, estque rerum omnium principium, & floruit æternaliter, siuè ante Abraham, hancque mundialem machinam; secus si quantum ad naturam humanam, eò quod tunc exordium habuerit, siuè temporaliter incœperit esse. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

12. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis declaratione, secundum apponitur placitum: *Verbum divinum aliundè potuit carnem assumere, quam de primi hominis materiâ, tametsi peccato obnoxium nunquam potuerit esse.* In cuius duramentum geminam suggerit quæstionem Magister, ipsarumque argutâ explanatione refusè probat assumptum.

13. Inquit ergò primò Magister in litterâ: *An Verbum divinum potuerit aliam humanam naturam assumere, quam assumpsit, & quæ de primi hominis genere non fuisset.* Et respondet affirmativè quæstioni, quam ratione, & autoritate Augustini consuadere invigilat.

14. Probat primò ratione, siuè congruentiâ assumptum Magister: Quemadmodum Deus primum hominem de terrâ formavit, quin de alio descenderet homine; sic potuit aliam de novo humanam formare naturam, illamque assumere, quin à primo descenderet homine, cum nulla in his repugnantia appareat: ergo quia aliam, & aliundè humanam naturam Verbum divinum assumere potuit.

15. Secundò in textûs litterâ ampliùs probat Magister: Verbum divinum liberè ac gratuitò hanc humanam assumpsit naturam: ergo potuit aliam, & aliunde, quam vellet, æqualiter assumere.

16. Tertiò ex Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 14. dicente: *Potuit ergò Deus aliam animam, & aliam carnem assumere: & carnem vitæque aliundè, quam de genere Adam;* sed hæc Augustini verba, nullâ adhibitâ explanatione, vndique in conclusionis scopum collimare videntur: ergo quia Verbum divinum non solùm potuit aliam humanam assumere naturam, quam assumpsit, verùm & aliam, quæ à primo non descenderet homine, extruere, eamque sibi in vitætem suppositâ copulare.

17. Quartò, id ipsum satis clypeatum ex Augustino cap. 18. reliquit Magister: *Potuit itaque Deus hominem aliundè suscipere, in quo esset Mediator Dei, & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo obligavit genus humanum, sicut ipsum, quem primò creavit, non de genere alicuius creavit: ergo quia Verbum divinum non solùm aliam humanitatem descendantem à primo homine, sed aliam ab ipso non procedentem, & à Deo de novo extractam, uti primum hominem, quem non de genere alicuius creavit, potuit assumere.*

18. Cæterùm hîc studiosè observat Magister, congruentiùs fuisse, Verbum divinum humanam ex genere primi hominis assumpsisse naturam, quam aliam ex Adamo non derivatam, ut sic diabolus vinceretur per aliquem de genere eius, qui victus fuerat. Quod Augustini testimonio clypeat his verbis Magister in litterâ: *Toterat ergò vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum alium, de quo vinceretur victor prioris. Sed meliùs indicavit, & de ipso quod victum fuerat genere assumere hominem, per quem hominis vinceret inimicum: ergo quanvis Verbum divinum humanam potuerit assumere naturam à primo non derivatam hominæ; congruentiùs tamen fuit, ex ipsius genere eam accipere, ut per eundem vinceretur diabolus, per quem homo fuerat victus.*

19. Investigat secundò Magister in litterâ textûs: *An Christus Dominus peccare, vel Deus non esse potuerit?* Et quesito negativè respondet, illudque satis cæsuratim, & per explanationem quandam probare tentat. Primò: Si Christus Dominus peccare potuisset, haud dubiè & damnari potuisset; sed si damnari potuisset, reverà & non esse Deus potuisset, cò quòd esse Deum, & posse velle iniquitatem, simul coherere non possint: igitur Christus Dominus peccare, vel Deus non esse non potuit.

20. Secundò probat intentum, & dubij solutionem sic in litterâ expendit Magister: Si enim de personâ Christi Domini agitur, exploratum est, quòd peccare non potuit, nec Deus non esse valuit: Si ergò de ipsius naturâ assumptâ sit sermo, illaque contempletur quatenùs Verbo divino vnita, nec peccare, nec Deus non esse potuit; secùs si consideretur quatenùs à Verbo divino separata existere posset; nam tunc posset esse obnoxia peccato; cùm homo separatus à Verbo divino peccare potuerit: ergo.

21. Modò in præfatam resolutionem bifariè arguit Magister. Primò: Christus Dominus habuit liberum arbitrium; sed hoc valet in utramque flecti partem, bonam quippè, aut malam: ergo quia natura humana à Verbo divino assumpta, & quatenùs ipsi vnita, potuit peccare, & Deus non esse.

22. Respondet Magister, quin impræsentiarum Scotizantium partes agamus, argumentum frivolum achrestumque esse; quia non omnes arbitrio libero pollentes possunt peccato succumbere. Et quidem; cum Angeli beati libero potiantur arbitrio, & tamen peccare non possunt; quanto magis ergo Christus Dominus, cui spiritus datus est sine mensurâ, & in quo ratione hypostaticæ compaginis altiora quàm in Angelis munera vigent.

23. Arguit secundò Magister quadam sacræ paginæ autoritate: Scriptum est enim in libro Sapientiæ, Eccles. cap. 32. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere malum, & non fecit.* Sed falsum de Christo Domino hæc exponuntur verba: ergo quia natura humana à Verbo divino assumpta, & prout ipsi unita, potuit transgredi, & facere malum, etsi non fecerit, aut fuerit transgressa.

24. Respondet Magister, præfatam autoritatem totam intelligendam fore de membris Christi Domini, & non de capite, videlicet, Christo Domino. Vel partim de capite, partimque de membris; ita, ut affirmativa illa pars, potuit transgredi, & facere malum, intelligatur de membris Christi Domini; & negativa illa, non est transgressus, & non fecit malum, de capite, sive Christo Domino. Unde nunquam deducitur, Christum Dominum posse peccare, aut Deum non esse.

25. Sed oppones iterùm: Maximam inter statum viæ, & patriæ deprehendimus distantiam; cum ad viatoris sortem conferat posse peccare, & ad comprehensoris statum peccare non posse; sed Christus Dominus in sorte viatorum floruit: ergo quia potuit peccare, sive eius anima, adhuc divino Verbo alligata, peccato succumbere.

26. Responderetur ex Magistri doctrinâ, quòd etsi Christus Dominus in viatorum statu floruerit, non tamen penitus; cum aliquid de comprehensoris partem paverit sorte. Christus enim Dominus de omni statu aliquid accepit. Primò, de statu ante peccatum assumpsit originalem iusticiam. Secundò, de statu post peccatum pœnam. Tertio tandem, de statu comprehensoris impossibilitatem peccandi suscepit; sicque, cum Christus Dominus viator omninò non fuerit, non est ex quo ipsi sit ascribenda peccandi potentia. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

27. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, sic tertium aptatur placitum: *Quàmvis sexum muliebrem Verbum divinum assumere potuit, virilem tamen ex femina eum accipere, magis fuit congruum.* Pro cuius probatione quoddam in litterâ excitat dubium

bium Magister, ipsiusque studiosâ solutione, non ruptâ anc hor
firmat.

28. Sic in textûs litterâ rimatur Magister: *An humanam naturam secundum sexum muliebrem potuerit divinum Verbum assumere? Cui affirmative respondet Magister, etli opportunius convenientiusque fuerit in sexu virili eam ex foeminâ accipere, toto sustineat inolimine.*

29. Primam asserti sic suadet partem Magister: *Æque liberum erat Verbo divino naturam assumere humanam in sexu virili, ac in muliebri sexu; sed de facto eam in sexu virili assumpsit: ergo potuit in muliebri accipere.*

30. Secundam etiam ex Augustino lib. 83. qq. q. 11. ita probat partem Magister: *Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat & feminei sexus liberatio. Hinc apparet, quia ille vir de foeminâ natus est; sed dum virilem ex foeminâ assumpsit sexum, plus hominis liberatio in utroque apparuit sexu: ergo quia valdè congruum fuit, quod Verbum divinum potius virilem, quam muliebrem ex foeminâ assumeret sexum. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.*

QVÆSTIONES.

31. **Q**VÆSTIO 1. An humanitas Christi Domini potuit peccare, adhuc suppositâ vnione ad Verbum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 15. art. 1. & in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. Godoy in 3. p. tom. 3. disp. 41. §. 1. & seqq. Prudentius tract. 3. disp. 2. dub. 2. Lumbier disp. 32. & 33. Arauxo in 3. p. q. 15. dub. 1. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 16. art. 1. Zippulus in 3. p. q. 15. art. 1. Gonerus tom. 4. tract. 1. disp. 2. art. 1. & seqq. Nicolai in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. & 2. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 7. dub. 6. Cayetan. in 3. q. 15. art. 1. 32. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 12. q. vnic. Maftrius tom. 3. disp. 2. q. 2. art. 1. & seqq. Castillo de Velasco de incarn. disp. 18. q. 1. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 13. Boyvin 2. p. cap. 12. q. 2. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 17. q. 1. Gallus in 3. dist. 12. cap. 1. Delgadillo 2. p. cap. 12. difficul. 2. dub. 2. Rada 3. p. controu. 4. art. 3. Lauræa disp. 16. art. 2. Felix de incarn. cap. 20. difficul. 1. Cavellus in Schol. in 3. dist. 12. q. vnic.
33. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 1. disp. 33. sect. 2. Arriaga disp. 35. sect. 1. Aranda lib. 5. disp. 2. sect. 1. & seqq. Aldrete disp. 72. sect. 4. Thyrsus tom. 3. disp. 30. Coninch. disp. 17. dub. 2. Amicus disp.

24. *sect. 1. Logo in 3. p. disp. 26. sect. 1. Bernal disp. 43. sect. 1. & 2. Moncaus disp. 9. cap. 1. & seqq. Mart. Perez disp. 27. sect. 1. & seqq. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 3. sect. 1. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 14. sect. 4. Carleton tom. 2. disp. 54. sect. 1. & seqq. Muniella disp. 15. sect. 1. & seqq. Ripalda disp. 74. de Ente Supern. n. 35. Hurtado disp. 6. difficul. 7.*

34. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 12. art. 2. q. 1. Alensis 3. p. q. 14. memb. 1. Gabriel in 3. dist. 12. q. 1. Aureolus in 3. dist. 12. q. 1. art. 1. & seqq. Bonalpei tom. 2. tract. 3. disp. 12. dub. 1. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 8. sect. 3. Estius in 3. dist. 12. §. 3. Baudun. tract. 1. q. 15. art. 1. Durandus in 3. dist. 12. q. 1.

35. *Quæstio 2. An, & quomodo impeccabilitas Christi Domini cohereat cum libertate adimplendi præceptum mortis? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 18. art. 4. Godoy in 3. p. tom. 3. disp. 43. §. 1. & seqq. Gonerus tom. 4. tract. 1. disp. 21. art. 3. §. 1. & seqq. Alvarez de incarn. in 3. p. disp. 46. num. 8. Zippulus in 3. p. q. 19. art. 3. Cayetan. in 3. p. q. 18. art. 4. Lumbier de incarn. q. 33. art. 4. & 5. Nicolai in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. & seqq.*

36. Ex Subrili Scholâ Scotus in 3. dist. 12. q. vnic. Mastrius tom. 3. disp. 3. q. 9. art. 1. Delgadillo 2. p. cap. 13. difficul. 2. dub. 2. Felix de incarn. cap. 19. difficul. 6. Herinex p. 4. disp. 2. q. 3. Aquila in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Christus nu. 14. & seqq.

37. Ex Scholâ Eximâ Suarez in 3. p. disp. 35. sect. 1. Amicus disp. 25. sect. 1. & seqq. Arriaga disp. 42. sect. 2. subsect. vlt. Moncaus disp. 9. cap. 12. Muniella disp. 16. sect. 1. & seqq. Aranda lib. 4. disp. 5. sect. 1. §. 1. Thyrius tom. 3. disp. 30. sect. 1. & seqq. Raynaud. tom. 18. pag. 119. Sfortia lib. 5. Theolog. assert. cap. 8 à num. 134. Aldrete contro. 13. disp. 74. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 3. sect. 2. §. 1. Carleton tom. 2. disp. 55. sect. 1. & 2.

38. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 12. art. 2. q. 1. & seqq. Alensis 3. p. q. 14. memb. 1. & seqq. Gabriel in 3. dist. 12. q. 1. Aureolus in 3. dist. 12. q. 1. art. 1. & seqq. Caramuel in Theolog. Fundam. nu. 286. Lorca de incarn. disp. 73. Bonalpei tom. 2. disp. 3. tract. 3. disp. 12. dub. 2.

39. *Quæstio 3. An Verbum divinum potuit vniri naturæ humanæ peccatrici? De quò, hic dist. 3. q. 17.*

40. *Quæstio 4. An Verbum potuit assumere naturam irrationali? De quò, hic dist. 3. q. 18.*

41. *Quæstio 5. An Verbum divinum potuit assumere accidens tam absolutum, quàm relativum? De quò, hic dist. 3. q. 18.*

42. Quæstio 6. An Filius assumpsit, aut assumere potuit naturam subsistentem? De quò, *hic dist. 2. q. 7.*

43. Quæstio 7. An Verbum assumere potuerit sexum muliebrem, & tunc diceretur mulier, sicut modò dicitur homo, quia humanitatem accepit? De quò, *hic dist. 6. q. 3.*

44. Quæstio 8. An humanitas Christi Domini sit proximè, & formaliter impeccabilis vi vnionis hypostaticæ? De quò, *hic q. 1.*

45. Quæstio 9. An impeccabilitas Christi Domini desumatur proximè a gratiâ, aut visione, siuè fruitione beatâ? De quò, *hic q. 1.*

46. Quæstio 10. An impeccabilitas Christi Domini petatur ex mantenentiâ Dei? De quò, *hic q. 1.*

47. Quæstio 11. An potentia peccandi sit à Deo? De quò, *tom. 2. dist. 44. q. 1.*

DE PERFECTIONIBVS NATVRÆ HVMA-
næ in Christo Domino ratione vnio-
nis ad Verbum.

DISTINCTIONIS DECIMÆ TERTIÆ
Synopsis.

*Christum virginea, quàm mox conceptus in alvo est,
Sic, nihil et supra, cuncta habuisse simul.*

Sic incipit: *Præterea sciendum est.*

Sic terminat: *Expers esset.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ inda-
gavit Magister, an in Christo Domino fuerint defectus, qui
palsim naturæ creatæ adscribuntur; & hætenùs de conditionibus
actum vnionis hypostaticæ concomitantibus egit; sed in præsentia iam
adoritur pertractare Magister de perfectionibus naturæ assumptæ
in ipso vnionis actu collatis: ergo mutuò hæc distinctiones sonare vi-
dentur.

2. Consequentia probatur: In hoc absconso incarnationis Myste-

rio prius meditanda veniunt illa, quæ naturæ assumptibili ex naturâ rei congruunt, quàm ea, quæ illi donantur in ipso vnionis hypostaticæ actu; eò quòd natura humana à Verbo divino assumpta ipsam vnionem aliquâ prioritate antevertat: ergo dùm Magister postquam de conditionibus actum vnionis concomitantibus, siuè de his, quæ ad naturam assumptibilem conferunt, disseruit; protinus de perfectionibus naturæ assumptæ in ipso vnionis actu collatis disceat, absque vllâ cunctatione rectam disputandi methodum seruat.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ, plenitudinem gratiæ, & scientiæ Christi Domini prodiginitate demonstrat Magister. In secundâ verò declarat, Christum Dominum scientiâ non profecisse, nisi quantum ad ipsius scientiæ effectus ampliorem manifestationem. In tertiâ autem, & vltimâ subdit parte, solum secundum hominum sensum, siuè exteriorem apparentiam, Christum Dominum profecisse in scientiâ.

4. PRO PRIMÆ igitur partis vberiori assequendo captu, primæ proponitur thesis: *In ipso conceptionis limine fuit in Christo Domino, secundum hominem, plenitudo gratiæ, & scientiæ, omniumque donorum.* Quam nonnullis sacre paginæ, Patrumque expressis testimonijs perterritat in litterâ probare Magister.

5. Primò suadet Magister ex Apostolo ad Coloss. cap. 2. his verbis: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* sed ex eo quòd omnis plenitudo divinitatis inhabitet in Christo Domino corporaliter, ipse ab instanti conceptionis fuit plenus gratiâ, & scientiâ, aliisque donis eius sanctissimam decorantibus animam: ergo.

6. Secundò probat ex Augustino Magister Epist. 57. sic dictum Apostoli expendente: *Ita verò inhabitat, quòd omni gratiâ plenus sit:* ergo si ita inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter in Christo Domino, quòd omni gratiâ sit plenus, rectè ex Apostolo vnâ cum Augustino consequitur, Christum Dominum mox à conceptione suâ gratiâ, & scientiâ fuisse plenum.

7. Tertio: Quia, vt ex Ioanne cap. 3. habetur, Deus spiritum gratiæ, & scientiæ cæteris contulit iustis cum mensurâ; Christo autem Domino præfatus spiritus sine mensurâ fuit datus; sed quo pacto sine mensurâ Christo Domino fuit datus spiritus gratiæ, & scientiæ; & cæteris iustis cum mensurâ; horum aliorumque donorum plenitudine ab ipsius conceptionis limine fuit Christus Dominus nobilitatus: ergo.

8. Quarto, quadam etiam similitudine probat in litterâ inten-

tum Magister : Quemadmodum in humani corporis capite omnes sensus, quippe, visus, gustus, auditus, & olfactus vigent; in cæteris autem membris solus sensus tactus residet; ita in Christo Domino, uti in omnium capite, est plenitudo gratiæ; in alijs verò iustis est gratia, sicut sensus tactus in membris sub capite, eò quòd de plenitudine gratiæ Christi Domini, non secundum essentiam, sed secundum similitudinem, omnes acceperunt gratiam; sed ex eo quòd iusti omnes sic de plenitudine gratiæ Christi Domini gratiam acceperint, necessario fuit plenus gratiâ, & scientiâ: ergo.

9. Quintò, his Hieremiæ verbis, cap. 31. *Novum faciet Dominus super terram; mulier circumdabit virum, &c.* aliam perficit probationem Magister. Nam hæc divina clarè denotant eloquia, quòd in utero Virginis Matris perfectus vir extitit Christus, non solum propter animam, & carnem; sed propter sapientiam, & gratiam, quâ plenus erat; sed ex eo quòd Christus Dominus in Virginis Matris alvo vir perfectus extiterit, fuit à conceptionis vestibulo plenus gratiâ, & scientiâ, alijsque donis ac perfectionibus: ergo.

10. Sed oppones ex Matthæi, & Lucæ cap. 3. Si Christus Dominus à limine conceptionis foret plenitudine gratiæ, & scientiæ, aliorumque donorum ac perfectionum nobilitatus, reverà in calum descendisset Spiritus Sanctus super eum, tanquam columbam, dum à Ioanne baptizabatur; sed Spiritus Sanctus non in calum descendit supra Christum Dominum, tanquam columbam, dum à Ioanne baptizabatur; ergo quia plenitudinem gratiæ, & scientiæ, aliorumque donorum à conceptionis vestibulo Christus Dominus non habuit.

11. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Maiorem, & Consequentiam. Quia plenitudo gratiæ Christi Domini valet in duplici contemplari statu. Primò, secundum illius excellentiam. Secundò, penes apparietiam ipsius; & licet in Christo Domino à suæ conceptionis limine fuerit plenitudo gratiæ, aliorumque donorum secundum illius excellentiam, eò quòd habuerit omnem gratiæ perfectionem; tamen pro conceptionis instanti non fuit in illo gratiæ plenitudo penes apparietiam ipsius, usquedum Spiritus Sanctus in columbæ specie descendit, requievitque super eum. Unde colligitur, Sancti Spiritus descensum super Christum Dominum supervacaneum non fuisse. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

12. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis explanatione, secunda statuitur thesis: *Christus Dominus solum in sapientiâ profecisse dicitur, quantum ad exteriorem manifestacionem illius.* Hanc etenim

nim conclusionem duntaxat probat Magister ex varijs solutionibus, quas adhibet pro cuiusdam argumenti eliminandâ acie.

13. Sic oppones apud Magistrum in litterâ ex Lucâ cap. 2. dicente: *Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines;* sed ex eo quòd sic profecerit Iesus sapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum & homines, non potuit illicò à suâ conceptione plenitudine gratiæ, & scientiæ, aliorumque donorum potiri; aliter in his non profecisset: igitur Christus Dominus à limine conceptionis non habuit plenitudinem gratiæ, & scientiæ, aliorumque donorum.

14. Respondet Magister in litterâ, Christum Dominum ab instanti suæ conceptionis tantam gratiæ, & scientiæ, aliorumque donorum accepisse plenitudinem, vt Deus ei plenius conferre non potuerit, cum amplius habere capax non fuerit: Attamen verè in sacra pagina legitur, profecisse sapientiâ, & gratiâ, alijsque donis, non quidem in se, sed in alijs, qui de eius sapientiâ, & gratiâ proficiebant, dum eis sapientiæ, & gratiæ munera secundum processum ætatis magis ac magis patefaciebat.

15. Solutionem fulcit Magister Magni Gregorij affectatâ auctoritate quam homil. 11. super Locam sic suppeditare videtur: *Iuxta hominis naturam proficiebat sapientiâ; non quòd ipse sapientior esset ex tempore, qui à primâ conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat; sed eandem, quâ plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore paulatim demonstrabat:* ergo cum nullum sit iurgium in eo, quòd Christus Dominus à primâ conceptionis horâ spiritu sapientiæ plenus permanserit, simulque sapientiâ profecerit, cum eandem, quâ plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore sensim demonstraret, solutio Magistri incunctanter efficax est.

16. Aliam sic parat in huius capitis calce solutionem Magister, vt Lucæ textui plenius satisfaciât, nempe, quòd Christus Dominus proficiebat alijs, non sibi. Nam quemadmodum Rector Ecclesiasticus dicitur proficere in curâ sibi traditâ alijs proficientibus per ipsum; sic Christus Dominus, iuxta hominis naturam, dicebatur proficere sapientiâ alijs, non sibi; quia eos ad laudem Dei excitabat, & per suæ gratiæ, sapientiæque ostensionem proficiebant alijs. Vnde Magistri placitum vnâ cum textûs facti Lucæ expositione cohæret.

17. Sed oppones ex Lucæ verbis: Christus Dominus proficiebat ætate, & sapientiâ apud Deum, & homines; sed ex eo quòd sic sapientiâ ac ætate profecerit Christus Dominus apud Deum, & homines, non habuit plenitudinem gratiæ, & scientiæ à conceptionis

vesti-

vestibulo : ergo. Minor probatur : Christus Dominus verè & phisicè per temporis accessum proficiebat ætate: ergo si sapientiã, & gratiã apud Deum, & homines proficiebat ac ætate, reverã secundum temporis processum gratiã, & scientiã, alijsque proficiebat donis: ergo quemadmodum à limine conceptionis non fuit plenus ætate ; sic nec gratiã, nec scientiã, nec aliorum donorum plenitudinem habuit ab originis suæ instanti.

18. Respondetur ex ipsã Magistri doctrinã, disparem esse rationem de accremento sapientiã, & ætatis in Christo Domino. Crescebat enim sapientiã, & gratiã apud Deum, & homines, præcisè quoad earum manifestationem, siquidem quotidie per verba ostendebat sapientiã, & per miracula, sive opera excellentiora manifestabat gratiã, quin opus fuerit, quòd per temporis processum venerit gratiã ac sapientiã incrementum, morosum cursum legis communis servando: At ætate crescebat, intrinsecè per nutritionem, & extrinsecè per temporis successiõnem.

19. Nec verba illa, apud Deum, & homines, continent vim, et si Deo ab æterno omnia sint nota, ac per consequens gratis, & scientiã Christi Domini ipsi manifesta. Quia ly *apud Deum, & homines*, vertit hunc sensum, quòd in his, quæ ad Deum, & homines spectabant, quotidie Christus Dominus magis ac magis se manifestabat. Et hæc de secundã distinctionis parte sufficiant.

20. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, tertia proponitur thesis: *Esti gemina in Christo Domino sit contemplanda scientia, creata scilicet, & increata, solùm secundum hominum opinionem exterioremque apparietiam, creatã scientiã proficit.* Quam congruentissimè probat Magister duplicis argumenti exasciatã solutione.

21. Primum conficit argumentum Magister ex Ambrosio lib. de Incarn. Domin. Sacram. cap. 7. dicente: *Deus perfectionem suscepit humana natura: sensu hominis esurivit, & rogavit; sensu hominis profecit, si ut scriptum est: sensus proficiebat ætate, & sapientiã, & gratiã. Quomodo proficiebat sapientiã Dei? Profecit ætatis, & sapientiã, non divinã, sed humanã naturã est.* Ergo quanvis in Christo Domino gemina sit meditanda sapientiã, creata vna, & increata alia, & secundum increatã Christus Dominus non profecerit ; tamen secundum creatã haud dubiè, ipso Ambrosio attestante, profecit.

22. Respondet Magister in litterã, quòd licet in Christo Domino duo sint cardinei sensus, sive gemina sapientiã, iuxta duas in ipso meditata naturas, vna scilicet creata, & increata alia; nihilominus
secun-

secundum nullam profecit, quia utraque sine accremento successivo, & intrinseco in Christo agnoscenda est. Dum ergo Ambrosius sustinet, Christum profecisse in sensu hominis, sic est exponendus, quod profecerit secundum hominum opinionem, exterioremque apparentiam.

23. Secundum sic perficit ex Isaia: verbis cap. 8. argumentum Magister: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, accipiet spolia Sarnaria;* sed hec Isaia: verba satis innunt, Christum Dominum pro infantia: statu nescivisse patrem suum, matremque vocare: ergo quia a conceptionis instanti Christus Dominus dono plenitudinis scientia: non fruebatur.

24. Respondet Magister, sacrum Isaia: vaticinium more hominum exponendum fore; sive quod similitudinarie ad modum nescientis, dum Christus Dominus annos infantiles agebat, se gessit; cum pro illo temporis intervallo non ostenderit suam sapientiam, cuius plenitudinem a conceptionis limine habuit. Unde, etsi Dominus Iesus pro infantia: statu non vocaverit patrem suum, & matrem, inscius non est censendus, eo quod assueto hominum vsui se accommodare intenderit; atque adeo solum secundum exteriorem apparentiam, hominumque opinionem scientia: profecit. Et haec de tertia, & ultima: distinctionis parte satis sint dicta.

Q V A E S T I O N E S.

25. Q V E S T I O 1. An Anima Christi Domini fuerit sancta a sanctitate increata? Ex Angelica Schola D. Thomas 3. p. q. 7. art. 1. & in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 21. §. 1. & seqq. Arauxo 3. p. q. 7. dub. 2. conclus. 2. Lumbier de incarn. quest. 18. art. 1.

26. Ex Subtili Schola Scotus in 3. dist. 13. q. 1. Lauraa de incarn. disp. 16. art. 1. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 10. q. 1. Sendia tract. 3. disp. 1. sect. 1. §. 1. & seqq. Felix de incarn. cap. 11. difficul. 2. Gallus in 3. dist. 13. q. 1. cap. 1. Aquila in 3. dist. 13. q. 1.

27. Ex Schola Eximia Suarez disp. 15. & 18. Muniessa disp. 14. sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 51. sect. 1. & seqq. Aranda lib. 5. disp. 1. sect. 1. §. 1. & seqq. Anton. Perez tract. 6. disp. 1. cap. 9. Penafiel tom. 4. disp. 12. sect. 2. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 1. sect. 1. Aldrete disp. 45. contror. 9. sect. 1.

28. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Alens. 3. p. q. 1. memb. 1. Durandus in 3. dist. 13. q. 2. Gabriel in 3. dist. 13. q. 1.

Aureolus in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Ektius in 3. dist. 13. §. 1. & seqq.
Malletus tom. 2. pag. 8. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 5. sect. 1.

29. Quæstio 2. An Christus Dominus fuerit sanctus ab vnione hypostaticâ, aut à personalitate Verbi divini? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 7. art. 1. & in 3. dist. 13. q. 1. art. 2. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 21. §. 3. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 7. disp. 8. art. 1. Gonetius tom. 4. tract. 1. disp. 11. art. 2. Lumbier q. 19. de incarn. art. 2. Nicolai in 3. dist. 13. q. 3. art. 2. & 3. Arauxo 3. p. q. 7. dub. 2. conclus. 3.

30. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 13. q. 1. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 10. q. 1. & seqq. Delgadillo p. 2. cap. 7. difficult. 1. dub. 1. Lauræa de incarn. disp. 16. art. 1. & 2. Gallus in 3. dist. 13. cap. 1. & seqq. Aquila in 3. dist. 13. q. 1. & 2. Pitygian. in 3. dist. 13. art. 1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 13. q. 1. Felix de incarn. cap. 11. difficult. 2. & seqq.

31. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 18. & 53. sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 51. sect. 1. & seqq. Anton. Perez tract. 6. disp. 1. cap. 8. Muniessa disp. 14. sect. 2. Aranda lib. 5. disp. 1. sect. 1. §. 5. Vazq. disp. 41. cap. 4. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 1. sect. 1. §. 3. Peñafiel tom. 4. disp. 12. sect. 1. Aldrete de incarn. controu. 7. disp. 35. sect. 1. Bernal disp. 29. sect. 2.

32. Ex alijs D Bonaventura in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Gabriel in 3. dist. 13. q. 1. Aureolus in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Alenf. 3. p. q. 11. memb. 1. & seqq. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. 9. dub. 1. Ektius in 3. dist. 13. §. 1. & seqq. Baldius lib. 2. quæsit. 3. q. 2. difficult. 1. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 5. sect. 1. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 8. & seqq.

33. Quæstio 3. An humanitas Christi Domini fuerit sancta à gratiâ habituali? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 21. §. 1. & seqq. Gonetius tom. 4. tract. 1. disp. 11. art. 1. Nicolai in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Lumbier q. 19. de incarn. art. 2. Arauxo in 3. p. q. 7. dub. 2. conclus. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. q. 7. disp. 8. art. 1. & seqq.

34. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 13. q. 1. Lauræa de incarn. disp. 16. art. 3. Felix de incarn. cap. 11. difficult. 1. & 2. Rada 3. p. controu. 4. art. 3. Castillo de incarn. disp. 11. q. 2. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 10. q. 1. & seqq. Delgadillo p. 2. cap. 7. difficult. 2. dub. 1. & seqq. Poncius in 3. Comment. dist. 13. num. 5. Cavellus in Schol. dist. 13. q. 1. Gallus in 3. dist. 13. q. 1. cap. 1. & seqq.

35. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 18. sect. 1. Aranda lib. 5. disp. 1. sect. 1. §. 6. Ragusa disp. 67. §. 2. Beccan. cap. 8. q. 1. Granados tract.

tract. 7. disp. 1. Lugo disp. 16. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 1. sect. 2. §. 1. & seqq. Peñafiel tom. 4. disp. 12. sect. 5. Carleton tom. 2. disp. 51. sect. 1. & seqq. Vvanding. de incarn. disp. 5. dub. 2. Muniella de incarn. disp. 14. sect. 3. Anton. Perez tract. 6. disp. 1. cap. 1. & seqq.

36. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 13. q. 1. art. 1. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 5. sect. 1. Bonaspei tom. 2. tract. 3. disp. 9. dub. 2. Baldius lib. 2. quest. 3. difficul. 1. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 9. & seqq. Estius in 3. dist. 13. §. 2. & seqq. Baudun. p. 1. q. 19. & seqq. Alenf. 3. p. q. 11. memb. 1. & seqq. Gabriel in 3. dist. 13. q. 1. Anteoilus in 3. dist. 13. art. 1.

37. Quæstio 4. An gratia Christi Domini fuerit infinita? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 7. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 26. §. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 9. art. 2. Gonctus tom. 4. tract. 1. disp. 13. art. 1. Camerarius tom. 3. q. 7. art. 11. Lumbier q. 21. art. 3. Nicolai in 3. dist. 13. q. 1. art. 3. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 5. dub. 2.

38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 13. q. 1. & seqq. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 3. & in 3. Comment. dist. 13. num. 54. Boyvin 2. p. cap. 8. q. 6. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 11. q. 1. Gallus in 3. dist. 13. q. 1. cap. 1. & seqq. Delgadillo p. 2. cap. 7. difficul. 2. dub. 3. Herinckx p. 4. disp. 2. q. 2. Aquila in 3. dist. 13. q. 1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 13. q. 1. & seqq. Lauræa de incarn. disp. 16. art. 3. & seqq. Felix de incarn. cap. 11. difficul. 3.

39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 22. sect. 1. Lugo disp. 16. sect. 6. Aranda lib. 5. disp. 1. sect. 3. §. 1. Cardenas in gemino sydere disp. 2. cap. 27. Aldrete contror. 1. disp. 52. sect. 2. & seqq. Muniella disp. 14. sect. 3. Carleton tom. 2. disp. 51. sect. 4. Anton. Perez tract. 6. disp. 1. cap. 7. Arriaga disp. 32. sect. 1. & seqq. Peñafiel tom. 4. disp. 12. sect. 6. Marr. Perez disp. 18. sect. 1. & 6. Bernal disp. 30. sect. 3.

40. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 13. q. 1. & seqq. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 5. sect. 2. Bonaspei tom. 2. tract. 3. disp. 9. dub. 3. Baldius lib. 2. quest. 3. q. 3. difficul. 3. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 6. q. 2. Baudun. tract. 1. q. 7. art. 4. Malletus tom. 2. pag. 9. & seqq. Estius in 3. dist. 13. §. 1. & seqq.

41. Quæstio 5. An Christus Dominus ab instanti Conceptionis habuerit plenitudinem scientiæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. & seqq. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 23. §. 1. & seqq. Camerarius tom. 3. q. 9. art. 1. Nicolai in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 6. dub. 1.

42. Ex Subtili Scholâ Scotas in 3. dist. 14. q. 1. Poncius tract. 17. disp. 39. q. 1. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 13. q. 1. Rada 3. p. controv. 9. art. 1. Pitygian. in 3. dist. 14. art. 5. Cavellus in Schol. in 3. dist. 14. q. 1. Gallus in 3. dist. 14. q. 1. cap. 1. & seqq. Herincx 4. p. disp. 2. q. 1. Felix de incarn. cap. 15. difficul. 1.

43. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 1. disp. 27. sect. 1. & 2. Vazq. 3. p. disp. 54. sect. 1. cap. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 52. sect. 1. & 2. Anton. Perez tract. 6. disp. 2. cap. 1. & seqq. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 2. sect. 1. §. 1. Mart. Perez disp. 22. sect. 2. Elparza q. 27. art. 7.

44. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 14. q. 1. & seqq. Caspenf. tom. 2. tract. 20. disp. 5. sect. 4. Estius in 3. dist. 13. §. 1. & seqq. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 7. q. 1. Malletus tom. 2. pag. 7. & seqq. Bonespèi tom. 2. tract. 3. disp. 10. dub. 1. & seqq. Bassus verb. scientia Christi D. num. 2. & seqq.

45. Quæstio 6. An gratia sit donum creatum, & à Spiritu Sancto distinctum? De quò, tom. 1. dist. 14. q. 2.

46. Quæstio 7. An charitas, & cætera alia dona superna creentur, aut educantur? De quò, tom. 1. dist. 14. q. 3.

47. Quæstio 8. An gratia, & charitatis habitus realiter distinguantur? De quò, tom. 1. dist. 14. q. 4.

48. Quæstio 9. An habitus charitatis, sivè lumen gloriæ sit tota ratio agendi? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 1.

49. Quæstio 10. An, & quomodo gratia habitualis possit augeri, aut minui? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 2.

50. Quæstio 11. An gratia, & peccatum possint esse simul de potentia absolutâ? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 7.

51. Quæstio 12. An sit de fide, sanctificationis formam esse habitum? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 9.

52. Quæstio 13. An Christus Dominus ab instanti Conceptionis habuerit plenitudinem gratiæ? De quò, hinc q. 4.

53. Quæstio 14. An Christus Dominus sit sapiens sapientiâ genitâ, simulque ingenitâ? De quò, tom. 1. dist. 32. q. 1.

54. Quæstio 15. An negare Christo Domino gratiam habitua-lem, sit quid temerarium? De quò, hinc q. 3. & 4.

55. Quæstio 16. An testimonia Sanctorum Patrum apertè convincant, gratiam habitua-lem fuisse in Christo Domino? De quò, hinc q. 3. & 4.

56. Quæstio 17. An gratia capitis sit idem cum gratiâ singula-ris personæ? De quò, hinc q. 3. 4. & 5.

DE COMPARATIONE SAPIENTIÆ CHRIS-
ti Domini ad sapientiam Dei.

DISTINCTIONIS DECIMÆ-QUARTÆ

Synopsis.

*Omnia Christi animam novisse fatebimur omnes,
Non tamen Omnipotens ipsa fuisse datur.*

Sic incipit : *Hic quæri opus est.*

Sic terminat : *Frustra habetur controversia.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Christi Domini perfectionis plenitudine, quantum ad ipsius gratiam, & scientiam ; sed in præsentī comparat perfectionem, quâ pollet in quantum homo, cum perfectione Dei: igitur rectam connexionem servant.

2. Consequentia probatur: Non benè posset Magister perfectionem Christi Domini, in quantum homo, cum perfectione Dei conferre, si priùs de illâ non egisset attentè ; sed Magister in superiori distinctione maximâ protymiâ de Christi Domini perfectionis plenitudine diservit, quantum ad ipsius gratiam, & scientiam: ergo dum perfectionem illam modò cum Dei perfectione comparat, concinnum connexionis ordinem tenet.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ ostendit Magister, quòd licèt anima Christi Domini per scientiam infusam noverit omnia, quæ Deus, etsi non ita plenè, non tamen omnia potest, quæ Deus valet. In secundâ verò id ipsum firmat, sustinens, Christi Domini animam non fuisse Omnipotentiâ honestatam. In tertiâ autem, & ultimâ detegit parte, Christum Dominum, adhuc secundum hominem, non semel Omnipotentiam accepisse, in usumque habuisse.

4. **P**RO PRIMÆ igitur partis assiduâ intelligentiâ, en primum theoremata : *Etsi Christi Domini anima omnem Deus contulerit scientiam, eidem tamen communicare Omnipotentiam non potuit.* Quod soletur expen-

dit

dit Magister, dum cuidam dubitationi contentæ in litter congruentissimam ad seit solutionem.

5. Inquirat ergo Magister: *An anima Christi Domini æqualem Deo sapientiam habuerit; & verum noverit omnia, quæ Deus scit?* Sed antequam suum proprium debeat nutum Magister, aliorum opinionem refert, & promovet; & postmodum ipsam refellit, in suarumque potestatem sententiam discedit.

6. Aliquot enim dixerunt, animam Christi Domini nec æqualem cum Deo habere sapientiam, nec omnia scire, quæ Deus scit. Quod sic in litterâ primò probare tentant: Anima Christi Domini est creatura; sed creatura in nullo Creatori æquatur: ergo nec in sapientiâ; sed ex eo quod Christi Domini anima non coæquetur Creatori in sapientiâ; nec æqualem cum ipso habet sapientiam, nec omnia noscit, quæ Deus scit: ergo.

7. Secundò: Si anima illa Christi Domini æqualem cum Deo haberet scientiam, iam Deus in omni bono, maiori non frueretur virtute, quàm eius creatura; sed Deus in omni bono, maiori pollet virtute, quàm eius creatura: ergo quia Christi Domini anima, nec supparem Creatori habet scientiam, nec scit omnia, quæ Deus noscit.

8. Terriò probant ex Prophetâ, Psal. 138. in personâ hominis assumpti, alloquente: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, & non potero ad eam;* sed Regius Psaltes scientiam Dei cum Christi Domini animæ scientiâ his confert verbis, hancque inferiorem statuit: ergo quia nequit scientia animæ Christi cum Dei scientiâ æquari.

9. Quartò, sic in præfatæ opinionis subsidium, Prophetæ dictum illustrat Cassiodorus in Expos. ad Psal. 130. *Veritas humane conditionis ostenditur; quia assumptus homo divine substantiæ non potest æquari, vel in scientiâ, vel in alio:* ergo si humane conditionis veritas ostenditur in eo, quod assumptus homo divine substantiæ non possit æquari, vel in scientiâ, vel in alio, rectè deducitur, animam Christi Domini nec supparem esse in scientiâ Deo, nec omnia scire posse, quæ Deo datum est noscitare.

10. Quintò, ampliùs roborant assumptum ex 1. Corinth. cap. 2. dum sic Apostolus scribit: *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Ergo si nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia, etiam profunda Dei, non poterit anima Christi Domini scire omnia, quæ Deus scit, nec æqualem cum eo sapientiam habere, eò quod ipse Spiritus Dei non sit, qui solus omnia scrutatur.

11. Sextò tandem, aliâ ratione suam in litterâ opinionem suadent: Si enim anima Christi Domini sciret omnia, quæ scit Deus, haud dubiè non solum seipsam, verùm totum mundum creare sciret, cum id Deum non lateat; sed anima Christi Domini nec seipsam, nec mundum totum creare scit: ergo quia non scit omnia, quæ Deus scit; sed si sciret omnia, quæ Deus scit, æquali cum ipso scientiâ polletet: ergo. Hactenus de hac opinione.

12. Respondet iam Magister dubitationi pro thematis scopo nuper appposito, animam Christi Domini per scientiam sibi gratis collatam cognoscere omnia in Verbo, quæ Verbum ipsum noscit, à quo in unitatem suppositi fuit assumpta vnâ cum alijs humanæ naturæ partibus.

13. Vnde subdit Magister in litterâ, rationesque in oppositum vniuersaliter diluit: Quòd licet anima Christi Domini sciat omnia, quæ Deus scit, non tamen potest omnia, quæ Deus valet; nec ita plenè ac clarè cognoscit omnia, sicut Deus intuetur illa: Quamobrè Creatori suo non æquatur creatura in scientiâ; quia estò æquetur scientiæ Dei, quoad numerum scitorum, non tamen æquatur sibi in modo sciendi. Deindè; quia scientia Dei multò dignior, & altior est, digniusque, & perfectius omnia capit, quàm illius animæ Christi Domini scientia: ergo quanvis anima Christi Domini sciat omnia, quæ Deus scit; non tamen formali rectâque illatione consequitur, quòd suppar sit vtròque scientia.

14. Vtteriùs pergit Magister ad alia specialiter eliminanda argumenta pro oppositâ opinione adducta. Illud enim Apostoli: *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia*, non solum non officit asserto, verùm ipsi proficit; eò quòd exponatur, apud litteram, de spiritu, qui datus est Christo Domino non ad mensuram; cum immediatè addat Apostolus: *Nos autem spiritum Dei habemus*. Ergo si spiritus Dei, qui datus est Christo Domino non ad mensuram, scrutatur omnia, etiamque profunda Dei, quis inficias ibit, animam Christi Domini scire omnia, quæ Deus scit?

15. Insuper ad instantiam illam, quòd si Christi Domini animæ sciret omnia, etiam sciret creare seipsam, totumque mundum, respondet Magister, animam illam scientiam habere creandi, sed non potentiam; quia scit quomodo seipsam, mundumque totum creaverit Deus: Habet ergò scientiam sui creatæ, sed non sui creandæ: quia non est creanda, sed creata: ergo rectè compatitur, quòd Christi Domini anima sciat omnia, quæ Deus scit, etsi non possit omnia, quæ Deus valet.

16. His sic prælibatis, suam iam primò propugnat resolutionem Magister, simulque oppositam penitus dissolvere tentans: Anima Christi Domini præ omnibus spiritum Dei habuit, cui spiritus non est datus ad mensuram, ut innuit sacer textus Ioannis cap. 3. ergo si Spiritus Sancti donis sine mensurâ anima illa Christi Domini fruebatur, etiam & sapientiæ dono; sed ex eo quòd sapientiæ dono sine mensurâ frueretur, necessariò sciret omnia, quæ Deus scit: ergo.

17. Secundò: Si quædam sciret anima illa Christi Domini, & quædam non; iam tunc non sine mensurâ scientiam haberet; sed sine mensurâ scientiam habuit: ergo quia omnia sciebat; sed ex eo quòd sic scierit omnia, reverà sciret omnia, quæ Deus scit: ergo quanvis scientia animæ Christi Domini non sit par cum scientiâ Dei; tamen scit omnia, quæ Deus scit.

18. Tertiò ex Divo Fulgentio, quodam in sermone, hanc argutè Apostoli ad Colossenses cap. 2. expendente auctoritatem: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Sic alloquitur Fulgentius: *Anima illa Christi Domini rerum omnium scientiam habet;* sed dum Christi Domini anima scientiam rerum omnium habet, scit omnia, quæ Deus scit, aliter rerum omnium scientiam non haberet, etsi ipsius scientia cum scientiâ Dei æquari non possit: ergo.

19. Quartò: Nullus scit aliquid, quod eius anima ignorat; sed Christus Dominus, secundum omnes Doctores, scit omnia: igitur anima eius scit omnia; sed quo pacto scit omnia, profectò scit omnia, quæ Deus scit: igitur nihil Christi Domini animam later, quod Deus scit; sed his non probatur, scientiam animæ Christi Domini cum scientiâ Dei æquari: ergo quia hæc duo aptè cohærere videntur, quippe, quòd anima Christi Domini sciat omnia, quæ Deus scit; & quòd eius scientia non sit æqualis cum Dei scientiâ.

20. Sed oppones: Eò quòd anima Christi Domini sciat omnia, quæ Deus scit, reverà Deus non scit magis, quàm Christi Domini anima scit; sed ex eò quòd Deus non sciat magis, quàm anima Christi scit, scientia animæ Christi Domini cum scientiâ Dei æquatur: igitur anima Christi Domini non solum scit omnia, quæ Deus scit; verum eandem scientiæ æqualitatem referunt.

21. Respondet Magister in litterâ negando Minorem, & Consequentiam. Quia licet anima Christi Domini sciat omnia, quæ Deus scit; non tamen vicissim eandem scientiæ æqualitatem referunt; quia scientia Dei omnia plenè ac clarè intuetur, & absque vllâ dependentiâ; sicque dignior, & altior omnibus alijs censetur scientijs;

digniusque ac perfectius omnia capit: At scientia animæ Christi Domini, etsi omnia sciat, quæ Deus scit, non tantâ claritudine ac plenitudine, nec independenter à Deo; imò nec æquè dignior, & altior à nemine commendatur, eò quòd hæc sit creata, & increata illa. Unde, quandam solùm æqualitatem in numero scitorum præ se ferunt, non verò in modo sciendi.

22. Instabis: Anima Christi Domini est speculum clarissimum ac mundissimum, iuxta illud: *Candor lucis aeternæ, speculum sine maculâ*: ergo quia omnia, quæ in eâ apparent, clarè ac plenè suâ intuetur scientiâ: ergo tantâ claritudine ac plenitudine scit omnia anima Christi Domini, ac ipse intuetur Deus: ergo non est ex quo æqualem non debeant referre scientiam.

23. Respondetur ex ipsius Magistri doctrinâ, animam Christi Domini non esse speculum clarissimum ac mundissimum simpliciter, cum hoc solùm soli rerum omnium Creatori congruat; sed tantùm respectû aliarum creaturarum, inter quas anima Christi Domini principatum tenet, cum supra omnes exaltata fuerit; atque adeò nunquam Creatori in scientiâ, modoque sciendi æquari poterit. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

24. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis sedulâ ostensione, en secundum theorema: *Anima Christi Domini non fuit divinâ Omnipotentia nobilitata*. Hæc est secunda superioris theorematis pars; & pro exactâ ipsius probatione persequatur Magister in littera: *Quare anime Christi Domini non dederit Deus potentiam faciendi omnia, (sicut cognoscendi omnia potentiam?*

25. Et respondet Magister, idèò cognoscendi omnia Deum animæ Christi Domini contulisse potentiam, & non faciendi omnia potentiam, quia natura eius attentè meditata, etsi capax fuerit omnis scientiæ, non tamen omnis potentia. Quod duplici duntaxat probat compendiarîâ ratione.

26. Primò: Si animæ Christi Domini foret datum omnia facere, quæ Deus fecit, absque vllâ cunctatione posset iure optimo Omnipotentis nomen fortiri; consequenterque hoc divino munere accepto, arbitrari Deum; sed anima Christi Domini, quanvis Verbo divino vnita, non valet Omnipotentis nomen fortiri, nec Deum arbitrari: ergo quia animæ Christi Domini non potuit Deus Omnipotentiam conferre, etsi omnisciantiam concesserit.

27. Secundò: Quanvis potentiam faciendi aliqua, quæ à creaturâ naturaliter fieri nequeant, possit Deus animæ Christi Domini

communicare; nihilominus potentiam faciendi omnia non valet Deus ipsi præstare; eò quòd primum non extraheret illam à suo esse creato; secùs secundum; dùm in infinitudinis divinitatisque celsissimo cam locaret culmine: ergo etsi Christi Domini animæ dederit Deus potentiam cognoscendi omnia, non tamen omnia faciendi potentiam præstare potuit.

28. Sed oppones primò: Animæ Christi Domini data est omnis potestas in Cælo, & in terrâ, vt exploratum est omnibus apud Matthæum cap. ult. sed omnipotentia Dei nihil aliud est, quàm omnia posse vbiquè, sive omnis potestas in Cælo, & in terrâ: ergo quia animæ Christi Domini non solùm potentia cognoscendi omnia, verùm & potentia faciendi omnia fuit ipsi à Deo elargita.

29. Respondetur negando Consequentiam. Nam Matthæi, & Magistri verba, non in eodem, sed in diverso veniunt accipienda sensu. Quia Matthæi verba passim de potentiâ præsidendi exponuntur, quæ animæ Christi Domini congruit; cùm supra cunctos fuerit Angelos evecta, omnibus præest, quæ sub Deo sunt. Magister verò loquitur de potentiâ faciendi omnia, quæ animæ Christi Domini aptari nequit; ac proindè suis verbis Magister non se dat in obvium sacro Matthæi textui.

30. Oppones secundò: Maioris ampliorisque latitudinis est scientia, quàm potentia; eò quòd Deus sciat omnia quæ potest, etsi non possit omnia quæ scit, vt Iustranti constabit; sed anima Christi Domini est capax omniscientiæ, quæ maius, & amplum arbitratur donum: ergo & erit capax omnipotentia, quæ inter minora minùsque spatiosa recensetur dona: ergo dùm Deus animæ Christi Domini contulit omniscientiã, omnipotentiam diffiteri non potuit.

31. Respondetur ex Magistri doctrinã, quòd licet ex parte obiecti sit amplioris latitudinis scientia, quàm potentia, vt benè evincit instantia; non verò ex parte subiecti; imò è contra, maioris extensionis ex parte subiecti est potentia, quàm scientia. Nam omnipotentia constituit subiectum suum omninò immensum, & infinitum; secùs omniscientiã, vt expendebamus supra; sicque omnipotentia potiùs subiecti, quàm obiecti amplitudinem respicit. Quamobrem, etsi animæ Christi Domini contulerit Deus omniscientiã, non ideò colligitur, & omnipotentiam communicare debere. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

32. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis solerti indagine, en tertium theorema: *Christus Dominus, vt homo; quandoque*

omnipotentiam accepisse dicitur, in quantum scilicet, homo cepit esse Filius Dei, & Filius Dei Filius hominis, & homo Deus, & Deus homo. Quod solum quadam Divi Ambrosij, sive potius Venerabilis Bedæ auctoritate suadere pertentat.

33. Divus ergo Ambrosius exponens illud Lucæ cap. 1. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, &c.* sic concinnè affatur: *Non ideò erit magnus, quòd ante partum Virginis magnus non fuerit; sed quia potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, ut una sit persona homo, & Deus.* Ergo quia Christus Dominus, ut homo, omnipotentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, ipse ut homo erat ex tempore accepturus, scilicet, dum homo cepit esse Filius Dei, & Filius Dei Filius hominis, & homo Deus, & Deus homo.

34. Verùm, quia Ambrosij, sive Bedæ præfata verba magnam possunt difficultatem inducere, & ea, quæ hæcenus in distinctione scriptis, radicibus evertere; cum animæ Christi Domini omnipotentiam elargiri videantur, opus erit nobis, in catholico illa expendere sensu, ut nec animæ Christi Domini omnipotentia adscribatur, nec à Magistri placito abire cogamur.

35. Quamobrem dicimus, verba illa non esse ita expendenda, quòd Christus Dominus habuerit, secundum humanam naturam, omnipotentiam ex tempore, quemadmodum illam habuit secundum divinam naturam ab æterno; sed quòd Filius Dei ab æterno omnipotens, futurus erat homo in tempore habens omnipotentiam, non secundum humanam, sed secundum divinam naturam: ergo sic Ambrosij, aut Bedæ verborum expositione captâ, nullum in assertum Magistri iusurium, nec in omnipotentiam divinam dispendium ingerunt. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

Q U Æ S T I O N E S.

36. **Q**UÆSTIO 1. An Christus Dominus ab instanti Conceptionis viderit clarè, & intuitivè Deum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. p. disp. 14. q. 1. art. 1. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 32. §. 1. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 16. art. 1. Camerinus tom. 3. q. 9. art. 2. & q. 24. art. 4. Cayetan. 1. p. q. 12. art. 5. Bañez 1. p. q. 12. dub. 3. Sorus in 4. dist. 49. q. 2. art. 4. Zumel 1. p. q. 12. disp. 2. art. 5.

37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 14. q. 1. Gallus in 3. dist. 14. q. 1. cap. 1. Delgadillo p. 2. cap. 8. difficult. 1. dub. 1. Lauræa de incarn.

carn. disp. 15. art. 1. Felix de incarn. cap. 15. diff. 1. Pirygian. in 3. dist. 14. q. 1. art. 5. Aquila in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. Cavellus in Schol. in 3. dist. 14. q. 1. Boyvin 2 p. cap. 7. q. 1.

38. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez 1. p. disp. 46. cap. 1. & seqq. Aranda de incarn. lib. 5. disp. 3. sect. 2. §. 2. Bernal disp. 33. sect. 1. & seqq. Marr. Perez disp. 22. sect. 2. Peñafiel tom. 4. disp. 13. sect. 3. Carleton tom. 2. disp. 52. sect. 1. & 2. Anton. Perez tract. 4. p. 2. disp. 2. cap. 1. Munieſſa de incarn. disp. 13. sect. 2. Elsparza q. 27. de provid. art. 7.*

39. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 14. q. 1. & seqq. Durand in 4. dist. 49. q. 2. Bonæſpei tom. 2. tract. 3. disp. 10. dub. 1. & 2. Estius in 3. dist. 14. §. 1. & seqq. Baudun. q. 10. art. 1. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 9.*

40. *Quæſtio 2. An anima Christi Domini videat in Verbo omnes creaturas, quas visionis scientiâ intuetur Deus? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 14. q. 2. art. 2. Godoy in 3. p. tom. 2. disp. 34. §. 1. & seqq. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 5. cap. 3. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 12. art. 2. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 16. art. 2. Camerinus tom. 3. q. 10. art. 2. Nicolai in 3. dist. 14. q. 1. art. 7. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 6. dub. 3.*

41. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 14. q. 2. Mastrius tom. 3. disp. 5. q. 1. art. 1. Boyvin 2. p. cap. 7. q. 2. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 13. q. 2. Gallus in 3. dist. 14. q. 2. art. 1. & 2. Delgadillo p. 2. cap. 8. diff. 1. dub. 8. & 9. Rada 3. p. contröv 9. art. 3. Poncius in 3. comment. dist. 14. num. 102. Felix de incarn. cap. 15. difficul. 3. Cavellus in 3. in Schol. dist. 14. q. 2. Aquila in 3. dist. 14. q. 2.*

42. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 1. disp. 26. sect. 1. & seqq. Aranda lib. 5. disp. 3. sect. 2. §. 3. Aldrete de incarn. contröv. 11. disp. 63. sect. 1. Martinon disp. 8. de Deo sect. 5. Molina 1. p. q. 12. art. 8. disp. 2. Amicus p. 1. disp. 9. sect. 32. Lugo disp. 29. sect. 1. & 2. Bernal disp. 34. sect. 1. §. 1. & seqq. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 2. sect. 1. §. 2. Peñafiel tom. 4. disp. 13. sect. 5. Carleton tom. 2. disp. 52. sect. 3. Anton. Perez tract. 6. p. 2. disp. 2. cap. 4. Munieſſa de incarn. disp. 13. sect. 5.*

43. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 14. q. 3. art. 2. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 6. sect. 2. Bonæſpei tom. 2. tract. 3. disp. 10. dub. 2. Baudun. tract. 1. q. 11. art. 1. Estius in 3. dist. 14. §. 2. & seqq. Gabriel in 3. dist. 14. q. 2. Malletus tom. 2. pag. 7. & seqq. Basszus verb. scientia Christi Domini, num. 1.*

44. *Quæſtio 3. An Christus Dominus ultra scientiam beatam habuerit scientiam infusam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 9. art. 2.*

9. art. 2. & in 3. dist. 14. art. 1. q. 5. Godoy in 3. p. disp. 35. §. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 11. art. 2. Gonet tom. 4. tract. 1. disp. 18. art. 1. Camerinus tom. 3. q. 9. art. 3. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 6. dub. 2. Cayetan. in 3. p. q. 9. art. 4. Nicolai in 3. dist. 14. q. 1. art. 10. Medina in 3. p. q. 9. art. 4. Palacius in 3. dist. 14. disp. 1.

45. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 14. q. 3. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 1. & in 3. Comment. dist. 13. num. 182. Boyvin 2. p. cap. 7. q. 3. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 14. q. 1. Mastrius tom. 3. disp. 5. q. 2. art. 1. Delgadillo 2. p. cap. 8. difficul. 3. dub. 1. Rada 3. p. contr. 9. art. 4. & 5. Lauræa disp. 15. art. 7. Herincx p. 4. disp. 2. q. 1. Felix de incarn. cap. 16. difficul. 1. Galus in 3. dist. 14. q. 1. cap. 1. & seqq. Cavelus in Sci. ol. in 3. dist. 14. q. 3. Aquila in 3. dist. 14. q. 1. & seqq.

46. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 27. sect. 1. & seqq. Vazq. in 3. p. disp. 52. cap. 1. Amicus tom. 6. disp. 20. art. 1. Aranda de incarn. lib. 5. disp. 3. sect. 3. §. 1. Lugo de incarn. disp. 20. sect. 1. Bernal disp. 35. sect. 1. Mart. Perez disp. 23. sect. 1. & seqq. Aldrete de incarn. disp. 67. contr. 12. sect. 1. & seqq. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 2. sect. 2. §. 1. & 2. Peñafiel tom. 4. disp. 13. sect. 3. & 6. Carleton tom. 2. disp. 52. sect. 4. Anton. Perez tract. 6. p. 2. disp. 3. cap. 1. & 2. Muniella de incarn. disp. 13. sect. 8.

47. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 14. art. 3. q. 1. Alensis 3. p. q. 13. memb. 7. Baudunius tract. 1. q. 9. art. 1. & 2. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 7. q. 3. Bonæspei tom. 2. tract. 3. disp. 1. dub. 3. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 6. sect. 4. Estius in 3. dist. 14. §. 1. & seqq. Bastæus verb. scientia Christi D. num. 4. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 7. & seqq.

48. Questio 4. An Christus Dominus habuerit scientiam per se acquisitam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 12. art. 2. & in 3. dist. 14. art. 3. q. 5. Godoy in 3. p. disp. 35. §. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 11. art. 3. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 18. art. 2. Camerinus tom. 3. q. 9. art. 4. Nicolai in 3. dist. 14. q. 1. art. 10. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 6. dub. 2.

49. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 14. q. 3. Mastrius tom. 3. disp. 11. art. 3. Boyvin 2. p. cap. 7. q. 6. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 15. q. 1. Delgadillo p. 2. cap. 8. difficul. 4. dub. 1. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 1. & 2. Rada 3. p. contr. 9. art. 4. & 5. Lyra in cap. 2. Lucæ. Felix de incarn. cap. 17. difficul. 1. Lauræa de incarn. disp. 15. art. 7. Herincx p. 4. disp. 2. q. 1.

50. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 30. sect. 2. Amicus tom. 6. disp. 21. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 52. sect. 5. Anton. Perez tract. 6.

p. 2. disp. vii. cap. 1. *Munjeffa de incarn. disp. 13. sect. 9. Aldrete de incarn. controv. 12. disp. 69. sect. 1. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 2. sect. 3. §. 1. Peñañiel tom. 4. disp. 13. sect. 7. Aranda de incarn. lib. 5. disp. 3. sect. 4. §. 1. Lugo de incarn. disp. 21. sect. 1.*

51. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 14. art. 3. q. 2. Alensis 3. p. q. 13. memb. 7. & seqq. Gabriel in 3. dist. 14. q. 1. & 2. Bonæspei tom. 3. disp. 10. dub. 4. Calpenl. tom. 2. tract. 20. disp. 6. sect. 5. Estius in 3. dist. 14. §. 1. & seqq. Eustach. à S. Pau o p. 2. tract. 1. disp. 7. q. 4. Baudun. tract. 1. q. 9. art. 1. & 2. Malletus tom. 2. pag. 7. & seqq. Bassæus verb. scientia Christi Domini, num. 6. & seqq.*

52. Quæstio 5. An Christus Dominus cognoscat in Verbo omnes creaturas posibles? De quò, *hic q. 2. 3. & 4.*

53. Quæstio 6. An Christus Dominus fuerit beatus ab instanti conceptionis? De quò, *hic q. 1.*

54. Quæstio 7. An scientia beata Christi Domini sit eiusdem speciei cum scientiâ hominum beatorum? De quò, *hic q. 3. & 4.*

55. Quæstio 8. An scientia Christi Domini sit eiusdem speciei cum scientiâ beatâ Angelorum? De quò, *hic q. 3. & 4.*

56. Quæstio 9. An Christus D. omnia sciat, quæ Deus scit? De quò, *hic q. 2.*

57. Quæstio 10. An Christus D. sit Omnipotens, & in quo stet eius ratio formalis constitutiva? De quò, *tom. 1. dist. 7. q. 6.*

58. Quæstio 11. An, & à quo defumatur inæqualitas visionis beatæ? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 49. q. 2.*

59. Quæstio 12. An in Deo omnes creaturas posibles valeant beati intueri? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 49. q. 4.*

60. Quæstio 13. An Christus D. visione, seu scientiâ beatâ comprehendat Deum? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 49. q. 5.*

61. Quæstio 14. An quilibet beatus valeat cõprehendere Deum? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 49. q. 5.*

62. Quæstio 15. An sit possibilis species impressa Trinitatis? De quò, *tom. 1. dist. 3. q. 8.*

63. Quæstio 16. An Anima Christi Domini possit videre essentiam divinam sine attributis, aut vnam personam sine aliâ? De quò, *tom. 1. dist. 1. q. 10.*

64. Quæstio 17. An Anima Christi Domini possit Deus virtutem creativam communicare? De quò, *tom. 1. dist. 30. q. 1.*

DE DEFECTIBVS, QVOS CHRISTVS DO-
minus vnâ cum naturâ humanâ assumpsit,
& aliquos non accepit.

DISTINCTIONIS DECIMÆ QVINTÆ

Synopsis.

Sustinuit nostræ Christus discrimina vitæ,

Quæ sibi pro nobis congrua visa pati.

Sic incipit : *Illud quoque.*

Sic terminat : *Se non scandalizari.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de plenitudine scientiæ Christi Domini ex parte humanitatis; sed in præsentî determinat de ipsius passibilitatis defectu: igitur rectâ alternis connexionem pollent.

2. Consequentia probatur: Prius est, humanitatem Christi Domini donis ac perfectionibus decorare, quàm de defectibus ab ipso vnâ cum humanâ naturâ assumptis differere, eò quòd bona malis semper præferenda sint; sed Magister in superioribus distinctionibus de gratiæ, & scientiæ plenitudine, alijsque perfectionibus naturam humanam à Verbo divino assumptam decorantibus egit: ergo dùm in præsentî de defectibus vnâ cum ipsâ naturâ acceptis differuit, haud dubiè concinnum scribendi ordinem tenet.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ assignat Magister defectus, quos Verbum divinum vnâ cum humanâ naturâ assumpsit. In secundâ verò statuit, defectus Verbum non assumpsisse divinum, necessitate coactâ, sed vitroneâ voluntate. In tertiâ autem, & ultimâ distinctionis parte, lubrica quorundam hæreticorum explodit errata.

4. PRO PRIMÆ igitur partis diligentî investigatione, primum præfigitur pronunciatum: *Verbum divinum veram hominis naturam, tam quoad corpus, quàm animam passibilem assumpsit, omnesque defectus, quos*

ipsura

ipsum suscipere deuit, & saluti nostræ expedivit. Ante cuius probationem præmittit Magister, ipsum Verbum divinum, non solum veram animam passibilem, sed & carnem veram mortalem, passibilemque assumpsisse.

5. Probat iam primò Magister primam asserti partem, nempe, Verbum divinum veram animam passibilem, veramque carnem mortalem assumpsisse. Si enim Verbum divinum verum non suscepisset corpus passibile, & mortale, veros ac proprios illius nõ assumpsisset defectus, famem quippè, sitim, & alios huiusmodi; sed Verbum divinum verè suscepit famem, sitim, aliosque proprios naturæ humanæ defectus: ergo quia verum ac proprium corpus passibile, & mortale divinum Verbum assumpsit.

6. Secundò de animæ passibilitate similiter probat Magister: Anima Christi Domini verè tristitiâ, timore, dolore, aliisque afficiebatur defectibus, eò quòd omnis sensus animæ sit, & caro quæquam sentiat, sed solum anima utens corpore veluti instrumentis; sed anima Christi Domini non posset his affici defectibus, si Verbum divinum veram animam passibilem non assumpsisset: ergo.

7. Tertio ex Augustino super Genes. lib. 14. cap. 24. id ipsum confirmat Magister: *Sicut ergò anima, quòd foris est, per corpus tanquam per instrumentum videt, vel audit: ita etiam per corpus quadam sentit mala, quæ sine corpore non sentiret, ut famem, & sitim, & huiusmodi; sed præfatas pœnalitates non posset anima Christi Domini sentire, si Verbum divinum animam verè passibilem, & corpus mortale non suscepisset: ergo.*

8. Secundam pariter theorematissuadet partem Magister, videlicet, Verbum divinum non omnes naturæ humanæ assumpsisse defectus, sed eos præcisè, quos ipsum suscipere deuit, & saluti nostræ consulere videntur. Primò ex eodem Augustino in litterâ dicente: *Suscipit autem Christus sicut veram naturam hominis, ita & veros defectus hominis; sed non omnes: ergo quanvis Verbum divinum veros hominis assumpsisset defectus, sicut veram hominis naturam, non tamen omnes.*

9. Secundò, iterùm cum Augustino sic in aliam pergit probationem Magister: *Assumpsit enim defectus pœnæ, sed non culpæ, nec tamen omnes defectus pœnæ, sed eos omnes, quos homini eum assumere expediebat, & suæ dignitati non derogabat: ergo etiam defectus pœnæ, & nõ culpæ assumpsit Verbum divinum, non tamen omnes, sed eos solum, quos ipsum assumere deuit, & eius dignitati, nostræque saluti expedivit.*

10. Tertio tandem, amplius reddit Augustinus ita in conclusio-
nis tutamen: *Suscipit enim nostram vetustatem, ut suam nobis infunderet
novitatem. Simplam ille accepit vetustatem, idest, pœnã, ut nostram duplam
consumeret, idest, pœnã, & culpa: ergo quia Verbum divinum nostros
assumpsit defectus, etli non omnes, sed quos ipsum suscipere conde-
cuit, & ad eius dignitatem, nostramque salutem conferre videntur;
cùm nostram duplam consumpserit vetustatem per suam simplam
ab eo acceptam.*

11. Sed oppones primò: Si vetustas Christi Domini nostram
consumpisset vetustatem, deberet esse potentior fortiorque nostrã;
sed ex eo quòd Christi Domini vetustas sit simpla, & non dupla, non
est potentior fortiorque nostrã: ergo suã vetultate nostram non po-
tuit consumere vetustatem. Minor probatur: Vetustas nostra est du-
pla, pœnã quippè, & culpã; vetultas verò Christi Domini simpla,
pœnã scilicèt, & non culpã; sed dùm vetustas nostra est dupla, &
Christi Domini simpla, hæc non est potentior fortiorque nostrã: ergo
quia nostram suã nequit consumere vetultatem; imò, ut Augustini
authoritas suam fortiretur effectum, deberet vetustas Christi Domini
esse dupla respectu nostrã, & non nostra dupla respectu suã.

12. Respondetur ex Magistri doctrinã negando Minorem. Ad
probationem nego iterum Minorem, & Consequentiam. Ut enim
vetustas Christi Domini nostram consumat vetultatem, non opus est,
quòd sit dupla, sed sufficit, quòd etli sit simpla, unã cum gratiã ipsi
exhibitã non ad mensuram, excedat nostram duplam vetultatem,
illamque coasumat. Ideòque, eùm gratia Christi Domini fuerit sum-
ma, perfectè nobis meruit liberationem à pœnã, & culpã, sivè con-
sumpsit in nobis duplam vetultatem pœnã, & culpã.

13. Oppones secundo in litterã Divum Leonem Papam in Epist.
10. ad Hebr. dicentem: *Dominus noster in se suscepit omnia infirmitatis
nostrã, præter peccatum: ergo quia, excepto peccato, Verbum divinum
omnes pœnã naturã humanã assumpsit defectus: ergo Magistri pro-
nunciatum profectò abiit in vanum.*

14. Respondet Magister, prædictam autoritatem esse expo-
nendam de omnibus illis defectibus, quos cum sumere pro nobis
oportuit, nec dedecuit; aliter si omnes assumpsisset defectus, falsam
esse autoritatem probaretur, Divusque Leo perperam alloqueretur.
Et quidem: cùm ignorantia invincibilis quòdque sit pœnã, seu de-
fectu naturã humanã, & non culpa, & tamen eam divinum non
assumpsit Verbum: ergo quia tantum accepit eos pœnã defectus,

quos ipsi pro generis humani salute congruebat assumere, & dignitatem suam decebat.

15. Hanc solutionem alijs exemplaribus confirmat Magister in litterâ. Primò; quia non assumpsit difficultatem benè operandi, quæ ad nostram miseriam, defectumque maximè spectat. Secundò; quia non omnes corporis assumpsit defectus, vt plura ægritudinis genera, corporisque vitia, quibus humana succumbit natura. Tertiò; quia non omnes pœnales animæ assumpsit defectus, qui ipsi conveniunt: ergo quia non omnes nostræ infirmitatis, præter peccatum, suscepit defectus; sed quos ei assumere conveniebat, nobisque expediebat.

16. Posthac detegit Magister in litterâ finem, ob quem Verbum divinum nostros assumpsit defectus, quippè, vel ad ostensionem veræ humanæ naturæ, vt timorem, dolorem, tristitiam, & alios huiusmodi. Vel ad impletionem operis redemptionis humanæ, ad quod venerat, vt passibilitatem, & mortalitatem corporis. Vel ad erectionem nostræ spei in gloriam immortalitatis, vt mortem corporis: ergo non omnes pœnalitates defectusque corporis, & animæ assumpsit Verbum divinum, sed eos solùm, quos expediebat suscipere.

17. Sed oppones: Si Verbum divinum verè nostros assumpsisset defectus, maximè vt veritatem suæ humanitatis ostenderet; sed hi defectus non conferunt ad veræ humanitatis ostensionem: ergo quia Verbum divinum nostros non assumpsit defectus. Minor probatur: Christus Dominus post eius sanctissimam resurrectionem veram humanitatem ostendit; sed defectus pœnalitatesque corporis Apostolis non patefecit: ergo quia huiusmodi defectus nihil conferunt ad veræ humanitatis ostensionem.

18. Respondetur ex Magistro negando Minorem. Ad probationem nego Consequentiam. Nam aliud est ostendere veritatem humanæ naturæ absolute; & aliud eam ostendere secundùm statum. Licet enim ad ostensionem veritatis humanæ naturæ absolute, non conferat, defectus ac pœnalitates corporis detegere, vt claret in ostensione veræ humanitatis Christi Domini post resurrectionem suam; nihilominùs ad eam ostendendam secundùm statum, maximè confert. Hos etenim corporis assumpsit defectus Verbum, vt veritatem humanæ substantiæ secundùm statum corruptionis ostenderet Christus, qui in similitudinem hominum est factus, & voluit se nobis in his conformare defectibus. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

19. PRO SECYNDÆ verò distinctionis partis sedulo examine, secun-

secundum proponitur pronunciatum: *Christus Dominus nostros non assumpsit defectus coactâ necessitate, sed suâ miserationis vitroneâ voluntate.* Quod breviter unâ, aut aliâ suadet ratione Magister.

20. Primò: Quia etsi veros Christus Dominus defectus habuerit, sicut & nos habemus; non tamen eadem ex causâ; quia ille evitabiliter, spontaneâque voluntate eos assumpsit; nos verò inevitabiliter, & coactione quadâm, eò quòd talibus ex necessitate succumbamus defectibus: igitur Christus Dominus non coactus necessitudine, sed vitroneus, & suâ miseratione motus nostras infirmitates suscepit.

21. Secundò: Nos enim ex sordidâ originalis peccati labe hos contrahimus defectus à quibus declinare non possumus; sed Christus Dominus nec huiusmodi peccatum contraxit, nec actuale mortale, nec veniale, nec quicquam aliud commisit peccatum: ergo dum infirmitates nostras assumpsit, non coactè, sed omninò spontè suscipit; atque adeò ex debito suæ conditionis ipsos habere non debuit.

22. Tertiò: Quemadmodum Christus Dominus veram suscepit carnem; sic ex solâ miserationis voluntate de nostro in se transtulit veram infirmitatem; sed ita veram assumpsit carnem, quòd sine omni potuerit accipere infirmitate: ergo & ita nostros assumpsit defectus, quòd non necessitate impulsus, sed libens lubensque acceperit.

23. Sed dices: Quod à naturali origine suâ inest subiecto, id reverà per naturam convenit ipsi, sed huiusmodi defectus inest humanitati Christi Domini à suâ origine primâ: ergo ipsi per naturam conveniunt; sed ex eo quòd sic humanitati Christi Domini defectus conveniant, non eos vitroneâ voluntate, sed coactâ necessitate suscepit: ergo.

24. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Nam hi defectus seu pœnalitates solum reperuntur in nobis vi propagationis naturæ, & libidinis vitio: At, cum Christus Dominus non sic suum habuerit ortum, nec secundum propagationem legis naturæ, nec secundum libidinis vitium, sed solum Spiritûs Sancti operante virtute, nequeunt humanitati Christi Domini à suâ origine primâ inesse defectus; ac proinde, dum eos assumpsit, non necessitate impulsus, sed miseratione suâ agiturus, libentius suscepit. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficient.

25. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis plenâ dilucidatione, tertium adducitur pronunciatum: *Alienum prorsus à veritate, & hæreticum censetur asserere, Christum Dominum passionis suæ tempore verum in carne dolorem, verumque in animâ tristitiam non sensisse,*

sed ipsum secundum carnem impassibilem fuisse. Huius asserti orthodoxam veritatem varijs Patrum ac sacrae paginae testimonijs ostendit Magister in littera.

26. Primò ex Isaiâ cap. 53. dicente: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*; sed verè Christus Dominus languores nostros non tulisset, nec dolores nostros ipse portasset; si passionis suae tempore verum in carne dolorem, veramque in animam tristitiam non sensisset: ergo tempore passionis Christum Dominum impassibilem secundum carnem astruere, alienum prorsus à veritate meritò autumari debet.

27. Secundò ex sacris Evangelicis Matthæi cap. 26. & Marci cap. 14. ita scribentibus: *Tristis est anima mea usque ad mortem. Cœpit Iesus pavere, & tædere*; sed ex eo quòd anima Christi Domini fuerit tristis usque ad mortem, cœperitque pavere, & tædere, verè tristitiam in animâ, & dolorem in corpore sensit: ergo.

28. Tertiò, Regio ex Psalte Psal 87. sic de Christo Domino vaticinante: *Repleta est malis anima mea*, sive tristitiâ, timore, alijsque affectibus animæ consonis; sed hoc non per quandam similitudinem, sed verè, & propriè de animâ Christi Domini fuit à Prophetâ prolatum, vt concorditer omnes Patres sentiunt: ergo.

29. Quartò ex Augustino in litterâ his exponente verbis Prophetæ vaticinium: *Non vitijs, & peccatis, sed humanis malis, idest, doloribus repleta fuit anima Christi, quibus ipsa compatitur carni*: ergo si non vitijs, & peccatis, sed humanis malis, doloribus quippè, anima Christi Domini fuit repleta, quibus ipsa compatitur carni, nulli erit dubium, Christum Dominum in animâ, & carne veros sensisse dolores.

30. Quintò ex Divo Ambrosio lib. 2. de fide, cap. 3. assumptum pro dignitate firmante. Sic affatur: *Scriptum est: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Timet ergò Christus, & dùm Petrus non timet, Christus timet. Petrus dixit: Animam meam pono pro te: Christus dixit: Anima mea turbatur. Virumque verum est, & rationis plenum, quòd & ille qui est inferior non timet; & ille qui superior est, gerit timentis affectum.* Ergo si Christus timet, & anima eius turbatur, geritque timentis affectum, verum est, & rationis plenum, ipsum verè ac propriè dolores, pœnalitatesque sensisse.

31. Sextò, viteriùs vberiusque se, & thesis scopum sic expedit Ambrosius eodem in capite: *Vt homo turbatur Christus, vt homo flet, vt homo crucifigitur, per naturam hominis & tædiavit, & resurrexit. Non turbatur eius virtus, non turbatur eius divinitas, sed turbatur anima secundum huma-*

humana fragilitatis assumptionem. Nam qui suscepit animam, suscepit etiam animæ passionem. Ergo si Christus Dominus, ut homo turbatur, fiet, crucifigitur, tædet, & resurgit, eò quòd suscipiendo animam; suscepit etiam animæ passionem, haud dubiè nobis comparitur, nobis tristatur, nobisque dolet, ut verum cum nobis dolorem in corpore, & tristitiam in animâ sentiat.

32. Septimò tandem Hieronymus in explan. fidei ad Damasum, totam his verbis absolvit pensum: *Nos ita dicimus hominem passibilem à Dei Filio susceptum, ut deitas impassibilis permaneret. Passus est enim Filius Dei non putativè, sed verè omnia, quæ de illo Scriptura testatur, sed secundùm illud pati poterat, scilicèt, secundùm substantiam assumptam: ergo cum verè Christus Dominus passibilem assumpserit hominem, in eoque defectus, & affectus nostræ infirmitatis suscepit, rectè colligitur, non solùm verè dolores sensisse, verùm & eos non necessitudinis conditione, sed liberâ voluntate accepisse.*

33. Sed oppones primò disertissimos Ecclesiæ Doctores Augustinum & Hieronymum, qui è regione sensisse videntur. Sic scribit Augustinus super verba illa Psalmi 21. *Clamabo, & non exaudies, &c. Quomodo hoc dicit, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius? Sed infirmitatem nostram representans, pro suis infirmis qui timent mori, hæc dixit. Vox illorum erat, non capitis.* Similiter Hieronymus Comment. 26. in Matthæum, ait: *Erubescant qui putant Salvatorem timuisse mortem, & passionis pavore dixisse: Transeat à me calix iste.* Ergo quemadmodùm Christus Dominus peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius; ita nec timuit, nec doluit, nec pavit, nec tristatus extitit.

34. Respondet Magister in litterâ, præfatos Ecclesiæ Doctores non intendisse abstergere à Christo Domino verum dolorem, tristitiam, aut timorem, aliosque humanæ naturæ defectus, cum ipsos iteratis in locis humanitati assumptæ à Verbo divino adscribant sed solùm eos non sic sustinuisse, sicut nos ferimus. Primò; quia in Christo Domino non vltim expeditum eliminabant rationis, nec eum à rectitudine contemplationeque divinâ declinabant, sicut in nobis; quare in Christo Domino *propassiones*, in nobis verò *passiones* appellantur. Secundò; quia in Christo illorum causa non est peccatum, sed postre infirmitatis summa pietas, & miseratio officiosa; secus in nobis, cum horum defectuum peccatum sit causa. Tertio; quia nos necessitate compulsi, & æggerrimè eos sustinemus; Christus verò lubenter, & liberâ facultate illos evertendi.

35. Oppones secundò pro distinctionis calce Divum Hilarium lib. 10. de Trinit. cap. 1. refusè ac prolixè dicentem : *Sic ictus , & vulnera in Christum Dominum incidisse , ut passionis dolorem non incuterent ; sed quemadmodum telum aliquod aquam perforat , vel ignem compungit , vel aera vulnerat ; ita quidem his omnibus abundavit passionibus , &c.* eigo quia Christus Dominus nec veros ac proprios assumpsit defectus ; sed solùm quandam eorum similitudinem ; nec in animâ , aut corpore verè sensit dolores.

36. Respondet Magister , Divum Hilarium non diffiteri hîc in Christo Domino verum dolorem , verum timorem , veramque tristitiam ; sed solùm docere intendisse , affectus illos Christum Dominum non sustinuisse , sicut nos , ob rationes appositas pro superioris instantiæ sedulâ , & formali solutione. Alia in textûs litterâ poterit lector studiosè lustrare. Et hæc de tertiâ , & vltimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

37. **Q**VÆSTIO 1. An in Christo Domino fuerit vera tristitia , timor , dolor , aliæque animi passiones ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3 p. q. 15. art. 5. Cayetanus 3. p. q. 40. art. 7. Canus lib. 12. cap. 4. Camerarius tom. 3. q. 15. art. 15. & seqq. Nicolai in 3. dist. 15. q. 3. art. 4. & 6.

38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 15. q. 1. Maftrius tom. 3. disp. 5. q. 6. art. 1. & 2. Gallus in 3. dist. 15. art. 1. cap. 1. & seqq. Delgadillo 2. p. cap. 12. difficul. 3. dub. 6. Rada 3. p. controv. 10. art. 2. Poncius in Comment. in 3. dist. 15. num. 95. & seqq. Felix de incarn. cap. 20. difficul. 5. dub. 1. & 2. Cavellus in Schol. in 3. dist. 15. q. 1. Aquila in 3. dist. 15. q. 1. & seqq.

39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. q. 15. sect. 5. Vazquez 3. p. disp. 62. cap. 1. & seqq. Aranda lib. 5. disp. 2. §. 2. sect. 5. Lugo disp. 22. sect. 2. Bernal disp. 41. sect. 2. Mart. Perez disp. 28. sect. 4. Peñafiel tom. 4. disp. 14. sect. 9. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 15. q. 2. & seqq. Alensis 3. p. q. 5. memb. 2. art. 2. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 8. sect. 2.

40. Quæstio 2. An Verbum divinum potuit assumere naturam humanam peccatricem ? De quò , hîc dist. 3. q. 17.

41. Quæstio 3. An in humanitate Christi Domini fuerit fomes , sive concupiscentia peccati ? De quò , hîc dist. 3. q. 17.

42. Quæstio 4. An Christus Dominus assumpsit , vel assumere potuit defectum culpæ ? De quò , hîc dist. 3. q. 17.

43. Quæstio 5. An humanitas Christi Domini fuerit capax ignorantiz, aut erroris? De quò, *hic dist. 3. q. 17.*

44. Quæstio 6. An in Christo Domino fuerit proxima peccandi potentia? De quò, *hic dist. 12. q. 1. & 2.*

45. Quæstio 7. An Adamus fuerit conditus in gratiâ sanctificantem? De quò, *tom. 2. dist. 17. q. 1.*

46. Quæstio 8. An Adamo non peccante Verbum veniret in carne passibili, aut impassibili determinatè? De quò, *tom. 1. dist. 38. q. 3.*

47. Quæstio 9. An Verbum divinum assumpsit verum corpus humanum, non phantasticum, aut cœleste? De quò, *hic dist. 2. q. 9.*

48. Quæstio 10. An Christus Dominus non voluntate, sed necessitate accepit tristitiam? De quò, *hic q. 1.*

39. Quæstio 11. An Christus Dominus assumpsit omnes defectus præter peccatum? De quò, *hic q. 1.*

DE MODO, QVO DEFECTVS SVpra EX-
positi, fuerunt in Christo Domino.

DISTINCTIONIS DECIMÆ-SEXTÆ
Synopsis.

*Sint tua Christe neci quavis obnoxia membra,
Hæc tamen invitus non capis, imò libens.*

Sic incipit : *Hic oritur quæstio.*

Sic terminat : *Quædam mala viæ.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Christi Domini patientis passibilitate ; sed in præsentem determinat de ipsius patiendi moriendique necessitate : ergo quia à recto connexionis hæ non deflectunt distinctiones tramite.

2. Consequentia probatur : Priùs est statuere Christi Domini patientis passibilitatem, quàm de illius patiendi moriendique necessitate differere, eò quòd necessitas patiendi ac moriendi necessariò præsupponat patientis passibilitatem : ergo satis appositè procedit Magister, dum de patiendi ac moriendi Christi Domini necessitate

tate differit, postquam de ipsius patientis passibilitate egit.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ rursus statuit Magister, Christum Dominum nullum assumpsisse defectum, qui culpam aliquam in se contineat. In secundâ verò clarissimè ostendit, ipsum libenter necessitatem accepisse moriendi. In tertîâ autem, & ultimâ sustinet parte, Christum Dominum aliquid de quovis hominis assumpsisse statu.

4. PRO PRIMÆ igitur partis perfectâ enucleatione, prima præficitur thesis: *Christus Dominus omnes nostros assumpsit defectus, qui nullam culpam, sive peccatum importare videntur.* Verùm, cum hoc assertum iam in toto superioris distinctionis progressu vbertim probatum, & vndique ratione, ac Patrum autoritatibus clypeatum maneat. non opus est hîc iterùm ea inculcare, sed ab illis consultò supersedere. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

5. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis assiduâ ostensione, secunda ponitur thesis: *Solâ vltionèâ voluntate, & nullâ premente necessitate, Christus Dominus moriendi necessitatem suscepit.* Quam, aliquibus præmissis, paucis in litterâ probat Magister.

6. Primò equidem supponit Magister in distinctionis textu: Christum Dominum nostros in se suscepisse, præter peccatum, defectus. Secundò: Necessitatem moriendi, simulque patiendi quendam esse hominis generalem defectum, qui reverà peccatum non est. Tertio: Corpus nostrum non solum mortale, verùm mortuum fateri debere, quia non tantùm aptitudinem, sed & moriendi in se necessitatem claudit.

7. Modò iam sedulus indagat Magister in litterâ: *An Christus Dominus talem assumpserit defectum, sive necessitatem moriendi?* De aptitudine enim moriendi, quòd in Christo Domino eluxetic, nulla adest rationalis contentio, quia illa etiam ante peccatum in homine fuit, quando aliquis in eo non fuit defectus.

8. Respondet dubitationi Magister, Christum Dominum, quia immunis fuit à peccato, verè patiendi ac moriendi, non necessitudine compulsus, sed omninò vltionèâ, necessitatem assumpsisse. Quod satis compressè ostendit Magister in litterâ, eò quòd ex adiunctis in distinctione antecedente probat.

9. Cæterùm, sic primò suadet Magister intentum: *Christus Dominus talem assumpsit naturam, qualem reverà homo in statu innocentie habuisset; sed in faustissimo illo innocentie statu nulla fuisset moriendi necessitas, vt lib. 2. dist. 19. cum ipso Magistro probavimus:*

ergo

ergo solum in Christo Domino fuit moriendi necessitas, quia ipse sua spontaneâ voluntate, & nullâ compulsâ necessitudine voluit præfatam defectum, sive necessitatem assumere.

10. Secundò: Necessitas moriendi non congruebat homini ex naturâ suâ conditionis, secundum quod natura à Deo fuit primò condita, sed secundum quod postea fuit per peccatum conspurcata; sed talem Christus Dominus non assumpsit naturam: ergo quia moriendi necessitudinem Christus Dominus non assumpsit ex suâ conditionis naturâ: ergo dum illam accepit, non coactè, sed spontaneâ voluntate suscepit.

11. Tertio: Christus Dominus omnes assumpsit naturales defectus, eliminatis his, qui conferunt ad peccatum; sed necessitas moriendi est defectus in nobis naturalis, & non conferens ad peccatum, etsi suum ortum à peccato ducat: ergo illam Christus accepit; sed non aliquâ necessitate, sive ex conditionis suæ naturæ pressus: ergo quia liberè, & voluntariò eam moriendi necessitatem assumpsit.

12. Sed oppones quandam Glossam super cap. 9. ad Hebræos dicentem. *Quod sicut hominibus alijs & iure, & lege naturæ statutum est semel mori; ita & Christus eadem necessitate, & iure naturæ semel oblatus est, & non sapè; sed ex eo quod Christus Dominus eadem necessitate, & iure naturæ semel oblatus fuerit; sicut & alijs hominibus iure, & lege naturæ statutum est semel mori, non ultionèâ voluntate, sed necessitate premente, & ex suæ conditionis naturâ assumpsit necessitatem moriendi: ergo.*

13. Respondet Magister in litterâ præfatam sic expendendo Glossam. Non enim dicitur, Christum Dominum iure naturæ semel oblatum fuisse, quia ex naturâ suæ conditionis hunc traxerit defectum, sive necessitatem moriendi; cum nec nobis illa adscribatur necessitas ex naturâ secundum quod primò fuit instituta; sed ex eâ iam peccato vitiatâ. Dicitur autem iure naturæ, quia hic defectus, naturalis appellatur, eò quod quasi præ naturâ inoleverit in omnibus diffusus. Vnde Christus Dominus non ex conditionis suæ naturâ, nec ex necessitate aliquâ cogente, sed pro suo libero arbitratu moriendi necessitatem accepit, cum natura illa nulli fuerat peccato obnoxia. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

14. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis argutâ inquisitione, tertia statuitur thesis: *Christus Dominus, eò quod sit constitutus humani generis universalis Redemptor, de omni humanæ naturæ aliquid assumpsit statu.* Pro cuius succinctâ probatione, quatuor hominis refert Magister status,

15. Sic ad calculum in litterâ eos reducit Magister. Primus humanæ naturæ status fuit ante peccatum, quippè, status innocentia, sivè integræ naturæ: Secundus fuit post peccatum, & ante gratiam: Tertius verò fuit & post peccatum, & sub gratiâ: Quartus tandem erit in gloriâ, sivè in beatorum fœlicissimâ sorte, expers omni miseriâ.

16. De primo enim naturæ statu assumpsit Christus Dominus immunitatem peccandi. De secundo accepit pœnam, aliosque pœnales defectus. De tertio plenitudinem gratiæ. De quarto non posse peccare, & Deum omnimodâ perfectione contemplari: ergo cum Christus Dominus in hunc venerit mundum, tanquam humani generis vniuersalis Servator, humanam assumpsit naturam de quovis illius statu.

17. Hos recensitos, divisosque in litterâ status, non ex suo proprio cerebro, sed ex feraci Magni Augustini arrugiâ erutos ad vnguem in litterâ tradidit Magister. Sic concioniter absolvit distinctionem Aurelius exponens illud Ioannis cap. 3. *Qui de sursùm venit super omnes est, &c.* Iam ita alloquitur: *Christum venisse de sursùm, idest, de altitudine humanæ naturæ ante peccatum, quia de illâ altitudine sumpsit Verbum Dei humanam naturam, diuina non assumpsit ipsam culpam; cuius assumpsit pœnam. Sed pœnam assumpsit de statu secundo, & alios defectus. De tertio verò, gratiæ plenitudinem. De quarto, non posse peccare, & Dei perfectam contemplationem. Habuit enim simul bona viæ quedam, & bona patriæ, sicut & quedam mala viæ.* Hactenùs Augustinus.

18. Sed oppones primò: In duplici statu partitur Christi Domini, aliorumque hominum vita, nempe, in statu viæ, & patriæ: ergo dum Magister cum Augustino ad quartum vsque eam elongat statum, sanè actum agere, & ipsam vitam cum statibus obnubilare videtur.

19. Respondetur pro Magistro, ipsum naturæ humanæ quatuor adscripsisse status, vt commodiùs, & expressiùs naturæ assumptæ conditiones clarigare posset, quin opus foret eorum addensarâ copiâ. Ille enim quadruplicatus naturæ status aptè ad geminum reducitur, patriæ scilicèt, & viæ. Nam sub viæ statu tres alij comprehenduntur status, nempe innocentia, naturæ lapsæ, & naturæ sub lege gratiæ: Postmodum accedit status patriæ, sivè gloriæ, quibus Christi Domini, aliorumque hominum clauditur vita.

20. Oppones secundò: De tertio naturæ humanæ à Magistro recensito statu, non potuit Christus Dominus gratiæ plenitudinem accipere: ergo quia in statuum naturæ divisione à ianuâ aberrat Magister.

gister. Antecedens probatur: Gratia non perficitur nisi per gloriam iuxta Apostolum 1. Corinth. cap. 13. dicentem: *Cum veneris quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*: ergo gratiæ plenitudo non fuit assumpta à Christo Domino secundum statum viæ, sed patriæ: ergo quia de tertio statu plenitudinem gratiæ non potuit assumere.

21. Respondetur ex Magistri doctrinâ, plenitudinem gratiæ in duplici posse contemplari sensu; vel simpliciter, vel respectu operis meritorij: Plenitudo gratiæ simpliciter pertinet absolute ad statum gloriæ, illamque de tertio statu naturæ non potuit Christus accipere; plenitudo verò gratiæ, respectu operis meritorij, spectat ad viæ statum, & eam potuit Christus Dominus de statu illo assumere. Vnde nihil dissonum rationi in Magistri doctrinâ capimus. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

22. **Q**VÆSTIO 1. An, & à quo Christus Dominus veram moriendi necessitatem habuerit? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. p. q. 60. art. 2. Lumbier de incarn. q. 33. art. 1. & seqq. Medina 3. p. q. 47. art. 2. Nicolai in 3. dist. 16. q. 1. art. 2. Camerarius 3. p. tom. 3. q. 16. art. 1. & seqq. Cayetan. 3. p. q. 14. art. 2. Rayner. de Pisis verb. incarn. tom. 3. cap. 17. & seqq.

23. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 16. q. 1. Rada 3. p. controv. 11. art. 1. Gallus in 3. dist. 16. q. 1. cap. 1. & seqq. Delgadillo 2. p. cap. 12. difficul. 1. dub. 4. Felix de incarn. cap. 20. difficul. 4. Lauræa disp. 12. art. 8. num. 170. Cavellus in Schol. in 3. dist. 16. q. 1. Poncius in Comment. in 3. dist. 16. q. 1. Castillent in Polyant. Seraph. verb. incarn. num. 37. & seqq. Aquila in 3. dist. 16. q. 1. art. 1. & seqq.

24. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 1. disp. 32. sect. 1. Vazquez 3. p. disp. 59. cap. 1. & seqq. Muniela de incarn. disp. 11. sect. 4. Lugo disp. 26. sect. 8. Bernal disp. 57. sect. 3. §. 3. Thyrtus tom. 3. disp. 29. sect. ult. Hurrado disp. 79. sect. 4. Velazq. ad cap. 2. Philipp. vers. 8. Ribera ad cap. 10. Ioan. Esparza q. 32. & seqq.

25. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 16. art. 1. q. 3. Alenf. 3. p. q. 18. memb. 3. art. 3. Gabriel in 3. dist. 16. q. 1. Aureolus in 3. dist. 16. q. 1. art. 1. Caramuel in Theolog. fundam. à num. 286. Lorca 3. p. disp. 63. Estius in 3. dist. 16. §. 1. & seqq. Baudun. tract. 1. q. 18. art. 1. & seqq. Eulstha. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 2. & seqq.

26. Quæstio 2. An in Christo Domino fuerit præceptum moriendi obligans in conscientiâ? De quò, *hic* q. 1. & dist. 12. q. 2.

27. Quæstio 3. An cum præcepto mortis stet in Christo libertas? De quò, *dist. 12. q. 2.*
28. Quæstio 4. An primus homo fuerit immortalis in statu innocentia? De quò, *tom. 2. dist. 19. q. 2.*
29. Quæstio 5. An in statu innocentia potuit Adamus prius venialiter, quam mortaliter peccare? De quò, *tom. 2. dist. 21. q. 1.*
30. Quæstio 6. An potuit Deus producere naturam rationalem impeccabilem per naturam? De quò, *tom. 1. dist. 44. q. 5.*
31. Quæstio 7. An Christus Dominus ab instanti conceptionis habuerit gratiam infinitam? De quò, *hic dist. 13. q. 4.*
32. Quæstio 8. An humanitas Christi Domini sit proximè, & formaliter impeccabilis vi vnionis hypostatica? De quò, *hic dist. 12. q. 1.*
33. Quæstio 9. An impeccabilitas Christi Domini desumatur proximè à gratiâ, aut à visione beatâ? De quò, *hic dist. 12. q. 1.*
34. Quæstio 10. An humanitas Christi Domini sit impeccabilis à mantenentiâ Dei? De quò, *hic dist. 12. q. 1.*
35. Quæstio 11. An humanitas Christi Domini potuit peccare adhuc suppositâ vnione ad Verbum? De quò, *hic dist. 12. q. 1.*
36. Quæstio 12. An, & quomodò humanitas Christi Domini habuerit impassibilitatis dotem? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 44. q. 3.*
37. Quæstio 13. Quid sit dos subtilitatis, & an fuerit in humanitate Christi Domini? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 44. q. 6.*
38. Quæstio 14. An corpus Christi Domini fuerit in viâ agilitatis, claritatisque dotibus præditum? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 44. q. 4 & 5.*
39. Quæstio 15. An si Christus Dominus non fuisset morte violentâ præventus, vtrum fuerit mortuus morbo, vel senio? De quò, *tom. 2. dist. 19. q. 2.*
40. Et omnes quæstiones antecedentis distinctionis possunt hæc in discussionem adduci.



DE POTENTIIS, ET OPERATIONIBVS
naturæ humanæ in Christo Domino.

DISTINCTIONIS DECIMÆ-SEPTIMÆ
Synopsis.

*Exorasse Patrem semper nè credito Christum,
Quando nec horroris transijt iste calix.*

Sic incipit: *Post prædicta.*

Sic terminat: *Vasa mortis.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Christi Domini patiendi ac moriendi necessitate; sed in præsentî determinat de ipsius Christi Domini patientis voluntate: ergo congruentissimam mutuò connexionem in litterâ texere videntur.

2. Consequentia probatur: Priùs est Christi domini necessitatem patiendi ac moriendi debito expendere sensu, quàm ipsius patientis operationes, quæ ad suam conferunt voluntatem, referre; eò quòd necessitatem in Christo Domino præsupponant moriendi; sed Magister in superiori distinctione de Christi Domini necessitate moriendi atque patiendi nudo capite disseruit: ergo dùm de ipsius patientis passionibus ad voluntatem conferentibus impræsentiarum disputat, à connexionis scopo non declinat.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, quòd Christus Dominus, in quantum homo, aliquid petijt à Patre, quòd tamen non impetravit ab eo. In secundâ verò profundè statuit, Christum Dominum secundùm unam voluntatem voluisse pati, secundùm aliam verò noluisse. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit parte, de Patris potestate Christum Dominum non ambigisse, etsi ad hæsitantis modum se hominibus exhibuisse.

4. PRO PRIMÆ igitur partis assiduo assequendo captu, primum proponitur thema: *Etsi plura Christus Dominus orando à suo Patre*
petie-

petierit, non tamen omnia obtinuit ab eo. Quod solum intendit probare Magister cuiusdam quæsitæ ingeniosæ solutione ab ipso traditæ in litterâ.

5. Sub his ergo verbis ambigit Magister in litterâ: *An Christus Dominus aliquid voluerit, petierit, vel oraverit, quod factum, obtinueritque ab eo non fuerit?* Et pro affirmante parte sic in textûs litterâ arguit: Secundum sacrum Matthæi cap. 26. oraculum, Christus Dominus exoptabat à se transferri passionis calicem, iuxta illud: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis;* sed hoc factum non fuit: ergo etsi plura Christus Dominus orando à suo Patre petierit, non tamen omnia ab eò impetrasse dicitur; atque adeò voluntatem suam à Patris voluntate discrepare videtur.

6. Verum, ut Magister huic perdifficili operosoque dubio exactam orthodoxamque solutionem adhibeat, aliqua observatione digna subiungit. Primò, Christum Dominum duplici voluntate abundasse, divinâ quippè, & humanâ, secundum geminam naturam, creatam scilicet, & increatam, quibus fuit decoratus.

7. Secundò observat in litterâ, Christum Dominum, secundum voluntatem humanam, & habuisse affectum rationis, & sensualitatis affectum: Et licet alius sit affectus animæ secundum rationem, & secundum sensualitatem alius, uterque tamen nomen voluntatis humanæ sortitur. Unde, attentâ voluntate divinâ, & rationis affectu, pati, & mori volebat; at sensualitatis affectu alitè meditato, nec mori, nec pati volebat, imò mortem, & passionem refugiebat.

8. Tertiò deducit Magister, nullam carnis ad spiritum in Christo Domino rebellionem fuisse, eò quòd talis duntaxat vigeat in his, quibus in carnis concupiscentiâ remoratur, quæ in Christo Domino non extitit; etsi in eo fuerit sensualitatis affectus, ut inde humanæ naturæ veritas comprobaretur.

9. Hoc etenim duplici M. P. Augustini firmat testimonio Magister. Primò ex lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4. dicente: *Sed concupiscere dicitur, cum anima carnali concupiscentiâ spiritui reluctatur, habens carnalem delectationem de carne, & à carne adversus delectationem, quam spiritus habet. Talis ergo rixa, talisque concertatio in animâ Christi nullatenus esse potuit, quia carnalis concupiscentia ibi esse nequivit.* Ergo cum nulla in Christi Domini animâ poerit esse carnalis concupiscentia; nec rebellio vlla carnis ad spiritum potuit ei inesse.

10. Secundò Augustinus ipse tract. 123. in Ioan. exponens dictum illud Christi Domini ad Petrum: *Cum senueris, extends manus tuas, &*

alius

alius præcinget te, &c. ait: Petrus ad illam molestiam nolens est ductus; nolens ad eam venit, sed volens eam vitare, & reliquit affectum infirmitatis, quo nemo vult mori, qui adeo est naturalis, ut eum Petro nec senectus abstulerit. Ergo etsi Christus Dominus secundum voluntatem divinam, affectumque rationis pati ac mori voluerit; nihilominus secundum sensualitatis affectum, nec mori, nec pati volebat, impotius mortem, & passionem refugiebat.

11. Tandem his absolvit primam distinctionis partem verbis Magister, quod sicut in membris Christi Domini, sive in nobis, geminus natura humane adest affectus, scilicet, mentis, quo mori, & pati volumus; & sensualitatis, quo pati & mori recusamus; ita in Christi Domini humanitate duplex eluxit affectus, rationis vnus, quo mori, & pati volebat; & sensualitatis alius, quo pati, & mori recusabat.

12. Quod sic venuste expendit Augustinus in litterâ, Epist. 120. Paulus mentis affectu cupit dissolvi, & esse cum Christo; sensu autem carnis refugit, & recusat. Hoc habet humanus affectus, quoniam qui diligit vitam, odit mortem: ergo cum Christus Dominus, secundum sensum carnis, sive sensualitatis affectum, pati, & mori noluerit, absque vllâ cunctatione colligitur, quod iuxta hunc affectum, non obtinuit à Patre, quod ab eo petijt.

13. Sed oppones: Plerique seipfos occidunt, ut passim in desperatione contingit, qui mortem exoptare videntur: ergo verba illa Augustini, quod secundum infirmitatis affectum nemo vult mori, non valent suffragari asserto; atque adeo eius præcipuum fundamentum vti ruinosum collabatur.

14. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Consequentiam. Quia cum geminus sit affectus in homine, naturalis quippe, & deliberativus; affectu naturali nemo vult mori, nec mortem suam exoptat, imò toto conamine eam recusat; at affectu deliberativo valet quis appetere mortem, & vitam refugere ob quoddam ab eo emolumentum apprehensum. Vnde, cum Augustinus non de deliberativo, sed naturali affectu loquatur in litterâ, nec Magistri asserto refragatur, nec eius firmum stabileque fulcimentum præcumbit. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

15. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis solerti investigatione, secundum ponitur thema: In Christo Domino duplex eluxit voluntas, quarum vnâ mori, & pati voluit; aliâ verò pati, & mori noluit. Quod licet ex appositis in primâ huius distinctionis parte satis probatum

maneat, nihilominus nonnullis Patrum autoritatibus tenet in literâ illustrare Magister; & hæreticos quosdam vnam in Christo Domino adstruentes voluntatem penitus effocare.

16. Primò suadet Magister intentum autoritate Venerabilis Bedæ lib. 4. in Marcum, cap. 14. dicente: *Orat transire calicem, quia homo erat, dicens: Pater, transeat à me calix iste. Ecce habet voluntatem expressam. Vide iam rectum cor: Sed non quod ego volo, sed quod tu vis: ergo quia affectu vno voluit, Christus Dominus, vt passionis calix transiret ab eo; & alio, vt transiret, noluit affectu.*

17. Secundò, eodem ex Bedâ in cap. 14. Matthæi sic scribente: *Non veni facere voluntatem meam, quam, scilicet temporaliter juxpsi ex Virgine, sed voluntatem eius, qui misit me, quam, scilicet æternus habui cum Patre: ergo quia in Christo Domino duæ fuerunt voluntates, secundum quas, pati, & mori voluit, & noluit.*

18. Tertio, Doctorum Maximus Hieronymus illustrans illud Marci cap. 14. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, &c.* geminam in Christo Domino voluntatem construit, aitque: *Hoc contra Eurycianos, qui dicunt, in Christo vnam tantum voluntatem esse. Ergo expresse ostendit Hieronymus voluntatem humanam Christi Domini, quæ propter infirmitatem carnis recusat passionem; & simul divinam, quæ prompta est dispensationem perficere.*

19. Quarto, Augustinus non ab re hic in Matthæum cap. 26. asserit: *Christus in passione duas expressit voluntates in se secundum duas naturas. Ait enim: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Ecce habet hominis voluntatem, quam ad divinam continuò dirigens, ait: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: ergo attentâ hæc duplici Christi Domini voluntate, secundum vnam noluit, & secundum aliam mori, & pati voluit.*

20. Quintò, Divus Ambrosius lib. 2. de fide, cap. 3. profusum de hac re confecit tractatum: His tamen verbis eum absolutum donavit: *Vna ergò voluntas est Patris & Filij. Sed alia est voluntas hominis, alia Dei, vt scias vitam in voluntate esse hominis, passionem autem Christi in voluntate divinâ, vt pateretur pro nobis. Ergo si alia est in Christo Domino hominis voluntas, & alia Dei, vt sciamus vitam esse in voluntate hominis, & passionem Christi in voluntate divinâ, non solum duplex in eo resplenduit voluntas, verum secundum eas diversa voluit.*

21. Sextò: Idè Macharius, inclytæ Antiochene Ecclesiæ Archiepiscopus, in Constantinopolitanâ Synodo vno ore omnium Patrum fuit

fuit damnatus, quia duas in Christo Domino voluntates diffiteri videbatur: ergo quia geminam in eo voluntatem, iuxta fidem Catholicam, Concilia, & Patres, fateri debemus vnam, quã voluit mori, & aliam, quã mori recusavit.

22. Posthac subdit iterum Magister in litterã, quòd Christus Dominus ex affectu humano sensualitatis illud voluit, & petijt, quod non obtinuit: Nec ideo petijt, vt impetraret, quia sciebat Deum non esse facturum illud; nec illud fieri volebat affectu rationis, vel voluntate divinã. Ex quibus verbis subsequens excitat dubium.

23. Hic ergò vario sic fluctuat æstu Magister: Si enim Christus Dominus clarissimè agnoscebat, Deum Patrem hoc non esse facturum, translationem quippè calicis à seipso, ad quid petijt, oravitque Patrem suum, dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste? Et respondet Magister, non incalsum Christum Dominum orasse; oravit igitur, vt suis membris, imminente perturbatione, clamandi ad Dominum, & subijciendi voluntatem suam divinæ voluntati, exemplum præberet. Et hæc de secundã distinctionis parte sufficient.

24. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis indagine, tertium statuitur thema: *Christus Dominus passionis suæ tempore, de Patris potestate non dubitavit, sed ad haerentis modum se gessit.* Quod solitariè dedecit Magister quibusdam ex verbis Divi Ambrosij quoddam in litterã textus ingerentibus dubium.

25. Hæc sunt ad longum Ambrosij verba lib. 2. de fide, cap. 3. quibus reverã operosum perficitur dubium: *De quo dubitat, de se, an de Patre? De eo utique, cui dixit: Transfer, dubitat hominis affectu. Nam Deus non de Patre dubitat, nec de morte formidat. Propheta etiam non dubitat, qui nihil Deo esse impossibile asserit. Omnia quaecumque voluit fecit. Num infra homines constitues Deum? Propheta non dubitat, & Filium dubitare tu credis? Vt homo ergo dubitat, vt homo locutus est.* Hactenus Ambrosius.

26. His ad litteram inspectis Ambrosij verbis, suboritur dubium: *An Christus Dominus, secundum humanam naturam, de Patris potentia dubitaverit?* Partem affirmantem videtur hic insinuassee Ambrosium, cum ex ipsius verbis haec deducat discursum Magister: ergo videtur, quòd Christus Dominus, non in quantum Deus est, vel Dei Filius, sed in quantum homo, de Patris potentia humano dubitaverit affectu.

27. Cæterum respondet dubitationi pro Divo Ambrosio Magister: Quòd Christus Dominus nec in quantum Deus est, nec vt Dei

Filius, nec etiam in quantum homo, de Patris potestate, aut potentia humano dubitavit affectu. Sed eâ ratione fuisse ab Ambrosio prolatum, non quia ipse dubitaverit, sed quia modum, aut formam dubitantis gessit, & hominibus dubitare videbatur. Ergo non incongruè hâc dubij solutione nostrum præmunitur assertum.

28. Tandem, alia Magister difficilia captu suggerit Hilarij verba pro distinctionis coronide, quibus sentire videtur, Christum Dominum non sibi timuisse, nec pro se petijse, aut orasse, sed pro suis discipulis, quos præsciebat tentandos fore per passionis calicem, mandandosque morti: ergo cum hoc reverâ obtinuerit Christus, eò quòd discipuli absque sævo mortis fremitu eam obierint, non illepide deducitur, quòd omnia, quæ à Patre suo orando petijt, obtinuit; atque adeò fundamentum primæ huius distinctionis partis radicatus procumbit.

29. Respondetur, Magistrum hîc Hilarij verba non exposuisse, sed diligenti pioque Lectorum indagini eorum adscripsisse examen. En modò in litterâ cordatum Magistri iudicium: *Intende Lector his verbis piâ diligentia, ne sint tibi vasa mortis.* Unde, si illius verba, vt in instantiâ sonare videntur, accipienda sint, haud dubiè cæteris Ecclesiæ Patribus contrariam doctrinâ referunt: Quamobrem in alio veniunt expendenda à Doctõribus sensu, vt vna mens, vnusque labor omnium sit Patrum.

30. Sed dices pro exactiùs Hilarij emedullandâ mente: Christus Dominus sic per Matthæum cap. 26. affatur: *Transseat à me calix iste:* ergo si petijt calicem transire à se, reverâ pro se oravit. Insuper: Quemadmodum Christus Dominus volebat, sic petebat, sed clarè agnoscebat se aliquid velle, quod eius non vellet Pater, vt ipse per Marcum cap. 14. ita insinuare videtur: *Non sicut ego volo, sed sicut tu:* ergo si Christus Dominus aliquâ suâ voluntate passionis calicem recusabat, benè consequitur, quòd dum petijt calicem transire à se, pro se oraverit: ergo Hilarij verba in textûs litterâ adducta procul extant à veritate.

31. Respondetur ex Magistri doctrinâ, nos non intendere litteralem verborum Hilarij promoveri sensum, nè sint verba eius vasa mortis, vt animadvertit Magister in litterâ. Dicimus tamen, quòd orare, bifariam vsurpari posse: Vel secundum formam orationis; vel secundum intentionem orantis. Si enim ad formam orationis attendimus, Christus pro se oravit, id est, non pro affectu rationis, sed pro suâ sensualitatis voluntate: Si verò ad intentionem orantis advertimus,

mus, Christus non pro se, sed potius pro membris suis oravit. Vndè, difficilia Hilarij verba non ad formam orationis, sed ad intentionem orantis sunt referenda. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

IN VARIO QVÆSTIONES.

32. **QVÆSTIO 1.** An in Christo Domino sint duæ voluntates? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 18. art. 1. & in 3. dist. 17. q. 1. art. 3. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 16. q. 18. art. 1. Camerarius tom. 3. q. 18. art. 1. Nicolai in 3. dist. 17. q. 1. art. 1. Cayetan. 3. p. q. 18. art. 1. & seqq.

33. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 17. q. 1. Poncius tract. 11. disp. 39. q. 2. Boyvin 2. p. cap. 6. q. 2. Delgadillo p. 1. cap. 4. difficult. 2. dub. 1. Felix de Incarn. cap. 10. difficult. 3. Aquila in 3. dist. 17. q. 1. art. 1. Cavellus in Schol. in 3. dist. 17. q. 1.

34. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 1. disp. 37. sect. 1. & seqq. Vazquez 3. p. disp. 73. cap. 1. & seqq. Bernal disp. 48. sect. 1. & disp. 49. sect. 1. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 17. art. 1. q. 2. Alenf. 3. p. q. 15. memb. 1. art. 1. & 2. Baudun. tract. 1. q. 18. art. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 1. Estius in 3. dist. 17. §. 1. & seqq.

35. **Quæstio 2.** An inter voluntatem humanam, divinamque Christi Domini, necnon earum operationes aliqua fuerit contrarietas? De quò, *hic* q. 1.

36. **Quæstio 3.** An omnis operatio Christi Domini debeat dici theandrica? De quò, *hic* q. 1.

37. **Quæstio 4.** An voluntas Christi Domini in omnibus semper impleatur? De quò, tom. 1. dist. 46. q. 3.

38. **Quæstio 5.** In quo consistat formaliter actus liber Dei? De quò, tom. 1. dist. 47. q. 1.

39. **Quæstio 6.** An rectitudo formalis actûs voluntatis humanæ Christi Domini desumat ex conformitate cum voluntate divinâ? De quò, tom. 1. dist. 48. q. 2.

40. **Quæstio 7.** An, & quomodò Christus Dominus, Beati in patriâ, & purgatorij Animæ nunc orent pro nobis? De quò, tom. 5. p. 2. dist. 45. q. 4.

41. **Quæstio 8.** An omnis Christi Domini oratio exaudita sit? De quò, tom. 1. dist. 46. q. 3.

42. **Quæstio 9.** An in Christo Domino fuerit, vel potuerit esse dubitatio de aliqua re? De quò, *hic* dist. 13. q. 5.

DE MERITO CHRISTI DOMINI.

DISTINCTIONIS DECIMÆ-OCTAVÆ

Synopsis.

*Cùm tibi, tùm nobis meruisti Christe nec ortu,
Quàm, nece crediderim te meruisse minùs.*

Sic incipit : *De merito.*

Sic terminat : *Sit nobis paratus.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de voluntate Christi Domini patientis; sed in præfenti determinat de ipsius voluntatis vsu, qui in exercitio merendi consistit: igitur in rectam connexionis compagem venire videntur.
2. Consequentia probatur: Priùs est statuere voluntatem Christi Domini patientis, quàm ipsius vsum, qui in exercitio merendi consistit, expendere; eò quòd vsus rei ipsam præsupponat rem; sed Magister in superiori distinctioe egit de Christi Domini patientis voluntate: ergo dùm in præfenti de ipsius voluntatis vsu, cui meritum aptatur, determinat, iura connexionis absque vllâ cunctatione servat.
3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expendit Magister, qualiter Christus Dominus passione suâ sibi, & nobis promeruerit. In secundâ verò statuit, Christum Dominum non solum per suam passionem, verùm à suâ conceptionis vestibulo sibi promeruisse. In tertiâ autem, & vltimâ declarat parte, Christum Dominum, in quantum passibilem, & mortalem, gloriam, & immortalitatem corporis induere non potuisse absque aliquo merito.
4. PRO PRIMÆ igitur partis dilucidatione, primum præfigitur theorema: *Christus Dominus suâ Sanctissimâ passione, nedùm nobis, sed etiam sibi promeruit.* Pro cuius propugnatione quorundam opinionem per hastæ cuspidem currentem validè castigat; & dubium quoddam avidè excitat, dexterèq; solvit.
5. Quidam enim, dixere, Christum Dominum non sibi, sed membris

bris suis, siuè nobis duntaxat passione suâ promeruisse. Magister vero præfatam castigans opinionem, sustinet, Christum Dominum non solum sibi, sed nobis per passionem suam quamplura meruisse. Quod utique, quoad geminam in litterâ partem, suadet ipse Magister.

6. Quantum ergo ad primam partem, siuè quòd Christus Dominus nobis promeruerit, sic primò probat Magister: Non potuit homo redemptionem à diabolo, à peccato, & à pœnâ pro ipso debita; necnon refectionem Regni Cœlorum, ut detrusâ igneâ rompheâ ad paradisi valvas locatâ, liberè pateret aditus, promereri; sed homo his modò, alijsque pluribus potitur donis ac privilegijs, quibus per peccatum spoliatus fuerat: ergo alius debuit hominibus hæc promereri dona; sed nullus alius restat, à quo illa possint exequi munia, nisi Christus Dominus per mortem, & passionem suam: igitur Christus Dominus suâ passione nobis promeruit.

7. Secundam theorematis partem, scilicèt, quòd Christus Dominus meruerit sibi corporis immortalitatem, claritatem, & impassibilitatem animæ per obedientiam, & humilitatem suæ passionis, similiter in litterâ ostendit Magister. Primò ex Apostolo ad Philip. cap. 2. scribente: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Ergo ideò Christus Dominus fuit exaltatus per impassibilitatis gloriam, quia fuit humiliatus per passionis obedientiam; eò quòd humilitas sit passionis meritum, & humilitatis exaltatio præmium: ergo sibi Christus Dominus meruit.

8. Secundò, id ipsum probat Magister per Augustinum tract. 104. in cap. 2. ad Philip. dicentem: *Vt Christus resurrectione glorificaretur, prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est premium. Sed hoc totum factum est in forma servi.* Ergo si ut Christus Dominus resurrectione glorificaretur, prius passione fuit humiliatus, ita & quòd humilitas sit claritatis meritum, & claritas humilitatis præmium, quis meritiò dubitare poterit, Christum Dominum sibi promeruisse sui corporis immortalitatem, & animæ impassibilitatem per suæ sanctissimæ passionis obedientiam, & humilitatem.

9. Tertiò, Divus Ambrosius hunc Pauli ad Philippenses apprimè exponens locum, sic concinnè, & compressè alloquitur: *Quid, & quantum humilitas mereatur, hic ostenditur:* ergo quia per humilitatem, & obedientiam suæ passionis Christus Dominus sui corporis clarificationem, & animæ impassibilitatem promeruit.

10. Insuper subdit Magister in litterâ, quòd anima Christi Domini ante mortem erat passibilis, sicut eius caro mortalis; at post mortem merito humilitatis, & obedientiæ anima impassibilis, & caro immortalis est facta. Vnde, hoc subtile ac curiosum excitat dubium Magister: *An anima Christi Domini tunc primò facta fuerit impassibilis, quando caro facta est immortalis, scilicet, in ipso resurrectionis momento, vel illicò à separatione corporis in morte crucis?*

11. Respondet Magister, nihil de hæc re ratum exploratumque apud sacros Doctores Patresque Ecclesiæ deprehendi. Quamobrem utrumque in his habere locum non contradicit authoritati, aut rationi, videlicet, quòd illicet à corporis separatione anima Christi Domini fuerit impassibilitate induta; aut in ipso resurrectionis momento, quando caro resurrit; dummodò non prius anima impassibilitatem, quam corpus immortalitatem indueret.

12. Sed oppones: Gloria corporis Christi Domini, necnon nominis sui exaltatio erat ipsi debita vi fruitionis, & hypostaticæ vnionis vigore; sed quòd est debitum, alicui, ab ipso non promeretur: ergo cum gloria corporis Christi Domini, eiusque nominis exaltatio fuerit ipsi debita vi fruitionis, & vnionis hypostaticæ titulo, non potuit ea promereri sibi.

13. Respondetur passim ab aliquibus, gloriam corporis, & nominis exaltationem solum fuisse Christo Domino debitam congruitatis iure, non connaturalitatis, siue iustitiæ titulo; ideòque dona illa promereri potuit. Tamen dicimus, quòd adhuc connaturalitatis, & iustitiæ debito potuit ea promereri; cum eadem res gemino possit deberi titulo, quippè, vi fruitionis, & ratione meriti; quemadmodum gloria in adultis censetur debita iure hæreditatis, & mercedis titulo. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

14. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis examine, secundum præfigitur theorema: *Christus Dominus à suæ conceptionis vestibulo ad tantum meriti fuit gradum erectus, quòd ad altiorem meriti gradum non potuit ascendere.* Quod duntaxat tentat probare Magister quadam compressâ narratione, & vnicâ Diui Gregorij exploratâ authoritate.

15. Sic primò refert, & probat assumptum conclusionis Magister: Tanta plenitudo spiritalium charismatum in Christo Domino fuit, quòd in eis proficere non valuit; nec ipsius anima melior fieri non potuit, quam ab initio suæ conceptionis extitit: ergo quia ab exordio suæ conceptionis in meritis non valuit proficere; sed ex eo quòd ab illo temporis instanti in meritis proficere non valuerit, ad

tantum meriti gradum fuit evectus, quòd ad altiorem ascendere non potuerit: ergo.

16. Secundò, ex Divo Gregorio lib. 1. in Ezech. hom. 6. his probat verbis Magister: *Non habuit omninò Christus iuxta animæ meritum, quo potuisset proficere, in membris autem, quæ nos sumus, quotidie proficit: ergo licet in membris, siue in nobis quotidie Christus proficiat; tamen iuxta animæ meritum non habuit, quo proficere posset: ergo quia ad tantam meriti celsitudinem à limine suæ conceptionis peruenit, quòd inde altiùs ascendere non potuerit.*

17. Tertiò, eodem ex Gregorio dicente in litterâ: *Non ergò plùs meruit sibi per crucis patibulum, quàm à conceptione meruit per gratiam virtutum; sed ex eo quòd non plùs meruerit Christus Dominus sibi per crucis patibulum, quàm à conceptione suâ per gratiam virtutum meruerat, iam in suæ conceptionis vestibulo tantos meriti accumulavit gradus per gratiam virtutum, vt alios habere non posset: ergo.*

18. Quartò: Valor meriti Christi Domini æquè congruit vni, ac pluribus, cum valor hic sit infinitus, & augeri non possit: ergo quòd Christus passionis suæ tempore meruit, iam à conceptionis instanti meruerat; sed ex eo quòd à conceptionis instanti meruerit id ipsum, quòd passionis suæ tempore meruit, ad tantum meriti gradum fuit evectus, quòd ad altiorem meriti non potuerit ascendere gradum: ergo.

19. Ex quibus subinfert primò Magister: Quòd Christus Dominus, post suæ conceptionis vestibulum, etsi non profecerit secundum animæ meritum, quantum ad efficaciam, siue virtutem merendis profecit tamen quantum ad numerum meritorum: cum ea multipliciter meruerit, quæ ante meruerat. Quod sic ostendit Magister: Christus Dominus plura habuit merita in passione, quàm in conceptione, etsi maioris virtutis non extiterint plura in merendo, quàm ante fuerant pauciora; ergo etsi non profecerit secundum animæ meritum, quantum ad efficaciam, siue virtutem merendi, profecit tamen quantum ad numerum meritorum.

20. Secundò infert Magister, quòd licet anima Christi Domini aliquid habuerit post mortem corporis, quo antea non fruebatur, quippè, immortalitatem, impassibilitatem, aliaque similia; non inde valet dici simpliciter, & absolutè beator post mortem corporis, quàm ante; sed solùm quantum ad aliquid, nempe, in quantum post mortem immunis ab omni miseriâ extitit. Quod etiam ostendit Magister in litterâ: *Quia Christus Dominus nec sanctior, nec gratiâ*

cumu-

cumulatio, nec beator in Dei contemplatione fuit, in quo beatitudo præsertim consistit, post sui corporis mortem, quam ante: ergo quanvis aliquid habuerit post mortem, quo ante non fruebatur, non ideò simpliciter, & absolūtè potuit dici beator post mortem corporis, quam ante; sed solum secundum quid, in quantum scilicet, omni miseriam liber ac expeditus evasit.

21. Tertio deducit Magister: Christum Dominum non solum sibi corporis sui immortalitatem, & suæ animæ impassibilitatem promeruit; sed etiam honorificentiam illam celsissimam, quod vocetur Deus, quod reverà est nomen super omne nomen. Hoc utique nomen ante mortem habuit, hæc tamen notabili differentiâ, quod in quantum Deus, ipsum habuit ab æterno per naturam: In quantum verò factus est homo, habuit ex tempore per gratiam hypostaticæ unionis, etiam manifestationem huius nominis donaverit illi Deus post resurrectionem suam.

22. Quod sic expendit Magister in litterâ: Licet hoc nomen fuerit Christus Dominus insignitus ab instanti suæ hypostaticæ unionis, tamen divulgatum fuit post passionem suam in resurrectione: ergo non incongruè dicitur, quod tunc fuerit illi hoc nomen donatum; quia secundum usitatum Scripturæ tropum, res dicitur fieri, quando innotescit, quanvis extiterit ante: ergo benè hæc duo coherere videntur, nempe, quod Christus Dominus, in quantum Deus, habuerit hoc nomen ab æterno per naturam; in quantum verò factus est homo, ex tempore per gratiam habuerit, & quod simul illi donatum non fuisse dicatur, nisi post passionem suam in resurrectione.

23. Hoc ipsum amplius sic illustrat Magister in litterâ: Christus Dominus per Matthæum cap. 28. eodem creberrimo sacræ Scripturæ usus fuit tropo, dum post resurrectionem suam, dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terrâ;* sed non ea protulit verba, quia tunc primò acceperit potestatem in Cælo, & in terrâ; sed quam ante habebat, tunc manifestata fuit: ergo quanvis à limine unionis hypostaticæ Christus Dominus, ut homo, hoc fuerit insignitus nomine, rectè poterit dari, quod fuerit illi post passionem suam in resurrectione donatum; quia tunc fuit divulgatum, quod ante extiterat.

24. Sed oppones: Manifestatio huius celsissimi nominis, quod est super omne nomen, fuitque Christo Domino à Deo donatum, iam longè ante passionem suam fuit operata: ergo non meruit per passionem suam sui nominis clarificationem. Antecedens probatur: Demones, ut ex iteratis Scripturæ locis pro comperto habemus, hoc

sanctissimum Christi Domini agnoverunt nomen, eò quòd ipsum esse Filium Dei non semel vocarent: ergo quia longè ante passionem suam iam nomen illud erat evulgatum; sicque per eam non meruit sibi hoc nomen donari, sive illius manifestationem.

25. Respondetur negando Antecedens, & probationis Consequentiam. Quia, etsi Christus Dominus ante passionem suam fuerit cognitus habere hoc nomen, quod est super omne nomen, notitiã coniecturalis tamen non fuit cognitus tali decorari nomine, notitiã certitudinali. Hanc etenim coniecturalem ante passionem de Christo Domino deomones habuerunt notitiã. Vel possumus dicere, quòd estò aliquibus fuerit compertum Christum Dominum hoc fuisse nomine insignitum; nihilominus non fuit universaliter notum usque post passionem suam.

26. Postremò recenset Magister quoddam perdifficile iurgium de huius altissimi nominis impositione, quod inter Augustinum, & Ambrosium versari videtur. Nam Augustinus sustinet, nomen illud fuisse donatum homini; Ambrosius è contra tenet, fuisse donatum Deo: Magister vero suo solerti acamine hæc clamorosa inter Patres tentans resecare dissidia, asserit: Beatum Ambrosium esse exponendum de donatione naturali, nullum ad humanam naturam dicente respectum: Augustinum autem de donatione gratuita, quæ in naturam humanam, uti in proprium scopum, tendit. Quamobrem, cum Ambrosij pronunciatum de æternâ generatione; & Augustini dictum de temporali assumptione sit intelligendum, nullam inter ipsos Clarissimos Doctores discordiam deprehendimus. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

27. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, tertium statuitur theoremata: *Christus Dominus, supposita corporis mortalitate, & animæ passibilitate, gloriam tum corporis, tum animæ absque omni merito habere non potuit.* In cuius probationem quoddam in litterâ adducit qualiter Magister, & illius solutione eam prodignitate illustrat.

28. Investigat enim Magister: *An Christus Dominus illam immortalitatis impassibilitatisque gloriam, & nominis Dei manifestationem sine omni merito habere potuerit?* Et respondet, quòd licet potuerit humanam naturam ita gloriosam suscipere, qualis post resurrectionem extitit, nomenque suum etiam aliter hominibus evulgare; non tamen potuit esse homo passibilis, & mortalis, & ad illam celsissimam gloriam sine omni merito extolli.

29. Hoc etenim duplici ratione Magister suadere videtur. Prima sic ab ipso conficitur in litterâ: Etsi Christus Dominus ad illam gloriam, nominisque sui manifestationem pervenire valuisset, sine suæ passionis merito, eò quòd potuerit, consumptâ mortalitate, immortalitatis gloriâ vestiri, non verò sine iustitiæ, & charitatis merito, aliarumque virtutum ea assequi valuit: ergo suppositâ sui corporis mortalitate, ipsiusque animæ passibilitate, non potuit gloriam illam animæ, & corporis, nominisque manifestatione sine omni merito habere.

30. Secunda à Magistro etiam sic perficitur ratio: Non potuit plenitudo virtutum, & gratiæ Christo Domino inesse cilicio mortalitatis induto, quin per eas mereretur: ergo dum has virtutes secundum hominem passibilem, & mortalem Christus Dominus habuit, non potuit non promereri gloriam immortalitatis: ergo dum fuit factus passibilis, & mortalis, non valuit sine merito gloriam impassibilitatis, & immortalitatis, nominisque Dei manifestationem comparare.

31. Tandem Magister ultimam distinctioni lineam imponit, dicens: Quòd etsi gratia, & virtutes Christi Domini sufficiant ad merendum impassibilitatem suæ animæ, & corporis immortalitatem, necnon & sui nominis exaltationem; pati tamen, & mori voluit, ut ipsius passio, & mors esset nobis exemplum, & gloriæ causa, & ut nos redimeret à diabolo, à peccatis, & à pœnâ pro ipsis debitâ, Regnique Cœlestis referret vulvas.

32. Sed obiter hîc in litterâ inquit Magister: *Quomodò Christus Dominus per mortem, & passionem suam aula cœlestis ianuam recludere potuit?* Et respondet quadam Divi Ambrosij autoritate, quam sic suggerit super cap. 5. ad Romanos: *Si ergò Adam superbia omnium exitit ruina, ipsum de paradiso mittens foras, aliisque occludens ianuam; multò magis Christi humilitas, quâ mortem gustavit, ingressum regni cœlestis omnibus suis, impleto Dei decreto, aperire valuit, atque decreti delere chirographum.* Ergo quia Deus decrevit ex ordine suæ sapientiæ, & iustitiæ, ut homo ad paradysum non rediret, nisi per Christum, qui plùs humiliatus est passionem gustando, quàm primus homo transgressus superbiendo.

33. Unde deducit Magister in litterâ: Quòd etsi Deus aliter redimere hominem potuerit, tamen præfatus redemptionis modus videtur fuisse congruentior alijs redimendi modis; ut ita meritis Christi Domini pateret credentibus in eum aditus regni cœlestis. Quia quemadmodum olim in morte Summi Pontificis, ut claret ex Iosue

cap.

cap. 20. licitum erat his, qui ad civitatem refugij confugerant, secun-
dè ad propria remeare; ita in morte Christi Domini Primi ac Sum-
mi Pontificis tanta beneficia ac magna præstita sunt hominibus, ut
liceat ipsis in æternam patriam redire. Et hæc de tertiâ, & ultimâ
distinctiõnis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

34. **QVÆSTIO 1.** Quid, & quotuplex sit meritum? Ex Angelicâ
Scholâ D. Thomas q. 29. de Veritate art. 6. Gonetus tom. 4.
tract. 9. disp. 2. art. 2. Reding tom. 3. q. 5. de Merito, art. 1. controv. 1.
& seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 2. tract. 3. disp. 7. dub. 4. Ioan. à S.
Thomâ tom. 3. disp. 17. art. 1. & seqq. Godoy de merito, disp. 49. tract. 12.
§. 1. & seqq. Camerarius tom. 3. q. 34. art. 3. Cayetan. in 3. p. q. 50. art. 6.
35. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 18. q. vnic. Benjumea de
merito, disp. 4. art. 1. & 2. Poncius tract. 9. disp. 36. q. 1. & 2. Mastrius
tom. 3. disp. 3. q. 1. art. 1. Faber in 3. disp. 43. cap. 1. Centinus disp. 2.
cap. 4. Bellutus tom. 3. disp. 3. q. 1. art. 1. & seqq. Vulpes tom. 1. p. 3.
disp. 25. art. ultim. Delgadillo de incarn. p. 2. cap. 9. difficult. 1. dub. 1.
Tamarit tract. 11. de merito, q. 6. & seqq. Herincx p. 2. tract. 4. disp. 6. q. 5.
36. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sect. 4. Aran-
da de incarn. lib. 3. disp. 3. sect. 1. §. 1. Vson de incarn. disp. 5. sect. 1.
num. 14. Coninch disp. 4. & 5. de incarn. cap. 1. Vvand. disp. 10. dub. 4.
Aldrete tom. 2. in 3. p. disp. 15. sect. 8. Muniella de merito, disp. 23. sect.
1. & seqq. Oviedo tract. 9. controv. 1. punct. 1. & 2. Rhodes tract. 5.
disp. 4. q. 1. sect. 2. Amicus tom. 3. disp. 35. sect. 2. Carleton tom. 2. disp.
127. sect. 1. & seqq. Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. vlt. q. 9. & seqq. Ri-
palda tom. 2. disp. 71. sect. 1. & seqq.
37. Ex alijs D. Bonavëtura in 3. dist. 18. art. 1. q. 1. & seqq. Caspens.
tom. 1. tract. 14. disp. 6. sect. 1. & seqq. Bonæspei tom. 2. disp. vlt. dub. 1.
Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 4. & seqq. Baldius lib. 2. qua-
sit. 4. q. 3. difficult. 4. Estius in 3. dist. 18. §. 1. & seqq. Malletus tom. 2.
pag. 14. Bassæus verb. meritum, num. 1. & seqq.
38. Quæstio 2. An Christus Dominus id quod meruit, ab instan-
ti Conceptionis meruerit? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 19.
art. 2. & in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. Godoy in 3. p. tom. 3. disp. 47. §. 1.
& seqq. Cayetan. in 3. p. q. 50. art. 6. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 17.
art. 6. & 7. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 21. art. 1. Camerarius tom. 3.
q. 34. art. 3. Nicolai in 3. dist. 18. q. 1. art. 3. Philipp. à SS. Trinit.
tom. 4. tract. 1. disp. 9. dub. 2.

39. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 18. q. 1. Lauræa de incarn. disp. 19. art. 4. & seqq. Boyvin in 2. p. cap. 9. q. 3. Delgadillo 2. p. cap. 9. difficult. 1. dub. 6. Cavellus in Schol. in 3. dist. 18. q. vnic. Rada 3. p. controv. 12. art. 1. & 2. Herincx 4. p. disp. 2. q. 4. §. 2. Poncius in 3. Comment. dist. 19. num. 64. Felix de incarn. cap. 14. difficult. 3. dub. 1. Gallus in 3. dist. 18. q. 1. cap. 1. & seqq. Aquila in 3. dist. 18. q. 1. Pitygian. in 3. dist. 18. art. 1. & seqq.

40. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 39. sect. 3. Lugo de incarn. disp. 27. sect. 4. Aranda lib. 5. disp. 4. sect. 2. Aldrete controv. 14. disp. 81. sect. 1. & seqq. Rhodes tract. 7. disp. 4. q. 4. sect. 1. Penafiel tom. 4. disp. 17. sect. 4. Muniessa disp. 17. sect. 5. Mart. Perez disp. 33. sect. 3. Bernal disp. 55. sect. 6. §. 1. Vazquez disp. 75. cap. 2.

41. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 18. art. 1. q. 2. Alenf. p. 3. q. 17. memb. 2. art. 1. Gabriel in 3. dist. 18. q. 1. Baldius lib. 2. quasit. 4. q. 3. difficult. 2. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 5. Baudun. tract. 1. q. 19. art. 3. Durandus in 3. dist. 18. q. 2. Lorca disp. 74. num. 5. & seqq. Estius in 3. dist. 18. §. 1. & seqq.

42. Quæstio 3. An Christus Dominus meruerit per opera ad quæ tenebatur ex præcepto? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 18. q. 1. & seqq. Godoy de merito, disp. 49. tract. 12. §. 1. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 21. art. 3. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 17. art. 4. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 9. dub. 4.

43. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 18. q. vnic. Poncius tract. 11. disp. 38. q. vlt. Boyvin 2. p. cap. 9. q. 1. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 6. q. 2. & 3. Gallus in 3. dist. 18. q. vnic. cap. 1. & seqq. Maltrius tom. 3. disp. 3. q. 10. art. 1. & seqq. Delgadillo p. 2. cap. 9. difficult. 1. dub. 5. Castillo de Incarn. disp. 14. q. 1. Felix de incarn. cap. 14. difficult. 2. Herincx p. 4. disp. 2. q. 4. §. 2.

44. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 39. sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 57. sect. 3. Aranda lib. 5. disp. 4. num. 62. Lugo disp. 27. sect. 1. Vazquez disp. 74. cap. 4. & 5. Hurtado disp. 14. difficult. 3. Bernal disp. 55. sect. 2. Mart. Perez disp. 33. sect. 2. Rhodes tract. 7. disp. 4. q. 4. sect. 2. Penafiel tom. 4. disp. 17. sect. 1. Muniessa disp. 17. sect. 5.

45. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 18. q. 1. & seqq. Calpenfis tom. 2. tract. 20. disp. 10. sect. 2. Baldius lib. 2. quasit. 4. q. 3. difficult. 4. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 4. & seqq. Bonæspei tom. 2. disp. vlt. dub. 1. & seqq. Estius in 3. dist. 18. §. 2. & seqq. Baudun. tract. 1. q. 19. art. 3. & seqq. Alenf. 3. p. q. 17. memb. 2. art. 1. & seqq.

46. Quæstio 4. An Christus Dominus nihil sibi, sed totum nobis

bis promeruit? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 18. q. 1. art. 8. & 9. Godoy in 3. p. tom. 3. disp. 56. §. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 18. art. 3. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 21. art. 5. & seqq. Lumbier q. 34. art. 3. Nicolai in 3. dist. 18. q. 1. art. 8. & 9. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 9. dub. 6. & 7.

47. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 19. q. vnic. Maftrius tom. 3. disp. 3. q. 13. art. 1. & 2. Poncius tract. 11. disp. 38. q. vlt. & Comment. in 3. dist. 19. num. 64. Felix de incarn. cap. 14. difficult. 4. Boyvin p. 2. cap. 9. q. 2. Gallus in 3. dist. 19. q. vnic. cap. 9. Delgadillo p. 2. cap. 9. difficult. 1. dub. 14. & seqq. Rada 3. p. contrav. 12. art. 3. Herincx p. 4. disp. 2. q. 4. §. 2. 3. & 4. Aquila in 3. dist. 19. q. 1. art. 1.

48. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 39. sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 47. sect. 3. & 4. Muniella disp. 27. sect. 5. Aranda lib. 5. disp. 4. sect. 3. §. 1. Aldrete contrav. 14. disp. 83. sect. 1. & seqq. Rhodes tract. 7. disp. 4. q. 4. sect. 4. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 17. sect. 2. Bernal disp. 55. sect. 4. Mart. Perez disp. 33. sect. 4. Vvading. de incarn. disp. 10. dub. 7. Lugo disp. 27. sect. 3.

49. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 19. q. 1. & seqq. Bonaspei disp. 15. num. 30. Caspensis tom. 2. tract. 20. disp. 10. sect. 3. & 4. Estius in 3. dist. 18. §. 2. & seqq. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 4. & seqq. Baudunius tract. 1. q. 19. art. 5. & 6. Baldius lib. 2. quasit. 4. q. 3. difficult. 4. & seqq. Bassæus verb. meritum, num. 1. & seqq.

50. Quæstio 5. An meritum Christi Domini fuerit infiniti valoris? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. Godoy in 3. p. tract. 1. disp. 3. §. 1. & seqq. & disp. 4. §. 1. & tom. 4. disp. 45. §. 1. & seqq. Arauxo in 3. p. dub. 5. conclus. 1. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 2. art. 1. & disp. 17. art. 5. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 4. art. 3. & disp. 21. art. 4. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 2. dub. 4. Cayetanus 3. p. q. 1. art. 2. Sotus lib. 3. de grat. cap. 6.

51. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 19. q. vnic. Sendin tract. 6. contrav. 2. sect. 1. & seqq. Rada 3. p. contrav. 13. art. 2. Faber in 3. disp. 45. cap. 2. & 3. Castillo 3. p. disp. 3. q. 2. Poncius tract. 11. disp. 38. q. vlt. Boyvin 2. p. cap. 2. q. 6. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 3. q. 3. Maftrius tom. 3. disp. 3. q. 8. art. 1. Vulpes tom. 3. p. 4. disp. 56. art. 8. Delgadillo p. 2. cap. 9. difficult. 2. dub. 5. Lauræa disp. 19. art. 2. Lychetus in 3. dist. 19. q. vnic. Felix de incarn. cap. 3. difficult. 2. Gallus in 3. dist. 19. q. 2. cap. 1. & seqq.

52. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 4. sect. 4. Amicus tom. 6. disp. 6. sect. 2. Aranda lib. 4. disp. 3. sect. 1. §. 1. Lugo de incarn. disp. 6. sect.

sect. 1. Aldrete *disp. 8. contr. 3. sect. 1.* Bernal *disp. 6. sect. 1. & seqq.*
 Mart. Perez *disp. 3. sect. 2.* Rhodes *tract. 7. disp. 1. q. 3. sect. 4. §. 3.* Peña-
 fiel *tom. 4. disp. 4. sect. 8.* Carleton *tom. 2. disp. 44. sect. 1. & 2.* Anton.
 Perez *tract. 5. disp. 5. cap. 5.* Muniessa *disp. 17. sect. 2.* Coninch *disp. 3.*
dub. 8. Thyrfus *disp. 30. sect. 6.* Vvading. *disp. 2. dub. 1. & seqq.*

53. Ex alijs D. Bonaventura in 3. *dist. 19. art. 1. q. 2.* Alensis 3. p.
 q. 17. *memb. 4. art. 2.* Aureolus in 3. *dist. 19. q. 1.* Gabriel in 3. *dist.*
 19. *art. 2.* Eulach. à S. Paulo p. 2. *tract. 1. disp. 11. q. 4. & seqq.* Baldius
 lib. 2. *quæsit. 4. q. 3. difficult. 3.* Bonæspei *tom. 2. disp. vlt. dub. 1. & seqq.*
 Estius in 3. *dist. 18. §. 3. & seqq.*

54. Quæstio 6. An Christus Dominus meruerit aliquid post pri-
 mum suæ conceptionis momentum? De quò, *hic q. 2.*

55. Quæstio 7. An Christus Dominus aliquid in suâ meruerit
 passione? De quò, *hic q. 2. & 3.*

56. Quæstio 8. An Christus Dominus meruerit sui corporis glo-
 rificationem? De quò, *hic q. 4.*

57. Quæstio 9. An meruit nobis Christus Dominus paradisi ia-
 nuæ apertionem? De quò, *hic q. 4.*

58. Quæstio 10. An Christus Dominus in ipso mortis instanti
 meruerit? De quò, *hic q. 2. 3. & 4.*

59. Quæstio 11. An Christus Dominus post mortem meruerit?
 De quò, *hic q. 2. & 3.*

60. Quæstio 12. An Christus Dominus meruerit nobis vitam
 æternam immediatè? De quò, *hic q. 4.*

61. Quæstio 13. An Christus Dominus meruerit nobis fidem,
 aliaque dona superna, quibus ad iustificationem disponimur? De quò,
hic q. 4.

62. Quæstio 14. An nostra prædestinatio fuerit ex meritis Chri-
 sti Domini? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 4.*

63. Quæstio 15. An beatitudo, & meritum cohæreant in patriâ?
 De quò, *hic q. 2.*

64. Quæstio 16. An Anima Christi Domini fuerit post, ac ante
 mortem beator? De quò, *hic dist. 14. q. 1.*

65. Quæstio 17. An meruerit Christus Dominus quòd daretur
 illi nomen, quod est super omne nomen? De quò, *hic q. 4.*

66. Quæstio 18. An Christus Dominus potuerit assequi gloriam
 impassibilitatis absque vilo proprio merito? De quò, *hic q. 4.*

67. Quæstio 19. Quodnam fuerit primum Adæ peccatum? De
 quò, *tom. 2. dist. 22. q. 1.*

68. Quæstio 20. An Adamo non peccante Verbum divinum veniret? De quò, tom. 1. dist. 48. q. 3.

69. Quæstio 21. An pura creatura possit de potentiâ absolutâ condignè satisfacere pro peccato proprio, & alieno? De quò, tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 3.

DE EFFICACIA, ET UTILITATE PASSIO- nis Christi Domini.

DISTINCTIONIS DECIMÆ-NONÆ

Synopsis.

*Cum voluit Christus soboles æterna parentis,
Factus homo, mortis vincere morte ducem?
Victa in natura superaret, ut æquiùs hostem.
Et nobis tantò charior inde foret.*

Sic incipit: *Nunc ergò quæramus.*

Sic terminat: *Sanguine agni immaculati.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de merito passionis Christi Domini, quatenus ad assequutionem boni, tam sibi, quam nobis, iure optimo ordinatur; sed in præsentî de eodem passionis Christi Domini determinat merito, in quantum ad nostram salubriter redemptionem, sive ad mali nostri remotionem spectat: ergo hæc distinctiones invicem connectuntur.

2. Consequentia probatur: Priùs est agere de assequutione boni, quam de mali remotione, eò quòd absentia mali ex boni præsentia necessariò consequatur; sed Magister in distinctione antecedenti egit de merito passionis Christi Domini, quatenus ad assequutionem boni, tam sibi, quam nobis ordinatur: ergo dum in præsentî de eodem passionis Christi Domini determinat merito, in quantum ad redemptionem nostram, sive ad mali nostri remotionem spectat, recto ordine procedit.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, qualiter per mortem, & passionem suam Christus Dominus nos à culpâ, pœnâ, & diabolo liberavit. In secundâ verò expendit, qualiter tota Trinitas ob potestatis usum, & operis expletionem dicatur redimisse hominem, quanvis simpliciter, & propriè redemptoris nomen soli Christo Domino ascribatur. In terciâ autem & vicinâ ostendit parte, qualiter mediatoris officium solus Christus Dominus arrogaverit sibi.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis plenissimo capto, primâ proponitur thesis: *Per mortem, & passionem suam Christus Dominus nos redemit à culpâ, à pœnâ, & à vinculis servitutis diabolicae.* Anteculus probationem præmittit Magister in litterâ, quòd per mortem Christi Domini liberati sumus ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ, etiamque prorsus à diaboli potestate. Quod per triplicem viam probare intendit Magister, iuxta totidem modum, quo Christus Dominus per suam nos iustificavit mortem.

5. Primum iustificationis modum ex Apostolo ad Romanos cap. 3. arrogat sibi Magister pro thesis propugnatione: Primò enim iustificavit nos Christus in charitate, in morte suâ ostensâ, invitando nos ad charitatem, per quam iustificamur, à peccato liberamur, & à potestate diaboli eripimur, qui nos diris vinculis peccatorum tenebat: ergo quia per mortem, & passionem suam Christus Dominus nos redemit à culpâ, à pœnâ, & ab effero diroque diaboli imperio; eò quòd eius pretiosa mors nos iustificet, dum per eam charitas excitatur in cordibus nostris.

6. Secundum iustificationis modum, quo Christus Dominus per mortem, & passionem suam liberavit nos ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ, necnon à diaboli immani potentiâ, etiam sic sibi vendicat Magister ex Apostolo ad Romanos cap. 3. Per mortem Christi Domini etiam iustificari dicimur, quia per fidem mortis eius à peccatis mundamur, iuxta illud ipsiusmet Apostoli: *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi, &c.* igitur Christus Dominus suâ nos verè iustificavit morte, in quantum per fidem mortis eius, non solum à culpâ, & penâ debitâ pro peccatis, verùm à servili dæmonum iugo liberamur.

7. Quod egregiè in litterâ exemplificat Magister ex illo quod Moyses cap. 21. Numer. refert: Nam quemadmodum olim aspicientes serpentem æneum in ligno erectum, à moribus serpentum sanabatur; sic si erecto fidei intuitu in Christum Dominum respicimus, qui pro nobis in ligno pependit, à vinculis diaboli liberabimur, & à cul-

culpā, & poenā, peccatisque omnibus salvabimur, ita, vt post hanc vitam in nobis nec inueniat quod diabolus puniat: igitur quia Christus Dominus per mortem, & passionem suam ab omnibus nos liberavit malis.

8. Tertium iustificationis modum, quo Christus Dominus suā nos morte, & passione iustificavit, etiam sic in litterā clarè ostendit Magister: Quia Christus Dominus in morte suā se offerens verissimum sacrificium, quicquid culparum erat in nobis, vnde nos diabolus ad luenda supplicia detinebat, destruxit, & deturbavit, eiusque efferum imperium in tantūm enervavit, quòd etiam ab ipso tentari possimus, non tamen nisi spontè subingari valeamus: igitur Christus Dominus suā sanctissimā morte, eiusque pretiosi sanguinis profluvio, omnium culparum nostrarū chirographa penitus obliteravit.

9. Hoc ipsum ex Luca cap. 11. confirmat Magister in litterā: Nam Divus Petrus, qui ante Christi Domini mortem, voce ancilla blandā territus, ipsum negavit; post mortem, ante Reges, & Principes ductus, non cessit, nec timore ipsum liberè confiteri: ergo quia Christus Dominus veniens in domum fortis, sive in hominum corda, vbi diabolus inhabitabat, alligavit fortem, sive à seductione compescuit fidelium, vt tentationem, quæ ei adhuc permittitur, non sequatur seductio.

10. Amplius suum roborat dictum Magister Augustini auctoritate lib. de Trinit. cap. 15. dicente: *Non enim tenebat nos diabolus, nisi vinculis peccatorum nostrorum; ista erant catene captivorum. Venit ille, alligavit fortem vinculis passionis suæ: intravit in domum eius, id est, in corda eorum vbi ipse habitabat, & vasa eius, scilicet nos, eripuit, quæ ille impleverat amaritudine suā: Deus autem noster vasa eius eripiens, & sua faciens, fudit amaritudinem, & implevit dulcedine, per mortem suam à peccatis redimens, & adoptionem gloriæ filiorum largiens.* Igitur Christus Dominus suā morte, & passione à durā nos dæmonis captivitate liberavit, dum vasa nostra, quæ suā amaritudine impleverat diabolus, effudit, & propriā dulcedine rosis suæ gratiæ, quæ à suā effluerat morte, implevit, redimens nos à peccatis, & à cruentā dæmonum captivitate.

11. Ulterius, sic alio Augustini testimonio lib. de Agone Christi. cap. 2. iterum clypeat intentum Magister: *Incideramus enim in principem huius sæculi, qui seduxit Adam, & servum fecit, capique nos quasi vernaculos possidere, sed venit Redemptor, & victus deceptor. Et quid fecit Redemptor captivatori nostro? Terrendo ei in seipsum crucem suam, posuit*

ibi, quasi escam, sanguinem suum. Ille quippè ad hoc sanguinem suum fudit, vt peccata nostra deleret. Ergo ideo Christus Dominus sanguinem suum in morte, & passione effudit, vt per eum nostra peccata deleret, & diabolum captivatore[m] hominis per crucem suam subiugaret, ad ima[m]que detrueret vsque.

12. Sed oppones in triplicem iustificandi modum à Magistro assignatum, derivatumque in nobis ex passionis mortisque Christi Domini merito: Martyres passione suâ nos invitant ad credendum, diligendumque Deum: ergo si Christi Domini passio, quia nos accendit, & movet ad charitatem, amoremque Dei, dicitur nos iustificare; etiam pari gressu aliorum martyrum passio, quia ad eandem charitatem nos invitat, poterit dici nos iustificare.

13. Insuper: Sicut fides, & charitas requiruntur ad iustificationem; sic & aliæ virtutes pro ipsâ iustificatione assequendâ necessariæ arbitrantur: ergo quemadmodum dicimur iustificari per fidem, & charitatem mortis, & passionis Christi; ita per humilitatem, aliasque ipsius virtutes, quibus Christum patientem æmulamur, poterit dici nos iustificari: ergo incongruè assignat Magister hunc triplicem iustificandi modum ex Christi Domini morte passionisque derivatum.

14. Respondetur cum Seraphico Doctore: Magistrum in his tribus iustificandi per mortem, & passionem Christi Domini ab ipso assignatis modis, non apposuisse causam principalem, totalemque iustificationis, sed eam omisisse, rationem quippè meriti ex ipsâ provenientis passione, per quod & passio Christi est fons nostræ salutis, & per ipsam plenitudo gratiæ Christi in nos redundat. Unde, etiâ rationes à Magistro in litterâ adductæ, pro triplici iustificandi ex passione Christi Domini assignando modo, per se non sufficient; tamen præsuppositâ priori adeo sunt sufficientes. Quamobrem dicimus, secundum Magistrum, quod passio Christi Domini iustificat per modum meriti disponentis, per modum exempli excitantis, & per modum exemplaris dirigentis, ita vt sit in eâ meritum, in quantum hostia oblata, excitatio, in quantum credita, & directio, in quantum amata.

15. Posthac inquit Magister simulque ostendit in litterâ: Quomodo Christus Dominus suâ morte, & passione nos à dirâ diaboli servitute liberaverit, dicens, Deum factum fuisse hominem, vt per ipsius mortem diabolum vinceret, qui prius callidè hominem debellarat: ergo ideo Deus factus est homo, vt per mortem suam non

violenter, sed iuste diabolum subiugaret, vincendo in illâ naturâ, quam ipse prius expugnatat.

16. Consentaneè his subiungit Magister: Christum Dominum non solum à pœna aternâ: verùm à temporaneâ hominem suâ morte ac passione liberasse. Ab aternâ quidem redemit pœnâ, relaxando debitum: Nam ad pœnam aternam non adigimur, nisi per culpam: ergo cum Christus Dominus suâ morte, & passione debellaverit culpam, consequens est, vt etiam subiugaverit pœnam, quippè aternam, pro ipsâ debitam. A temporaneâ pœnâ etiam suâ morte hominem redemit, infundendo gratiam; quanvis ab eâ penitus nos in futuro liberabit, quandò novissima mors inimica destruetur.

17. Tandem pro primâ distinctionis partis exordio subdit Magister in litterâ: Pœnam peccatorum nostrorum in corpore suo super lignum Christum Dominum portasse: Quia per ipsius pœnam, quam in cruce tulit, omnis temporalis pœna, quæ homini pro peccatis debetur, in baptismo penitus relaxatur, & in pœnitentiâ debilitatur. Non enim sufficeret illa pœna, quâ pœnitentes ligat Ecclesia, nisi pœna Christi cooperaretur, quia pro nobis solvit. Vnde iustorû peccata, quæ fuerunt ante Verbi divini incarnationem, in sustentatione Dei fuisse vsque ad Christi Domini mortem, dicit Apostolus ad Roman. cap. 3. ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

18. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis examine, hæc aliâ statuitur thesis: *Esi Trinitas tota, valeat dici homines redimisse, iuxta ipsius communem potestatis usum; tamen non ita specialiter eos liberasse dicitur, quemadmodum Filius fecit, secundum humanam ab ipso assumptam naturam, per humilitatis, obedientiæque effectum.* Quam solummodò quadam terminorum explanatione compressâ suadet probatione Magister.

19. Vnde Christus Dominus verè totius generis humani vocatur Redemptor, eò quòd à spurcitijs peccati, insidijsque diaboli vindicaverit homines; non solum in quantum Deus, verùm & in quantum homo. Primò ergò dicitur Christus Dominus Redemptor, in quantum Deus, propter remissionis peccatorum potestatis usum, qui Patri, & Spiritui Sancto iure optimo adscribitur; non verò propter exhibitionem humilitatis, & obedientiæ, quam sibi non arrogant ipsi.

20. Quod sic in litterâ Magister probare videtur: Vfus potestatis remissionis peccatorum arbitratur communis Patri, Filio, &

Spiritu Sancto; & quidem, cum Christus Dominus hominum iustificationem fuerit operatus potentia deitatis una cum Patre, & Spiritu Sancto; sed ex eo quod peccatorum remissionis potestatis usus arbitretur communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto, revera absque ullo veritatis dispendio, tota Trinitas dicitur homines redimisse: ergo recte consequitur, quod secundum remissionis peccatorum potestatis usum, Christus Dominus, in quantum Deus, totius humani generis dicatur Redemptor.

21. Sed oppones: Potestas remittendi peccata verè in Deo ab æterno eluxit; sed Christus Dominus, in quantum Deus, secundum præfata potestatis usum, homines redimisse dicitur: ergo ab æterno fuit Christus Dominus, in quantum Deus, totius generis humani Redemptor; sed Christus Dominus solum in tempore redemit homines à diaboli famulatu, peccatorumque sordibus: igitur hæc incommoda suggerit hic Magistri littera textus.

22. Respondetur, Magistrum nullum super his suppeditasse in littera incommodum, etsi Deo ab æterno conveniat dimittendi peccata potestas. Quia in humani generis redemptione viget & absolute potestas, & simul potestatis usus peccatorum remissionis. Unde Magister non asserit, Christum Dominum, in quantum Deum, fuisse hominum Redemptorem ex potestate, sed ex potestatis usu, quem ab æterno non habuit, sed ex tempore; ac proinde non incongrue asserimus, quod Christus, in quantum Deus, vocatur generis humani Redemptor, propter remissionis peccatorum potestatis usum, qui iure optimo etiam Patri, & Spiritui Sancto adscribitur.

23. Quod autem Christus Dominus, in quantum homo, solitarie dicatur hominum Redemptor propter humilitatis, obedientiaque exhibitionem, etiam hunc in modum ostendit Magister in littera: Christus Dominus, in quantum homo, in se explevit ea, per quæ iustificati sumus, etsi iustificationem ipsam operatus fuerit potentia deitatis una cum Patre, & Spiritu Sancto; sed ideo Christus Dominus, in quantum homo, in se explevit ea, per quæ iustificati sumus, quia humilitatis obedientiaque effectus maximè enituit in eo: igitur ob humilitatis obedientiaque exhibitionem Christus Dominus, in quantum homo, haud dubie humani generis Redemptor dicitur.

24. Vterius: Quia Christus Dominus, secundum humanitatem, non semel in sacra pagina appellatur Redemptor, eo quod secundum eam, & in eam suscepit impleveritque sacramenta illa, quæ

nostræ redemptionis censentur causæ; sed hæc secundum humanitatem suscepit, & implevit Christus Dominus per humilitatis obedientiæque effectum: ergo.

25. Sed dices: Quamplura extant sacramenta, vt poenitentia, confirmatio, extremaque unctio, quæ ad nostram maximè conferunt redemptionem; sed Christus Dominus ea in se non suscepit, adhuc propter humilitatis obedientiæque effectum: ergo insciè scribit Magister, dum in litterâ tenet, Christum Dominum, secundum humanitatem, in eâ suscepisse implevisseque sacramenta illa, quæ nostræ redemptionis sunt causa.

26. Respondetur, instantiam non callere profundum Magistrî nutum; quia hic non usurpantur sacramenta pro his, quæ sunt signa, in quibus confertur gratia, quemadmodum sunt Ecclesiæ sacramenta septem; sed duntaxat appellantur sacramenta arcana illa mysteria, quæ ad nostram conferunt redemptionem, vt Christi Domini incarnatio, nativitas, passio, mors, resurrectio, & alia huiusmodi, quæ reverâ Christus Dominus secundum humanitatem suscepit, & implevit per humilitatis obedientiæque effectum. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

27. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, tertia statuitur thesis: *Solus Christus Dominus propriè dicitur Dei, & hominum mediator.* Quam non solum litteraliter expendit Magister, verum aliquibus Scripturæ, & Patrum testimonijs cuiusdamque dubitationis argutâ solutione suadere pertentat.

28. Probat primò Magister assumptum ex Apostolo 1. ad Timoth. cap. 2. dicente: *Vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*: ergo quia solus Christus Dominus propriè Dei, & hominum mediator dicitur.

29. Secundò illustrat præfatum Apostoli locum his Augustinus verbis in Concionib. lib. 4. cap. 7. *Per humanitatem quasi in medio arbiter est Christus Iesus ad componendam pacem, id est, ad reconciliandum homines Deo*: ergo si Christus Dominus, secundum humanitatem, arbiter est inter Deum, & hominem ad componendam pacem, reconciliandumque homines Deo, verè ac propriè congruit ipsi, vt sit Dei, & hominum mediator.

30. Tertiò expendit Magister litteraliter propugnationis scopum: *Solus Christus Dominus cuncta mediatoris munia inter Deum, & homines ad vnguem explevit*: ergo quia soli Christo Domino hæc est propriè adscribenda immortalis gloria. Antecedens sic probat

Magister in litterâ: Christus Dominus nos Deo reconciliavit, delendo peccata, quibus Deus offenditur, & homines inimici Dei constituuntur; sed hæc sunt mediatoris inter Deum, & homines munera propria: ergo cum solus Christus ea perfecte expleverit, solus ipse mediatoris nomine Dei, & hominum insigniri debet.

31. Modò in litterâ inquit Magister: Si tota Trinitas peccata hominum delet, quibus Deus offenditur, & homines inimici Dei constituuntur, quare specialiter solus Filius, & non tota Trinitas, mediator Dei, & hominum dicitur? Et respondet Magister, id profectò multiplici ex capite oriri, quæ reverâ satis contortè continentur in textu.

32. Primò: Quia, etsi tota Trinitas peccata deleat usu potestatis, reconcilietque homines sibi; tamen solus Filius mediatoris nomen iure optimò sortitur: quia medius est inter Deum, & hominem; quod Patri, & Spiritui Sancto non congruit.

33. Secundò: Quia quod mediat inter duo extrema, nempe Deum, & hominem, debet quid commune utrique continere extremo; sed solus Christus Dominus, & non Pater, aut Spiritus Sanctus, continet aliquid commune Deo, & homini: ergo. Minor probatur: Christus Dominus, secundum humanitatem, habuit iustitiam, quæ ipsi Deo erat communis, & habuit mortalitatem communem hominibus: ergo cum solus Filius, & non Pater, aut Spiritus Sanctus, contineat aliquid commune Deo, & homini, ipsi soli, & non toti Trinitati erit tribuendum mediatoris nomen.

34. Tertiò: Quia solus Christus Dominus, secundum humanitatem, opera illa, sive arcana sacramenta, aut veneranda mysteria in se suscepit, quorum fide, & imitatione iustificamur, idest, reconciliamur Deo, quæ Pater, & Spiritus Sanctus explere non poterant: ergo ex hoc multiplici probationis capite rectè colligitur, solum Filium, & non Patrem, aut Spiritum Sanctum, propriè arrogasse sibi mediatoris excellentiam inter Deum, & hominem.

35. His tandem conterit Magister devium aliquorum erratum dicentium unam tantum in Christo Domino enituisse naturam. Si enim unâ tantum polleret Christus naturâ, quomodò medium inter Deum, & hominem teneret? Et si ita medius non foret, ut Deus sit propter divinitatis naturam, & homo propter humanitatis formam, quomodò humana in eo reconciliarentur divinis? ergo sanè hæc Magistri doctrinâ præfata hæreticorum emoliuntur deliria: ergo nulli erit stabile dubium, quòd Christus Dominus, secundum hu-

manitatem, per celebri mediatoris honoretur stemmate, iuxta illud Epistolæ Apostolorum Principis cap. 1. *Non corruptibilis auro, & argento redempti sumus, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sunt dicta.

QVÆSTIONES.

36. QVÆSTIO 1. An satisfactio Christi Domini pro peccatis fuerit de toto rigore iustitiæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3.p. q. 19. art. 3. & q. 48. art. 3. Godoy in 3.p. tract. 1. disp. 5. §. 1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 2. art. 2. Gonetus tom. 4. tract. 1. disp. 4. art. 4. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 2. dub. 3. Palacios in 4. dist. 15. disp. 2. Medina 3.p. q. 1. art. 2. Nicolai in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. & seqq.

37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 19. q. univ. & in 4. dist. 15. q. 1. Maffrius tom. 3. disp. 4. q. 4. art. 1. §. 3. Sendin tract. 6. controv. 5. sect. 2. §. 1. & seqq. Boyvin 2.p. cap. 2. q. 5. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 3. q. 4. Delgadillo 2. p. cap. 9. difficul. 2. dub. 11. Castillo in 3. disp. 3. q. 4. Rada 3.p. controv. 13. art. 3. Herinex p. 4. disp. 2. q. 4. §. 5. Vega in Trident. lib. 7. cap. 8. Felix de incarn. cap. 3. difficul. 4. Aquila in 3. dist. 19. & 20. q. 1. art. 1. & seqq.

38. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3.p. disp. 4. sect. 1. & 6. Vazq. 1.p. disp. 65. & 186. & 1. 2. disp. 223. Amicus tom. 6. disp. 6. sect. 7. Aranda lib. 4. disp. 4. sect. 1. & 2. Ripalda disp. 83. sect. 1. Muniela disp. 17. sect. 8. Aldrete controv. 4. disp. 12. sect. 1. Lugo disp. 4. sect. 1. & seqq. Bernal disp. 67. sect. 1. & seqq. Mart. Perez disp. 4. sect. 1. & 8. Rhodès tract. 7. disp. 1. q. 3. sect. 5. Peñafiel tom. 4. disp. 4. sect. 9. Carleton tom. 2. disp. 44. sect. 4. Anton. Perez tract. 5. disp. 6. cap. 1. & seqq. Thyrsus tom. 3. disp. 18. 19. & 20.

39. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 20. q. 5. art. 1. Alenf. 3.p. q. 18. memb. 5. art. 2. Gabriel in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 11. q. 7. Estius in 3. dist. 19. & 20. §. 1. & seqq. Baud. tract. 1. q. 20. art. 1. & seqq. Aureolus in 3. dist. 19. q. 1. & seqq.

40. Quæstio 2. An Christus Dominus sit Mediator inter Deum, & hominem? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3.p. q. 26. art. 2. & in 3. dist. 19. q. 1. art. 4. Chalvet tom. 9. lib. 1. q. 8. cap. 1. Camerarius tom. 3. q. 26. art. 1. Nicolai in 3. dist. 19. q. 1. art. 9. Cayetan. 3.p. q. 26. art. 2. & seqq.

41. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 3. q. 1. num. 4. & seqq.

Cavellus in Schol. in 3. dist. 3. q. 1. Boyvin 2. p. cap. 11. q. 3. Delgadillo p. 2. cap. 9. difficult. 6. dub. 7. Aquila in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. & seqq. Castilent. in Polyantb. Seraph. verb. Satisfactio, num. 4. & seqq.

42. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 2. disp. 2. sect. 5. Vazquez disp. 83. cap. 1. Rhodès tract. 7. disp. 4. q. 2. sect. 4. §. 1. Peñafiel tom. 4. disp. 24. sect. 2. Carleton tom. 2. disp. 59. sect. 3. Muniella disp. 12. sect. 2. Aranda lib. 5. disp. 6. sect. 2. Martinon disp. 15. sect. 5. Lugo disp. 29. sect. 4.

43. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 19. art. 2. q. 2. Alenf. 3. p. q. 18. memb. 6. art. 2. §. 3. Gabriel in 3. dist. 19. q. 1. dub. 4. Baudun. tract. 1. q. 26. art. vnic. Eultach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 3. Bonaspei tom. 2. tract. 3. disp. 16. dub. 1. Estius in 3. dist. 19. §. 6. Boverius lib. 2. examin. 1. art. 111.

44. Questio 3. An meritum passionis Christi Domini fuerit simpliciter infinitum? De quò, *hic dist. 18. q. 5.*

45. Questio 4. An pura creatura possit de potentiâ absolutâ condignè satisfacere pro peccato proprio, & alieno? De quò, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 3.*

46. Questio 5. An prædestinatio nostra fuerit ex meritis Christi Domini? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 4.*

47. Questio 6. An per mortem, & passionem Christi Domini sumus liberi à diaboli potestate? De quò, *hic dist. 18. q. 4.*

48. Questio 7. An Filius sit Redemptor, vel etiam Pater, & Spiritus Sanctus? De quò, *hic dist. 1. q. 13.*

49. Questio 8. An ad iustificationem aliquæ requirantur dispositiones; & utrùm à Christi Domini passione proveniant? De quò, *tom. 1. dist. 17. q. 8.*

50. Questio 9. An gratia sit donum creatum à Spiritu Sancto distinctum? De quò, *tom. 1. dist. 14. q. 2.*

51. Questio 10. An Christus Dominus secundum humanitatem, aut divinitatem sit Mediator inter Deum, & hominem? De quò, *hic q. 2.*

DE POSSIBILITATE ALTERIVS
Redemptionis modi.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ
Synopsis.

*Quamquam humana salus alio pacto esse valeat,
E nihilo quod enim cuncta creavit, idem.
Omnia longè alter potuit, modus haud tamen ullus,
Qui magè quam tua mors Christe quadraret, erat.*

Sic incipit : *Si verò queritur.*

Sic terminat : *Sed mala.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de passione Christi Domini, quantum ad nostram salubriter redemptionem, sive ad mali nostri remotionem spectat; sed in præsentî determinat de ipsius passionis congruentiâ, sive de alterius modi redemptionis possibilitate : ergo sat perbellè hæc distinctiones coherere videntur.

2. Consequentia probatur: Prius est statuere proprium ac determinatum humanæ redemptionis modum per Christi Domini passionem, quam de possibilitate alterius redemptionis modi disquirere; cum huius modi possibilitas necessariò alterius præsupponat existentiam: ergo non incongruè procedit Magister, dum de passionis Christi Domini congruentiâ, sive de possibilitate alterius redemptionis modi in præsentî determinat, postquam in antecedenti de ipsius Christi Domini passione, in quantum ad nostram redemptionem, sive mali nostri remotionem spectat, egerat distinctione.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expendit Magister, quòd et si hominem redimere potuisset à peccato Deus per suam omnipotentiam; tamen magis congruum videtur, eum per Christi Domini liberare mortem. In secundâ verò declarat, causam efficientem passionis Christi Domini, no-

straque redemptionis esse ipsum Christum Dominum, tametsi aliquomodo adscribatur Iudæis. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit modum, quo Iudæi occidendo Christum, bonum, & malum fecerint respectu diverforum.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis indagine, en primum theoremata: *Quamquam alio possibili modo potuerit Deus redimere hominem; tamen nullus alius infirmitati nostræ sananda fuit convenientior, quam Christi Domini passio.* Quod efficaciter probat Magister in litterâ ex cuiusdam subtilis quæsitæ sedulâ discussione.

5. Hunc in modum investigat Magister in litterâ textus: *An alio possibili modo potuerit Deus liberare hominem, quam per Christi Domini mortem?* Ex respondet affirmativè Magister, tametsi hic modus, quo genus redemit humanum, fuerit inter cunctos alios congruentior, & aptior. Primam quæsitæ partem unicâ suadet ratione Magister; secundam verò, duplici statuit.

6. Sic primam thesîs promovet partem Magister: Potestati infinitæ Dei cuncta subiacent, quæ non videntur contradictionem involvere; sed quòd Deus potuerit genus redimere humanum per aliû modum, quam per mortem Christi Domini, nullam videtur contradictionem involvere: igitur alio possibili modo potuit Deus liberare hominem, quam per Christi Domini mortem.

7. Secundam similiter ostendit partem Magister. Primò, ob nostræ necessitatis, utilitatique medium: Ex quo Deus genus liberavit humanum per Christi Domini mortem, mens nostra magis in Deû dirigitur, & ad ipsius amorem magis excitatur sed si per alium possibilem modum Deus liberasset hominem, quam per Christi Domini mortem, iam mens nostra non posset ita in Deum dirigi, & ad ipsius amorem excitari: ac modò dirigitur, & excitatur: ergo quia modus redemptionis humani generis per mortem Christi operatus, reverâ inter omnes debet centeri convenientior, & aptior, attentâ necessitate, & utilitate humanâ.

8. Secundò, etiam ex motivo iustitiæ divinæ id ipsum ampliùs ostendit Magister: Quia per mortem Christi Domini debellatur diabolus iustitia, non potentiâ; sed diabolus debellare iustitiâ, & non potentia, est modus congruentior, & aptior liberandi hominem à diaboli potestate: ergo. Minorem probat Magister: Homo ratione peccati, quodam iustitiæ genere in diaboli potestatem est mancipatus: ergo opus fuit Christi Domini morte, ut per iustam ipsius compensationem, abrasum maneret ius illud acquisitum à diabolo in

hominem per peccatum : ergo si per Christi Domini mortem solventem debita peccati debellatur diabolus iustitiâ, & non potentiâ, hic erit redemptionis generis humani convenientior modus.

9. Sed inquires primò cum Magistro in litterâ : *Qualiter Christus Dominus non potentiâ, sed iustitiâ de ipsius diaboli furenti manu liberaverit hominem?* Et respondet Magister in textu eius assignando rationem, videlicet, quòd cum diabolus totis nixibus invigilasset Christum Dominum occidi, in quo nulla mortis causa reperta fuit, idèò æquum fuit, ut potestatem usurpatam in omnes fideles iure amisisset diabolus : ergo non potentiâ, sed iustitiâ, sive per Christi Domini mortem, Deus dæmonem subiugavit, & ab ipsius horridâ manu hominem liberavit.

10. Quod sic suadere tentat Magister : Et si diabolus potuerit à Deo per potentiâ debellari, èd quòd eius infinitæ potestati cuncta subiaceant, magis fuit congruum, ut per iustitiâm vinceretur : ergo. Antecedens clarè ostendit Magister in litterâ : Quia diabolus vitio perversitatis suæ amator est potentiæ, & desertor oppugnationis iustitiæ, in quo homines magis eum æmulari conantur : ergo congruentissimum fuit, quòd diabolum Deus non potentiâ debellaret, hominemque ab ipsius atroci liberaret manu, sed iustitiâ, ut sic homo eum disceret imitari.

11. Inquires secundo cum Magistro in litterâ : *An alicui iniuria foret illata, si Deus per potentiâ, & non iustitiâ, humanum genus de diaboli potestate eripuisset?* Cui respondet negativè Magister. Primò : Quia Deus postposuit quòd potuit, ut prius ageret quòd oportuit. Iustitiâ ergò humilitatis hominem liberavit, quem solâ potentiâ suâ æquissimè liberare potuit, sed ex eo quòd sic Deus potentiâ suâ vellet subiugare diabolum, hominemque à sevâ eius potestate eripere, nulli in hoc iniuriam incuteret : ergo.

12. Secundo : solo suæ divinæ voluntatis nutu potuisset Deus, si vellet, hominem liberare à dirâ diaboli captivitate, absque vllò iuris dispendio; cum in manu eius univèrsa consistant : ergo quanvis iustitiâ, & non potentiâ actû eum liberaverit Christus, potuit tamen iure æquissimo potentiâ redimere, quin alicui iniuria foret illata.

13. Tertiò : Quia non solùm homo redimendus ; verùm & diabolus ipsam captivum tenens, sub Dei univèrsali ditione erant constituti ; sed ex eo quòd sic homo redimendus, quàm diabolus ipsum captivum tenens, sint sub Dei potestate, valuit absque vllâ iuris

dæmonis laſione, hominem potentiâ ſuâ redimere, & ab eius crudeli liberare manu: ergo.

14. Sed oppones in præfatam Magiſtri doctrinam: Deus non potentiâ, ſed iuſtitia, ſivè per Chriſti Domini mortem genus redemit humanum, etſi potentiâ illud liberare potuerit, quin vlli in hoc iniuriam inferret: ergo hæc Magiſtri meditatâ doctrinâ, poſſet Deus aliquid per iuſtitiam operari, & non per potentiâ; & è con- verſo, plura efficere per potentiâ, & non per iuſtitiam; ſed Deus æquabiliter eſt ſummè iuſtus, & potens: ergo Magiſtri doctrina plu- rimùm ſuper his à veritate diſcordat.

15. Reſpondetur, Magiſtrum hîc catholicam ſuppeditaſſe do- ctrinam. Quia, etſi Deus iuſtitia, & non potentiâ liberaverit homi- nem ab efferâ dæmonis manu, potuiſſetque, ſi vellet, potentiâ eum redimere, nunquam Magiſter iuſtitiam à potentiâ ſeparat, ita, vt vna ſine aliâ valeat in operationibus divinis eſſe; cùm Deus in ope- rando ſit potens, ac iuſtus; ſed ſolùm in litterâ expendere tentat, quòd ſunt Dei opera, in quibus per excellentiam manifeſtatur iuſti- tia, & non potentiâ; & alia è contra, in quibus ſpecialiter elucet potentiâ, & non iuſtitia. Vndè in generis humani mirabili redemp- tione plus iuſtitia, quàm potentiâ apparet, etſi utrâque Deus indi- viſè operetur. Et hæc de primâ diſtinctionis parte ſufficiant.

16. PRO SECVNDÆ verò diſtinctionis partis enucleatione, en ſecundum theoremata: *Paſſio Chriſti Domini fuit opus Dei, & Iudæo- rum, quamquàm aliter; conſequenter redemptionis noſtræ efficiens cauſa.* Quòd non ſolùm declarat Magiſter in litterâ, ſed aliquibus congruen- tijs illuſtrat, & Patrum testimonijs pro dignitate confirmat.

17. Primò probat, expenditque ſecundam theorematis partem Magiſter: Chriſtus Dominus hoſtiam, & pretium noſtræ reconcilia- tionis, ſeiſum pro omnibus in crucis arâ obtulit per paſſionem ſuam; ſed hoc eſt eſſe cauſam, & authorem efficientem noſtræ red- emptionis: igitur paſſio Chriſti Domini fuit cauſa efficiens noſtræ reconciliationis.

18. Vndè attentâ mente recollit, hîcque in litterâ obſervat Ma- giſter, quòd etſi Chriſti Domini paſſio ſit cauſa efficiens noſtræ red- emptionis; hoc tamen nudo exploratoque diſcrimine, quippè, quòd ſit cauſa efficiens redemptionis humanæ pro omnibus quidem ſuffi- cienter; efficaciter verò pro electis, & prædeſtinatis tantùm, quia hi ſolummodò, & non omnes, finalem paſſionis Chriſti Domini fru- ſtrum reportant: ergo Chriſti Domini paſſio ſemper fuit cauſa, & author efficiens reconciliationis humanæ.

19. Secundò pergit Magister in litterâ, quadruplicatum traditionis Christi Domini per mortem, & passionem suam indigitans ex factâ paginâ modum. Primò, à Patre; secundò, à seipso; tertio, à Iudâ, & à Iudæis quartò. Diversimodè tamen ab his dicitur traditus; nam ipse se tradidit, quia spontè ad passionem accessit: Pater eum tradidit, quia voluntate Patris, imò totius Trinitatis passus est: Iudas tradidit prodendo, & Iudæi infligendo; ac proindè à Patre, & à seipso ex charitate; à Iudâ autem, & à Iudæis ex malitiâ, & iniquitate fuit Christus Dominus traditus.

20. Quod ex Augustino super Epist. 1. Ioan. hom. 7. cap. 4. ap-primè confirmat Magister: *Facta est traditio à Patre, facta est traditio à Filio, facta est traditio à Iudâ; una res facta est. Quid ergo discernit inter eos? Quia hoc fecit Pater, & Filius in charitate; Iudas verò in proditione. In eodem facto invenimus Deum, quo Iudam. Deum benedicimus, Iudam detestamur: ergo etsi Christus Dominus fuerit traditus à Patre, à seipso, à Iudâ, & à Iudæis; nihilominùs à Patre, & à seipso fuit traditus ex charitate, à Iudâ verò, & à Iudæis ex malitiâ, & proditione.*

21. Sed dices: Christus Dominus fuit traditus à Patre in mortem: ergo ideò Iudæi Christum Dominum occiderunt, quia eum in mortem tradidit Pater: ergo non solum videtur autoritate Dei Christum Dominum occidisse Iudæos; verùm & Deum ipsam participem fuisse illius homicidij; sed hoc non licet proferre: ergo nec quod Pater suum tradiderit Filium in mortem.

22. Respondetur primò negando primam Consequentiam, & alias inde subtilatas. Quia traditio Christi Domini in mortem, etsi facta sit à Patre, à seipso, & à Iudâ, diversimodè tamen; quia à Patre, & à seipso fuit facta ex charitate; à Iudâ verò, ex malitiâ, & proditione; sicque Iudæi nec Dei autoritate occiderunt Christum Dominum; nec Deus ipse venit in illius homicidij partem.

23. Respondetur secundò negando iterùm Consequentiam, si- mulque assignando diversum tradendi modum Christum Dominum in mortem à Patre, à seipso, & à Iudæis. Pater enim Filium suum solum in mortem tradidit, & ille seipsum tradidit, quia voluit, ut ipse sustineret mortem, & ille eam voluntariè sustinuit; non verò fecit, ut alij incuterent ei mortem; at Iudas, & Iudæi conamine toto curarunt, ut alij inferrent ei mortem; ideòque traditio filij à Patre, & à seipso dignis celebratur honoribus; traditio autem à Iudâ, & Iudæis maxime criminatur; ac proindè argumenti acies in vanum abire videtur.

24. Tertio subdit Magister in litterâ textûs, passionem Christi Domini fuisse opus Dei, & Iudæorum, quamquàm aliter, quibus prima probatur ac dilucidatur theoremaris pars. Fuit ergò Christi Domini passio opus Dei, quia eo authore, sive eo volente, est operata. Fuit etiam Iudæorum opus, qui ex eorum actibus est assequuta: igitur Christi Domini passio verè Dei, & Iudæorum fuit opus.

25. Etiam id ipsam firmat Augustinus in litterâ, lib. de Trinitate, cap. 14. sic ad Optatum contra Felicianum scribens: *Nemo aufert animam Christi ab eo, quia potestatem habet ponendi, & sumendi eam: Ecce habes authorem operis. Ponit animam: Ecce habes opus auctoris:* ergo idèò Christi Domini passio fuit opus Dei, quia eo authore, seu volente, est operata; & fuit etiam Iudæ Iudæorumque opus, quia eorum actibus provenit. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

26. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis declaratione, en tertium theorema: *Etsi Iudæi Christum occidendo, quantum ad opus operatum, bonum fecerint; at habito respectu ad operantium intentionem, pessimum egerunt facinus.* Hoc etenim probat theorema Magister quadam ex solutione dubij, quod in distinctionis calce proponit.

27. His præficit quæsitum verbis Magister: *Si Christi Domini passio est opus Dei, & idèò bonum, eamque operati sunt Iudas, & Iudæi, queritur, an concedendum sit, eos ibi bonum operatos esse?* Et respondet sub distinctione Magister, quòd habito respectu ad opus operatum, nempe, ad ipsam Christi Domini passionem, bonum Iudas, & Iudæi operati fuere; habito verò respectu ad opus operans, sive ad malam operantium intentionem, malum egerunt.

28. Sic roborat solutionem dubij Magister ex Augustino in Psalm 93. dicente: *Et fuit actus Iudæ, & Iudæorum malus, & actus Christi, vel Patris bonus; opus Christi, & Patris bonum, quia bona Patris, & Filij voluntas; malum fuit opus Iudæ, & Iudæorum, quia mala fuit intentio: ergo etsi opus operatum à Iudæ, & à Iudæis fuerit bonum, passio quippè Christi Domini; tamen opus operans, sive mala operantium intentio fuit malum.* Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

29. **Q**VÆSTIO I. An congruum, aut necessarium fuerit humanam naturam à Deo reparari? Ex Angelicâ Scholâ Divus Tho

Thomas 3.p. q.46. art.1. Gonetus tom.4. tract. 1. disp. 3. art. 1. Camerarius tom.3. q.1. art.1. & 2. Nicolai in 3. dist.1. q.1. art.2. Philipp. à SS. Trinit. tom.4. tract.1. disp.1. dub. 3. & 4. Cayetan. 3.p. q.1. art.2. Medina in 3. dist.1. q.1. art.1. & seqq.

30. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 20. q. vnic. Mayron in 3. dist.20. q.2. Cavellus in Schol. in 3. dist.20. q.vnic. Boyvin 2. p. cap.1. q.3. Durand tom.3. tract.4. disp.2. q.1. Delgadillo 1. p. cap. 1. difficult. 3. dub.1. & 2. & difficult.3. dub.1. & seqq. Felix de incarn.cap.1. difficult.7. & 8. Herincx 4.p. disp.1. q.9. Aquila in 3. dist.20. q.1.

31. Ex Scholâ Eximia Suarez 3 p. tom.1. disp. 4. sect. 1. & seqq. Amicus tom.6. disp.3. sect.1. & disp.7. sect.7. Carleton tom.2. disp.42. sect.1. & 2. Anton.Perez tract.5. disp.4. cap.1. & seqq. Rhodes tract.7. disp.1. q.2. sect.1. & seqq. Peñafiel tom.4. disp.2. sect.1. & seqq. Thyrsus tom.3. disp.12. sect.1. Aldrete de incarn. controv. 1. disp. 1. sect. 1. Muniessa disp.7. sect.1. & seqq. Aranda lib.2. disp.3. sect.2. §.1.

32. Ex alijs D.Bonaventura in 3. dist.20. art.1. q. 1. Alens. 3 p. q.1. memb.3. & 4. Gabriel in 3. dist.20. q. 1. Aureolus in 3. dist. 20. q.1. art.1. Caspens. tom.2. tract.20. disp.1. sect.3. & 4. Bonafpei tom.2. tract.3. disp.1. dub.2. Baudun. tract. 1. q. 1. art.1. dub.2. Estius in 3. dist.20. §.1. Durandus in 3. dist.20. q.1. & seqq.

33. Quæstio 2. An Christus Dominus fuerit verus Sacerdos, & hostia pro peccato? Ex Angelicâ Scholâ D.Thomas 3.p.q.22 art.1. & 2. Prudentius tract.vlt. disp.2. dub.2. sect.1. Chalvet tom.9. lib.1. q.8. cap.2. Gonetus tom.4. tract.1. disp.22. art.3. Camerarius tom.3. q.22. art.2. Capifuccus tom.1. controv.18. Nicolai in 3. dist.20. q.2. Cayetan. 3.p. q.22. art.1. & 2.

34. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist.9. q.vnic. Macedo de Clavib. lib.4. cap.1. d. ssert. de Sacerd. Boyvin p.2. cap. 11. q. 20 Durand tom.3. tract.4. disp.18. q.vnic. Delgadillo p.2. cap.11. difficult.1. dub.1. & seqq. Felix de incarn. cap.18. difficult.5. Herincx p.4. disp.2. q.6. Aquila in 3. dist.20. q.2. Gallus in 3. dist.20. q.1. cap.1. & seqq.

35. Ex Scholâ Eximia Suarez in 3. disp. 16. sect. 1. Vazq. 3. p. tom.1. disp.83. cap. 1. Lugo in 3. p. tom. 1. disp. 29 sect. 1. Peñafiel tom.4. disp.24. sect.3. Rhodes tract.7. disp.4. q.2. sect.3. §.2. Carleton tom.2. disp.59. sect.3. Muniessa disp.12. sect.1. Beccan. tom.4. cap.22. §.2. & 3. Aranda lib.5. disp.6. sect.3. Bernal disp.60. sect.1. §.3. Valentia tom.4. disp.1. q.22. punct 4. Mart.Perez disp.35. sect.1. & seqq.

36. Ex alijs D.Bonaventura in 3. dist.22. q.1. art.vnic. Bonafpei tom.2. tract.3. disp.16. dub.2. Caspens. tom.2. tract.20. d. sp. 13. sect. vnic.

unic. Baudou. tract. 1. q. 22. art. 1. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 12. q. 4. Estius in 3. dist. 20. §. 1. & seqq.

37. Quæstio 3. An aliqua pura creatura potuerit satisfacere pro toto genere humano? De quò, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 3.*

38. Quæstio 4. An pura creatura possit satisfacere condignè pro peccato proprio, & alieno? De quò, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 3.*

39. Quæstio 5. An Deus potuerit genus humanum alio reparare modo? De quò, *tom. 4. part. 1. dist. 15. q. 3.*

40. Quæstio 6. An satisfactio Christi Domini fuerit de toto rigore iustitiæ? De quò, *hic dist. 19. q. 1.*

41. Quæstio 7. An Adamo non peccante Verbum divinum veniret? De quò, *tom. 1. dist. 48. q. 3.*

42. Quæstio 8. An Christus Dominus fuerit nostræ prædestinationis causa? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 4.*

DE HIS, QUÆ AD MORTEM CHRISTI Domini pertinent.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ PRIMÆ

Synopsis.

*Quantquam mors animam Christi de corpore traxit.
Ipsa tamen deitas mansit utriusque comes.*

Sic incipit: *Post prædicta.*

Sic terminat: *Semper manebat.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de Christi Domini sacratissimâ passione, sive de alterius modi redemptionis humani generis possibilitate; sed in præsentî determinat de pretiosissimâ ipsius Christi Domini morte per animæ à corpore separationem: ergo rectâ, ac formali connectione pollent.

2. Consequentia probatur: Mors pretiosissima Christi Domini per animæ à corpore separationem operata, necessariò præsupponit

facratissimam ipsius passionem: ergo valdè congruum fuit propriæ ac formali Magistri scribendi methodo, vt postquam in antecedenti distinctione egit de sacratissimâ Christi Domini passione, sive de alterius modi humani generis redemptionis possibilitate, de ipsius pretiosissimâ morte per animâ à corpore separationem impræsentiarum institueret sermonem.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ subtiliter expendit Magister, qualiter in Christi Domini morte, eius humanitas non fuerit à deitate soluta, sed tantummodò per subtractionem protectionis defensionisque foris destituta. In secundâ verò referre intendit, quomodò Christus Dominus verè mori dicebatur, eò quòd anima eius à corpore suo realiter discegebat. In tertiâ autem, & ultimâ solèter declarat, quomodò possit verè enunciari, quòd Christus Dominus sit mortuus, & non mortuus.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis clarâ intelligentiâ, primum ponitur placitum: *In pretiosissimâ Christi Domini morte, eius humanitas à divinitate perperam divisa arbutatur, sed solum per subtractionem protectionis defensionisque foris derelicta.* Pro cuius probatione, quoddam in litterâ adducit dubium Magister, & ipsius affectatâ solutione, illud fulcire vndique pertentat.

5. Hæsitat ergò Magister in litterâ: *An in morte Christi Domini eius anima, aut caro fuerit à verbo, divino separata?* Sed antequàm suum discapedinet nutum Magister, refert, & refellit aliquorum iudicium assententium, quòd sicut Christi Domini anima in eius morte fuit à corpore divisa; ita, & in ipsius morte divinitas à corpore fuit separata.

6. Hoc utique delirium aliquibus rationibus, & Patrum autoritatibus suadere tentant in litterâ. Primò probant huius opinionis Assecta philosophicâ ratione: Corpus Christi Domini fuit divinitati unitum mediante eius rationali animâ; sed dum aliqua vivunt per medium, eliminato medio, consequenter & vniò evertitur: ergo si in Christi Domini morte anima fuit separata à corpore, necessariò & divinitatem ipsam à corpore separatam fateri debemus.

7. Secundò, in suæ opinionis præsidium advocant Ambrosium expendentem illud: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me,* in cap. 23. Lucae, vbi his expressis alloquitur verbis: *Clamat homo separatione divinitatis moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit; utique mors ibi esse non poterat, nisi vitâ discederet; quia vitâ divinitas est: ergo quia Christus Dominus non poterat mori, nisi divinitas à corpore discederet;*

sed Christus Dominus verè fuit mortuus: ergò divinitas à corpore Christi Domini in eius morte verè discessit.

8. Tamen Magister his obiectionibus exactam in litterâ solutionem parat. Ad rationem philosophicam primò responder, quasi ipsam retorquendo, videlicet, quòd si desertio illa, quam Christus Dominus in arà crucis deplanxit, intelligatur operata per sepatationem divinitatis à corpore, vel animâ, quasi facta sit compagis dissolutio, vt ingenti tentamine hæc intendit opinio, reverà sequeretur, Christus Dominum adhuc in crucis arà degentem, solum fuisse hominem, & non Deum; cum adhuc vivens in cruce clamaret se derelictum: ergò cum assumptum sit falsum, etiã instantia erit futilis, quæ in se ipsam collisore videtur.

9. Ad Divi Ambrosij auctoritatem respondet secundo Magister, ipsam in catholico expendendo sensu, nempe, Deum Patrem Christum Dominum deservisse, quia potestati, & dominio persequentium eum exposuit ad tempus. Dicitur enim divinitas ab humanitate sepatata fuisse, quia subtraxit protectionem, sed non solvit unionem. Separavit se foris, vt non adesset ad defensionem, sed non inus defuit ad unionem. Si enim ibi non cohibuisset potentiam, sed exercuisset, non mereretur Christus. Mortuus ergò fuit Christus Dominus divinitate recedente, id est, effectum potentie in defendendo non exhibente. Hactenus Magister expendens Ambrosij verba.

10. Rursus Magister hanc Ambrosij expositionem confirmat per illam Veteris Testamenti vulgatam figuram de duobus hircis, quarum vno immolato, altero in solitudine mittebatur, vt legitur in Levitico cap. 16. sed per duos illos hircos geminæ in Christo Domino intelliguntur nature, quarum vna, humana scilicet, passionis tempore, immolata fuit; altera verò, divina quippè, in solitudinem, id est, in Cælum abijt, non locum mutans, nec unionem dissolvens, sed quodam modo virtutem cohibens, & defensionem subtrahens, vt possent impij consummare passionem igitur divinitas à corpore, vel animâ Christi Domini nunquam realiter fuit sepatata.

11. Tertio, aliam Athanasij auctoritatem inducunt præfate opinionis fautores probantes, divinitatem in morte Christi Domini ab eo recessisse secundum carnem. Sic libro, de beati Filij Dei, cap. 3. alloquitur Athanasius: *Maledictus, qui totum hominem, quem assumpsit Dei Filius, denudè assumptum, tertiâ die à mortuis resurrexisse non confitetur. Fiet, fiat. Si denudè assumptus est homo, in resurrectione, quem assumpsit in incarnatione, deposuit ergò eum in morte: ergò sepatata fuit divinitas in*

morte

morte ab humanitate: ergo omni eliminatâ hesitatione, secundum Athanasium, divinitas in Christi Domini morte ab eius humanitate recessit.

12. Respondet ad Athanasium Magister in litterâ, ipsum contra quosdam hæreticos, qui Christi Domini resurrectionem, & animam denuò corpori unitam negabant, putantes morte detineri eam, qui solus inter mortuos liber est, appositam in textu scripsisse auctoritatem. Undè consentaneè his subiungit Magister in vberiorent instantiâ solutionem, quòd Filius Dei totum hominem in resurrectione denuò assumpsit, quia totum deposuerat in morte; & licèt divinitas in triduo mortis, nec ab animâ, nec à corpore fuerit separata; fuit tamen à toto homine divisa; idest, ab unione corporis, & animæ, sive à toto resultante ex ipsis partibus unitis, secundum varios in Scholis opinandi modos.

13. Tandem Magister suum super his calculum adhibuit in litterâ, videlicèt, in Christi Domini morte, nec animam, nec carnem fuisse à divino Verbo divisam. Quod nonnullis Patrum expressis testimonijs firmat. Primò ex Augustino tract. 47. in Ioan. dicente: *Mors ergò ait tempus carnem, & animam separavit; sed neutrum à Verbo divino: ergo quavis anima in morte Christi Domini à carne fuerit separata; neutrum tamen fuit à divino Verbo divisum.*

14. Secundò, id ipsum Augustinus iterùm confirmare videtur lib. de Unit. Trinit. cap. 14. his verbis contra Felicianum scribens: *Sic in sepulchro Christus carnem suam commortiendo non deseruit, sicut in vtero Virginis commascendo formavit. Mortuus est ergò non discedente vitâ, sicut passus est non pereunte potentiâ; sed ex quo mortuus est Christus Dominus non recedente vitâ, & in sepulchro carnem suam commortiendo non deserens, divinitas in eius morte non ab animâ, nec à corpore fuit divisa: ergo.*

15. Tertiò ex Ambrosio lib. de Incarn. Domin. sacram. cap. 5. sic egregiè totam exambiente rem: *Emisit Christus spiritum, non amisit; pendebat in cruce, & omnia commovebat. Sed unde emisit? Ex carne: Quòd emisit? Ad Patrem: ergo si Christus Dominus spiritum emisit ex carne, & non amisit, imò emisit ad Patrem; & pendens in cruce, omnia commovebat virtute divinitatis sibi unitæ, haud dubiè divinitas in ipsius morte, nec à carne, nec ab animâ fuit separata, etià caro per tempus fuerit dissoluta ab animâ.*

16. Sed oppones primò: In Christi Domini pretiosissimâ morte, reverà divisa fuisse, quæ in ipsius conceptione unita phisicè apparent;

sed divinitas in Christi Domini conceptione fuit vnita, tam animæ, quam carni: ergo in eius morte fuit ab ipsis separata.

17. Respondetur, quòd in Christi Domini morte, ea solùm extant diuisa, quæ in ipsius conceptione fuerunt vnita, naturali vnione; non verò illa, quæ supernâ compage copulata fuerunt; cunq; vnio hypostatica diuini Verbi ad carnem, & animam Christi Domini non fuerit naturalis, sed superna; hæc non fuit eversa, etsi naturalis fuerit euulsa.

18. Oppones secundò: Iuxta vulgata dialectica principia, everso priori, necesse est, vt evertatur posterius; sed vnio corporis ad animam est prior naturâ, quam vnio corporis ad diuinitatem; eò quòd prima sit naturalis, & secunda gratuita, & natura anteverrat gratiam: ergo dùm in Christi Domini morte anima fuit separata à corpore, necessariò & corpus fuit separatum à diuinitate.

19. Respondetur, hanc in Magistrum non premere instantiam; quia solùm ex eversione prioris evertitur posterius dependens essentialiter à priori, siuè necessitatis dependentiâ. Vnio enim hypostatica diuinitatis ad corpus, siuè corporis ad diuinitatem, etsi posterior naturâ vnione physicâ corporis ad animam, non dependet essentialiter, siuè necessitatis dependentiâ ab vnione partium; ideòque, etsi hæc in Christi Domini morte penitus fuerit eversa, diuina tamen semper superstes permansit ad corpus, & animam. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

20. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis discussione, secundum ponitur placitum: *Filius Dei passus dicitur & mortuus, propter proprietatem vtriusque naturæ communicationem in vnitatem personæ.* Quod rationibus Patrumque autoritatibus sedulò pertentat in litterâ suadere Magister.

21. Primò: Quemadmodùm homo dicitur mortuus, quia caro est mortua; ita Deus dicitur mortuus, quia homo est mortuus: Similiter dicitur Deus passus propter carnem, & animam diuinitati vnitam, quia vtraque dolorem sensit, etsi diuinitas omnis doloris exors extirerit: ergo itate vtriusque naturæ proprietatum communicatione in vnitatem personæ, poterit Filius Dei dici mortuus, & passus.

22. Secundò ex M.P. Augustino in Psal. 130. sic Magistri assumptum iteratis testimonijs apprimè instaurante: *Per illud ergò quòd homo erat, mortuus est Deus; & per illud quòd Deus erat homo, excitatus est, & resurrexit, & ascendit in Cælum:* ergo si per illud quòd homo erat Christus, mortuus est Deus; & per illud quòd Deus erat homo, exci-

tatus est, resurrexit, & ascendit in Cælum, bene ac profundè idiomatum cõmunicatione meditatâ, poterit quis Filium Dei mortuum, & passum catholicè evulgare,

23. Tertiò, hunc in modum prosequitur Augustinus: *Quicquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quoniam Deus erat homo. Quomodo non potest dicere te passum iniuriam, si vestis tua conscindatur, quanvis vestis tua non sit tu? multò magis ergò quicquid patitur caro vnita Verbo, debet dici Deus pati, licet Verbum nec mori, nec corrumpi, nec mutari potuerit: ergo quanvis Verbum diuinum nec mori, nec corrumpi, nec mutari potuerit, non tamen implicat, quòd Filius Dei dicatur mortuus, & passus, propter proprietatum vtriusque naturæ cõmunicationem in vnitate personæ.*

24. Quartò: Divus Ambrosius lib. de incarn. Domin. sacram. cap. 5. hæc ad rem proferebat verba: *Quod Verbi caro patiebatur, manens in carne Verbum in se pro corporis assumptione referebat, vt pati diceretur, quia caro patiebatur, sicut scriptum est, Christo in carne passus: igitur hic loquendi modus, quòd Filius Dei sit mortuus, & passus, suppositâ idiomatum cõmunicatione, non quia mortem senserit in quantum Deus, sed quia caro ei vnita mortua est, fatis tritus ac vtitatus apud Patres habetur.*

25. Sed oppones in litterâ Augustinum serm. 3. feriæ 5. cœnæ Domin. tom. 10. dicentem: *Si quis dixerit atque crediderit Filium Dei Deum passum, anathema sit; sed cui non valet adscribi passio, non valet adscribi mors: ergo si non est dicendum atque credendum Filium Dei Deum passum; neque erit credendum, aut dicendum, Filium Dei Deum fuisse mortuum, & passum.*

26. Respondet Magister in litterâ, Augustinum non intendisse eliminare passionem, & mortem à personâ Verbi simpliciter, sed secundùm diuinam naturam. Et idèd sui dicti expendens Augustinus causam, subdit eodem in loco: *Si quis dixerit, quòd in passione dolorem sentiebat Filius Dei Deus, & non caro tantum cum animâ, quam sibi acceperat, anathema sit.* Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

27. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis explanatione, tertium statuitur placitum: *Christus Dominus, sive Filius Dei, verè passus, & non passus; mortuus, & non mortuus valet dici respectu diuersorum.* Hoc vtiq; expendit Magister in litterâ, & quadâm Ambrosij autoritate confirmat.

28. Primò sic detegit assumptum Magister: *Quòd enim dicatur, mortuus est Deus, & non mortuus; passus est Dei Filius, & non passus;*
passa

passa est secunda persona, & non passa; crucifixum est Verbum, & non crucifixum, &c. sane nihil novum inducit in fidelium mentes; quia secundum unam naturam est passus, & secundum alteram est impassibilis: ergo Filius Dei verè passus, & non passus; mortuus, & non mortuus poterit dici respectu diversorum.

29. Secundò probatur in litterâ intentum: Quia hic loquendi modus, non ex suo proprio cerebro, sed ex Ambrosio decerpit Magister, lib. de incarn. Domin. sacram. cap. 5. sic pro dignitate affante: *Idem ergò Christus patiebatur, & non patiebatur; moriebatur, & non moriebatur; sepeliebatur, & non sepeliebatur; resurgebat, & non resurgebat. Resurgebat secundum carnem, quæ mortua fuerat, non secundum Verbum, quod apud Deum semper manebat: ergo respectu diversorum verè poterit enunciari, quòd Filius Dei sit passus, & non passus; mortuus, & non mortuus: ergo cum Magistri doctrina expressè innitatur Divi Ambrosij testimonio, de Parisiensium censurâ parùm est hîc curandum.*

30. Sed oppones: Iuxta regulas summulisticas, impossibile est simul, & semel duo contradictoriè opposita de eodem verificari subiecto; sed hæc sunt simul, & semel de eodem contradictoriè opposita subiecto: Christus patiebatur: Christus non patiebatur: ergo impossibile est, quòd de Christo Domino possint verificari: ac proinde Ambrosij, & Magistri doctrina falso nititur fundamento.

31. Respondetur pro Magistro, etiam penes summulisticum præscriptum, quòd nulla hîc deprehenditur contradictio; quia etsi opposita videantur respectu Christi Domini pati, & non pati; non tamen sunt secundum idem, quòd necessariò expostulat contradictio. Patiebatur enim Christus secundum naturam humanam, & non patiebatur secundum divinam. Undè dicimus cum Magistro, quòd præfata propositiones negativæ sunt veræ secundum divinam naturam; & affirmativæ etiam sunt veræ secundum naturam humanam. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sunt dicta.

QVÆSTIONES.

32. QVÆSTIO I. An in morte Christi Domini Anima fuerit separata à divinitate? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 50. art. 3. & in 3. dist. 21. art. 1. Cayetan. 3. p. q. 17. art. 2. Camerarius tom. 3. q. 50. art. 2. Nicolai in 3. dist. 21. q. 1. art. 2. Medina 3. p. q. 50. art. 2.

33. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 16. q. unic. & dist. 21. q. unic.

unic. Rada 3.p. controu. 14. art. 2. Aquila in 3. dist. 21. q. 1. Gallus in 3. dist. 21. q. 1. cap. 1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 21. q. unic.

34. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3.p. q. 51. art. 3. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 21. art. 1. q. 1. Alens. 3.p. q. 19. memb. 1. Estius in 3. dist. 21. §. 1. Campetus 1.p. tract. 3. art. 4. lect. 3. interrog. 3. Durandus in 3. dist. 21. q. 2.*

35. *Quæstio 2. An Corpus Christi Domini in triduo mortis inducit formam cadaveris? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3.p. q. 51. art. 3. & in 3. dist. 21. art. 5. Arnu tom. 5. q. 2. art. 1. Camerinus tom. 3. q. 50. art. 5. & q. 51. art. 3. Nicolai in 3. dist. 21. q. 1. art. 3.*

36. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 21. q. unic. Rada 3.p. controu. 14. art. 4. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. Cadaver, cap. 1. & seqq. Aquila in 3. dist. 21. q. 1. & 2. Gallus in 3. dist. 21. q. 1. cap. 1. & seqq.*

37. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3.p. q. 51. art. 3. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 21. art. 2. q. 2. Alens. 3.p. q. 19. & 20. memb. 1. Estius in 3. dist. 21. §. 1. & seqq. Campetus 1.p. tract. 3. art. 4. lect. 4. interrog. 2. Gabriel in 3. dist. 21. q. 1.*

38. *Quæstio 3. An quod Verbum divinum semel assumpsit, aliquando dimiserit? De quò, hic dist. 2. q. 8.*

39. *Quæstio 4. An in morte Christi Domini divinitas fuerit separata à corpore? De quò, hic q. 1. & dist. 2. q. 8.*

40. *Quæstio 5. An Deus verè dicatur mortuus, & passus per communicationem idiomatum? De quò, hic dist. 6. q. 3.*

41. *Quæstio 6. An inter Corpus, & Animam vna, aut duplex reperiatnr unio? De quò, tom. 2. dist. 1. q. 3.*

42. *Quæstio 7. An in triduo mortis totus sanguis assumptus à divino Verbo manserit ipsi vnitus? De quò, hic dist. 2. q. 6.*

43. *Quæstio 8. An Christus Dominus die dominicâ à mortuis resurrexit? De quò, hic q. 1. & 2.*



DE CONSEQUENTIBVS CHRISTI
Domini mortem.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ-SECUNDÆ

Synopsis.

*Non tibi verum hominem persuadeat ipse Magister,
Christum, sub tumuli colle fuisse sacri.*

Sic incipit : *Hic queritur.*

Sic terminat : *Vsque in cinerem.*

I. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illa egit Magister de pretiosissimâ Christi Domini morte, sive de ipsius animæ à corpore separatione; sed in præsentî determinat de quibusdam, quæ ex ipsâ consequuntur morte; & præsertim, an Christus Dominus in triduo mortis suæ permanferit homo: ergo à recto connexionis scopo hæc distinctiones non deviant.

2. Consequentia probatur: Si enim Magister postquam in superiori distinctione egit de Christi Domini pretiosissimâ morte, quæ in separatione animæ à corpore consistit; determinat in præsentî de his, quæ ex ipsâ consequuntur morte; & præsertim, an Christus Dominus in triduo suæ mortis; sive post separationem ipsius animæ à corpore extiterit homo, reverâ ipsum in rectum connexionis ordinem devenire videtur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ inquirît Magister, an Christus Dominus in triduo suæ mortis extiterit homo. In secundâ verò declarat, qualiter in limbo, etiamque in sepulchro tunc fuerit homo. In tertiâ autem, & ultimâ expendit parte, quomodo Christus Dominus ratione suæ divinæ personæ valeat dici de Cælo venisse, & esse ubique.

4. PRO PRIME igitur distinctionis partis dilucidatione, en primum theoremata: *Etsi in triduo suæ mortis Christus Dominus, secundum Magistrum, fuerit rationalis homo, non tamen mortalis, aut immortalis.*

Quod

Quod duntaxat probat Magister ex cuiusdam perdifficilis quasi ingeniosâ solutione. Tamen hic observandum venit; hanc Magistri resolutionem passim omnibus non arridere, & præsertim Parisiensibus, qui gravi ac severâ censurâ eam taxare moliantur.

5. Indagat ergo Magister in litterâ: *An Christus Dominus in triduo suæ mortis fuerit homo?* Et licet parti affirmanti faveat nixibus totis Magister; nihilominus primò negantem adducit, ipsiusque fundamenta fideliter proponit, at gutè examinat, eisque tandem peracutam adhibet solutionem.

6. Sit primùm oppositæ opinionis validum fundamentum, quod suggerit Magister in litterâ: *Christus Dominus in triduo illo mortis suæ verè fuit mortuus; sed homo mortuus non est verus homo: igitur Christus Dominus in illo triduo suæ mortis non fuit homo.*

7. Sit secundum fundamentum pro eadem opinione ab ipso Magistro adductum: *Si Christus Dominus in triduo suæ mortis foret homo, necessariò fuisset mortalis, vel immortalis; cum nullum possit inter ea meditari medium; sed in illo triduo mortis suæ Christus Dominus non fuit mortalis, quia iam erat verè mortuus; nec immortalis, quia solum post resurrectionem suam fore immortalitatis fuit perfusus: ergo Christus Dominus in triduo suæ mortis non fuit homo.* Hac sunt præcipua oppositæ sententiæ fundamenta.

8. Respondet modò ad primam rationem in oppositum Magister negando Minorem, & Consequentiam. Quia, etsi in triduo illo mortis Christi Domini facta fuerit divisio corporis, & animæ, ut cuius verè dicebatur mortuus; non tamen fuit facta compagis dissolutio divinitatis cum carne, & animâ, ratione cuius dicitur *Deus homo*: ergo stat benè, quòd Christus Dominus in illo triduo mortis suæ verè fuerit mortuus, & quòd simul fuerit verè rationalis homo.

9. Ad secundam similiter respondet instantiam Magister, videlicet, *Christum Dominum in illo triduo mortis suæ nec mortalem, nec immortalem fuisse, ut benè convincit instantia, & tamen verum fuisse hominem*, non diffitetur Magister, quia unionem divinitatis ad corpus, & animam non amisit; ac perindè homo ille nec erat mortalis, nec immortalis; quia quemadmodum mortuus, & vivus dicitur ab unionem corporis, & animæ inter se, deficiente, aut perseverante; ita etiam mortalis, aut immortalis.

Undè, in harum aliarumque similium instantiarum uberiorem solutionem, subdit Magister in litterâ, quòd licet huiusmodi

argutiæ in creaturis locum habeant, deficient tamen circa fidei substantiam, quia sacramentum fidei à philosophicis argumentis est liberum. Quod his expressis Ambrosij verbis ostendit lib. 1. de fide cap. 5. *Aufer argumenta, ubi fides quaeritur. In his gymnasijs suis iam dialectica taceat, piscatoribus creditur, non dialecticis:* ergo rectè ea coherere videntur, quòd Christus Dominus in triduo mortis suæ verè fuerit mortuus propter separationem animæ à corpore, & simul verus homo propter vnionem diuinitatis cum animâ, & corpore.

11. Iam Magister partem quæsitæ affirmantem, vti propriam, mordicè propugnat in litterâ, quippè, Christum Dominum in illo triduo mortis suæ verum fuisse hominem, etsi ipsum verè mortuum, iuxta fidem catholicam, fateri teneamur. Iterùm hic opportunum duximus observare, quòd in hac thesi ferè omnibus Theologis se dat in obvium Magister.

12. Primo, suam sic probat intentum Magister: Quavis in triduo Christi Domini mortis suæ anima fuerit à corpore separata, in quo verè ipse consistit mors; nihilominus vnio diuinitatis ad corpus, & animam non fuit diuisa; sed ex eo quòd vnio diuinitatis ad corpus, & animam in triduo mortis Christi Domini non fuerit diuisa, verè propter hanc vnionem erat homo: ergo in triduo mortis suæ Christus fuit verus homo, verâ ipse non obstante morte.

13. Secundò, aliâ vrgentiùs probat ratione assumptum Magister: Aliter dicitur Deus homo, vel homo Deus, quàm Antonius, vel Ioannes; quia Dei Filius dicitur homo solùm propter assumptionem animæ, & corporis; Antonius verò, vel Ioannes propter vnionem animæ, & corporis; sed assumptio corporis, & animæ facta à Verbo diuino, non fuit soluta in Christi Domini morte: ergo quavis Antonius, vel Ioannes desinant esse homo, deficiente in eorum morte vnione animæ, & corporis; Christus Dominus non poterit desinere esse homo in triduo suæ mortis, quia vnio diuinitatis ad corpus, & animam non defuit, propter quam dicebatur homo: ergo etsi verè Christus fuerit mortuus, verè etiam in triduo mortis fuit homo.

14. Tertiò, novum adijcit robar suæ opinioni Magister ex Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 13. dicente: *Talis erat susceptio illa, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum:* ergo si susceptio illa per mortem non defecit, sed ita Deus homini, & homo Deo verè, ac ante mortem erat vnitus, rectè colligitur, quòd etsi Christus fuerit verè mortuus propter animæ à corpore separationem, fuerit etiam homo propter diuinitatis vnionem cum animâ, & carne, quam in triduo mortis suæ non amisit.

Sed

15. Sed oppones: Christus Dominus in triduo suæ mortis fuit verè homo propter divinitatis vnionem cum corpore, & animâ: ergo non ita fuit homo, quemadmodum erat ante mortem, & post ipsius resurrectionem. Consequentia probatur: Divinitas ante Christi Domini mortem, & post ipsius resurrectionem, erat vnita corpori, & animæ phisicè vnitis, subsistentibusque vnica Verbi personalitate; sed in triduo mortis Christi Domini erat vnita corpori, & animæ phisicè non copulatis: igitur Christus Dominus in triduo mortis suæ non erat homo, eo modo, quo ante mortem, & post resurrectionem erat.

16. Respondet Magister in litterâ concedendo totum assumptum, nempe, quod Christus Dominus non fuerit homo in triduo mortis suæ, quemadmodum ante mortem, & post resurrectionem eluxit. Quid inde? Nihil sanè contra Magistri assertum. Nam homo constituitur ex corpore, & animâ subsistentibus vnica personalitate, & vnitis phisicè inter se, aut alicui tertio copulatis; & licet in triduo mortis anima, & caro Christi Domini non fuerint vnita phisicè inter se, erant tamen in vno copulata tertio, scilicet in Verbo, quod reverà sufficit, vt esset verus homo, etsi non eo modo, quo erat ante mortem, & post resurrectionem. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient.

17. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis enucleatione, en secundum theoremata: *Tameis Christus Dominus, in quantum homo, fuerit in sepulchro, & lybo; non tamen per hoc valet dici fuisse vbique, sicut in quantum Deus.* Etiam hoc placitum propugnat Magister alterius gravissimi dubij solutione.

18. Sic ambigit Magister in litterâ: *An Christus Dominus in triduo mortis suæ fuerit homo, vbique fuit?* Et responderet Magister, quod nec vbique erat, homo erat; nec modò vbique est, homo est. Quod vnica duntaxat probat ratione; & ex ipsâ quoddam deducit corollarium in firmum ac stabile theorematis subsidium.

19. Hanc in modum suadet intemum Magister: Christus Dominus, in quantum Deus est, vbique est; sed Christus Dominus, in quantum homo est, vbique non est: ergo quanvis, in quantum homo, fuerit in sepulchro, & lybo, non indè valet dici fuisse vbique, sicut in quantum Deus est. Minorem probat Magister: Nullibi est Christus Dominus, in quantum homo, nisi vbi Deus vnitus est hominis sed Deus vbique non est vnitus homini: ergo quia Christus Dominus, in quantum homo, vbique non est, sicut in quantum Deus est.

20. Modò ex hac ratione hocce deducit corollarium Magister; nempe, Christum Dominum fuisse hominem in sepulchro, & etiam in lyngo, quia utrobique fuit secundum humanitatem. In sepulchro quidem secundum carnem tantum; & in lyngo secundum animam tantum: ergo cum divinitas fuerit in illo triduo mortis Christi Domini unita carni in sepulchro, & in lyngo animæ, fuit Christus Dominus homo in sepulchro, etiamque in lyngo.

21. Sed dubitabis hîc cum Magistro: Si Christus Dominus fuit tantum unitus carni in sepulchro, & tantum animæ in lyngo, qualiter potuit dici homo in sepulchro, & lyngo, cum homo necessario corpore, & animâ constet? Et respondet Magister, iuxta suam opinionem, quòd etsi partes illæ constituentes hominem fuissent divisæ; nihilominus, quia eadem divinitas utrobique erat ipsis partibus unita, utrobique etiam dicebatur homo.

22. Oppones tamen cum Magistro in litterâ: Si Verbum divinum carnem tantum, vel animam tantum assumpisset, reverà homo non diceretur: ergo cum in triduo mortis Verbum divinum solum animæ fuerit unitum in lyngo, & solum carni in sepulchro, sequitur, quòd non fuerit utrobique homo.

23. Respondet Magister: Quòd etsi Christus Dominus verus homo non fuisset, si carnem, & animam non assumpisset; tamen, quia ex quo assumpsit, neutrum illorum à se deposuit; sed cum utroque etiam separato, eandem unionem indefinenter servavit, quam assumendo contraxit: Idèò non incongruè, ubicunque animæ in lyngo, vel carni in sepulchro, vel utriusque unitus est, ubi homo esse dicitur.

24. Hanc ingeniosam solutionem Magister ipse præmonit in litterâ quodam perspicuo Augustini testimonio, lib. de fide ad Petram cap. 2. dicente: *Quis non est derelictus in inferno? Christus; sed in animâ solâ. Quis iacuit in sepulchro? Christus; sed in carne solâ; quia in his singulis Christus est. Christum in his omnibus confitemur, & in singulis: ergo ex his evidenter ostenditur, quòd carni iacenti in sepulchro unitus erat Christus, sicut animæ in lyngo; ac proindè utrobique verè dicebatur homo.*

25. Demùm consentaneè his subdit Magister in litterâ: Quòd eodem mortis Christi Domini tempore totus erat Christus in lyngo, & totus in sepulchro, & ubicunque fuit, totus fuit, sed non totum. Vtramque partem pro dignitate expendit Magister; & primò sic primam ostendit: Persona Christi Domini, eò quòd fuerit æterna, & indivisibilis, non utriusque erat maior, vel minor copulatis inter se

animā, & corpore, quam separatis, sed Christi Domini persona, eodem ipsius Christi mortis tempore, erat unita carni in sepulchro, & animæ in limbo: ergo quia in eodem mortis Christi Domini tempore, totus erat Christus in limbo, & totus in sepulchro, & ubicunque fuit, totus fuit.

26. Audi modò Augustinum lib. de unit. Trinit. cap. 14, contra Felicianum scribentem, utrumque proprium Magistri absque ambagibus confirmantem: *Non dimisit Patrem Christus, cum venit in Virginem: Ubique totus, ubique perfectus. Uno ergo eodemque tempore totus erat in inferno, totus in Cælo: ergo.*

27. Secundam partem, nempe, quòd Christus Dominus utrobique non fuerit totum, etiam apprimè ostendit Magister in litterâ: Christus Dominus estò totus sit Deus, & totus homo, sed non totum; quia non solum est Deus, vel homo, sed potius Deus, & homo; idè, que non dicitur totum Deus. Et ratio Magistri est; quia totum ad naturam refertur; totus autem ad hypostasim, sive personam; sicut aliud, & aliquid ad naturam; alius verò, & aliquis ad personam referuntur: ergo cum in Christo Domino sit natura humana, & hæc non sit Deus, non possumus dicere Christum totum Deum; rectè autem proferre valemus, Christus est totus Deus, quia hæc personæ una est Deus.

28. Unde Divus Ioannes Damascenus lib. 3. de fide, cap. 3. sic egregiè Magistri pensum absolvit: *Totus Christus est Deus perfectus, non autem totum Deus est. Non enim solum Deus est, sed & homo; & totus homo perfectus; non autem totum homo: Non solum enim homo, sed & Deus. Totum enim nature est representativum: Totus autem hypostaseos; sicut aliud quidem est nature; alius hypostaseos. Sic & huiusmodi: ergo cum totum sit nature representativum, & totus personæ, sive hypostasis, bene deducitur, quòd in triduo mortis Christi Domini totus fuerit in limbo, totus in sepulchro, & ubique totus, sed non totum. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.*

29. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis apertione, en tertium theorema: *Christus Dominus, si suppositi diximus, potest dici de Cælo venisse, & esse ubique.* Quod etiam alterius habitationis solutione tentat in litterâ suadere Magister.

30. Sic ergò avidè inquirat in litterâ textus Magister: *An congruenter possit dici Filius hominis, vel ille homo, Christo Domino ànuntiato, descendisse de Cælo, vel ubique esse: quemadmodum dicitur Filius Dei, vel Deus de Cælo venisse, & ubique esse? Cui equidem sub distinctionis titulo respondet Magister.*

31. Si enim ad unitatem personæ referatur harum propositionum genuinus sensus, in quâ unitæ duæ naturæ extant, divina quippè, & humana, tunc præfata prædicationes sunt concedendæ: Si autem ad distinctionem naturarum, nullatenus concedi valent; quia Christus Dominus, secundum humanam naturam, nec descendit de Cælo, nec est ubique.

32. Id totum expendit Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. his expressis verbis: *Vna persona est Christus Deus, & homo. Idè dicitur: Nemo ascendit in Cælum, nisi qui de Cælo descendit, &c.* Ergo si distinctionem substantiarum attendamus, Filius Dei descendit, & Filius hominis crucifixus est: Si verò unitatem personæ, & Filius hominis descendit, & Filius hominis crucifixus est. Unde, propter hanc unitatem personæ, non solum Filium hominis descendisse de Cælo, sed etiam dixit esse in Cælo, cum loqueretur in terrâ. Tandem Magister huic tractatui de Mysterijs Christi Domini incarnati, & passivi, his verbis finem imponit: *Hæc de corrigiâ calceamenti Domini dicta sufficiant, ne ossa Regis Idumæa consumantur vsque in cinerem.* Et de ultimâ distinctionis parte.

QVÆSTIONES.

33. **Q**VÆSTIO 1. An Christus Dominus in triduo mortis fuerit homo? D. Thomas 3. p. q. 50. art. 4. & in 3. dist. 22. q. 1. art. 1. Subtilis Doctor in 3. dist. 22. q. 1. D. Bonaventura in 3. dist. 22. q. 2. art. 1. Camerarius tom. 3. q. 50. art. 4. Rada 3. p. contr. 11. art. 3. Granad. tom. 4. contr. 2. tract. 2. comment. 22. Estius in 3. dist. 22. q. 1. Nicolai in 3. dist. 22. q. 1. art. 1. Baldus lib. 2. quasit. 2. q. 6. difficul. 3.

34. Quæstio 2. An Christus quâ homo fuerit ubique? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 22. q. 2. art. 1. Nicolai in 3. dist. 22. q. 1. art. 2. Philipp. à SS. Trinit. tom. 4. tract. 1. disp. 8. dub. 2. Ioan. à S. Thomâ tom. 3. disp. 16. q. 16. art. 4. dub. vnic.

35. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 7. q. 2. Rada 3. p. contr. 1. art. 3. dub. vnic. Delgadillo 1. p. cap. 5. difficul. vnic. dub. 2. Matrius tom. 3. disp. 2. q. 11. art. 1. Boyvin 2. p. cap. 6. q. 4. Herincx p. 4. disp. 1. q. 10. Poncius tract. 11. disp. 40. q. ult. Macedo tom. 3. collat. 1. & seqq.

36. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. disp. 32. sect. 4. Valentia tom. 4. disp. 1. q. 2. punct. 3. Tannerus tom. 4. disp. 1. q. 6. dub. 1. Granados tom. 4. contr. 1. tract. 4. disp. 1. sect. 3. Aranda de incarn. lib. 1. disp. 1. sect. 1.

sect. 3. §. 3. Beccanus de incarn. cap. 7. q. 4. num. 1. & seqq.

37. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 22. art. 1. q. 2. Alensis 3. p. q. 19. memb. 5. Estius in 3. dist. 22. §. 5. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 10. q. 1. & 2. Baudun. tract. 1. q. 16. art. vnic. Baldius lib. 2. quæsit. 2. q. 10. difficul. 3. Caspens. tom. 2. tract. 20. disp. 9. sect. 1.

38. Quæstio 3. An Corpus Christi Domini per triduum fuerit in sepulchro? D. Thomas 3. p. q. 51. art. 4. D. Bonaventura in 3. dist. 22. q. 3. art. 1. Alensis 3. p. q. 19. memb. 5. Valentia tom. 4. disp. 2. q. 4. punct. 1. Tanner. tom. 4. disp. 2. q. 3. dub. 3. Granad. tom. 4. contror. 2. tract. 2. comment. 23. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 2. disp. 6. q. 1. Camerarius tom. 3. q. 51. art. 4. Nicolai in 3. dist. 22. q. 1. art. 1. Herincx 4. p. disp. 4. q. 4. §. 2. Campetus p. 1. tract. 3. art. 4. lect. 4. interrog. 3.

39. Quæstio 4. An Anima Christi Domini descenderit ad inferos? D. Thomas 3. p. q. 51. art. 1. Nicolai in 3. dist. 22. q. 1. art. 1. & seqq. Marchantius lib. 1. tract. 3. lect. 23. propos. 1. Camerarius tom. 3. q. 51. art. 1. Estius in 3. dist. 22. §. 3. Herincx p. 4. disp. 4. q. 4. Campetus 1. p. tract. 3. art. 5. lect. 1. interrog. 1. & seqq. Veteveis lib. 8. cap. ult. art. 1. & seqq. Rayner. de Pilsis verb. Descensus Christi Domini, cap. 1. & seqq.

40. Quæstio 5. An in descensu ad inferos anima Christi Domini omnes liberaverit animas? De quò, hic q. 4.

41. Quæstio 6. An animæ per Christum liberatæ illicò in Cœlum ascenderint? De quò, hic q. 4.

42. Quæstio 7. An in triduo mortis divinitas fuerit vnita Animæ, aut Corpori Christi Domini? De quò, hic dist. 21. q. 1.

43. Quæstio 8. An per communicationem idiomatum Deus dicatur mortuus, & passus? De quò, hic dist. 6. q. 3.

44. Quæstio 9. An quod Verbum divinum semel assumpsit, aliquandò dimiserit? De quò, hic dist. 21. q. 1.

45. Quæstio 10. An Christus Dominus in triduo mortis fuerit totus in sepulchro, totus in inferno, & totus ybique? De quò, hic q. 2. 3. & 4.

DE VIRTVTIBVS.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ TERTIÆ

Synopsis.

Quicquid ad æternæ spectat decreta salutis,

Hoc si oculi nequeant, iudicat alma fides.

Sic incipit: *Cum verò.*

Sic terminat: *Sed agnitio.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de his, quæ ex ipsâ Christi Domini morte consequuntur, præsertimque, an in triduo mortis Christus permanserit homo: Et hætenus de Mysterijs Christi Domini incarnati, & passis sed in præsentia iam indagat, an in Christo fuerint fides, & spes, quemadmodum charitas eluxit in eo: igitur satis aptè connexionem servant.

2. Consequentia probatur. Postquam tractatum de incarnatione, morte, & passione Christi Domini absolvit Magister, protinus de virtutibus, & donis, quibus ipse fuit plenus, determinare: & primò, an fuerint in Christo fides, & spes, quemadmodum charitas in ipso enituit, inquirere, valde rationi consentaneum videtur, eò quòd donis, & virtutibus Christi humanitas ditescat, sed Magister in superiori distinctione perfecit totum de incarnatione, morte, & passione Christi Domini tractatum: ergo in præsentia disserere de fide, & spe, an fuerint in Christo, et charitas, sane non erit connexionem rectam fugare.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, quid sit fides. In secundâ verò expendit, de quibus sit fides materialiter. In tertîâ autem, & ultimâ distinctionis parte, convenientiam, simulque differentiam fidei, & spei demonstrat.

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis indagine, primum ponitur thema: *Fides est virtus, quæ creduntur, quæ non videntur. Quod solum*

Solum tentat probare Magister ex cuiusdam dubij solutione, ipsiusque fidei definitionis explanatione. Unde cogitatio observare oportet, quod licet in hac distinctione spondeat Magister agere de fide, spe, & charitate; revera solum ex professo differit de fide, ipsam in genere definiendo, quia inde decernat, an Christo Domino conveniat; ubi promissis haud stare videtur.

5. Querit ergo Magister in littera: *An Christus Dominus habuerit fidem, & spem, sicut charitatem habuit?* Et quanvis praefatum dubium hic proponat Magister, non tamen illud resolvit usque ad distinctionem vigesimam sextam huius libri, ubi ipsum refuse expendere intendit. Tamen partem affirmantem modo videtur amplecti.

6. Primo sic obiter suadet intentum Magister: Si Christus Dominus fidem, & spem non habuisset, sicut charitatem habuit, proculdubio gratiarum ac donorum plenitudine non abundasset, quod prorsus a veritate alienum ab omnibus arbitratur: ergo quod Christus Dominus habuerit fidem, & spem, sicut charitatem habuit, non est ex quo sit ipsi denegandum.

7. Secundo, in uberiorem thematis probationem adducit Magister fidei definitionem, eamque ad longum exponit in littera, quin decernat, an Christo Domino conveniat, aut non: *Fides ergo est virtus, qua creduntur, quae non videntur*, quippe, quae ad religionem christianam pertinent. Quia non de omnibus, quae non videntur, accipiendum est fides, sed de his tantum, quae credere, ad religionem christianam pertinent; cum multa sint, quae etsi christianus ignoret, nihil metuendum est, quia non ideo a religione deviat.

8. Tertio, expendit iam Magister, suo debito ordine, definitionis fidei partes. Primo dicitur *virtus*; & pro ipsius plenissimo captu, trifarie accipit fidem Magister, scilicet, pro eo quo creditur, & est virtus; & pro eo quod creditur, & non est virtus; & pro eo quod creditur, quod aliud est ab eo, quo creditur. Sed ut alijs clarioribus expediam Magistrum verbis, dicimus, quod fides accipitur primo pro habitu fidei charitate informato, quemadmodum viget habitus fidei in hominibus iustis; secundo, pro habitu fidei non informato charitate, ut elucet in hominibus iniustis; tertio demum, pro ipso credibili, sive pro obiecto; quia obiectum fidei quandoque vocatur fides, ut in Symbolo dicitur: *Haec est fides catholica, &c.*

9. His sic praelibatis, resolvit Magister, fidem informem non esse virtutem, quia etsi illa sit habitus in mente existens; tamen cum sit mortua, non est virtus, de qua hic agit Magister. Neque fidem

sumptam pro credibili, sivè pro obiecto, esse virtutem dicimus, eò quòd non sit virtus mentis, cum potius sit in rebus, quæ creduntur, quàm in credentium mentibus. Fidem tamen formatam, quæ est habitus per charitatem operans, habitansque in nobis, esse virtutem asserimus, circa quam impræsentiarum versamur.

10. Hanc doctrinam aliquibus Patrum clypeat testimonijs Magister in litterâ, & præsertim Ambrosij, & Augustini autoritatibus. Sic Ambrosius lib. de fide, cap. 16. alloquitur: *Charitas mater est omnium virtutum, quæ omnes informat, sine quâ nulla vera virtus est. Fides ergò operans per dilectionem virtus est, quâ non visa creduntur.* Augustinus etiam tract. 10. in Ioan. cap. 1. scribit: *Fides enim sine dilectione inanis est: Fides cum dilectione Christiani est; alia dæmonis est. Nam & dæmones credunt, & contremiscunt:* ergo quia fides informis non est virtus, sed solum formata fides, quæ per dilectionem est operans, & quâ non visa creduntur, quæ ad religionem christianam pertinent.

11. Quartò, aliam definitionis fidei partem Magister ostendit in litterâ, scilicèt, *quâ creduntur, quæ non videntur*, suslinens, aliud esse credere Deum, aliud credere Deo, & aliud credere in Deum. Nam credere Deum, est credere ipsum esse Deum. Credere Deo, est credere ea esse vera, quæ Deus dicit. Et credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adherere, & eius membris incorporari. Vndè deducit Magister, quòd primis duobus modis, etiam peccatoribus, imò & dæmonibus credere competit, etiamsi sit donum Dei; sed tertio modo solum iustis hominibus congruit; quia sic credere, necessariò fidem formatam requirit.

12. Sed consentaneè his subdit Magister, quòd licèt fides, quam dæmones, & iniusti homines habent, sit habitus mentis, sed informis, quia sine charitate est; tamen est donum Dei, quia dæmones, & mali homines quædam Dei participant dona, teste ipso Apostolo 1. Corinth. cap. 13. dicente: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest:* ergo etsi dæmonum malorumque hominum fides sit informis, quia sine charitate operatur, nihilominus quoddam esse Dei donum inficiari nequit. His sic definitionis fidei sedulò perpensis partibus.

13. Dubitat primò Magister: *An illa informis qualitas mentis, quæ malus Christianus universa credit, quæ bonus, accedente charitate, remaneat, & virtus fiat; an verò ipsa eliminetur, & alia qualitas succedat, quæ sit fides, & virtus formata?* Et responderet Magister, utrumlibet sine periculo dici posse. Tamen aptius videtur ipsi, quòd illa qualitas, quæ

præ

prius erat informis, remaneat, & charitatis accessu fiat fides, & virtus formata. Hoc utique nullâ ratione, aut Patrum autoritate præmunit Magister.

14. Secundò dubitat Magister in litterâ : *An vna fides tantum sit à nobis tenenda, vel plures, cum in triplici sensu ab ipso supra accipiatur?* Et respondet Magister, vnam tantum, & non plures, esse fidem confitendam, modò fides accipiatur pro obiecto credibili, modò pro qualitate, siuè habitu vsurpetur. Quod nonnullis rationibus suadere videtur.

15. Primò ex Divo Paulo ad Ephes. cap. 4. dicente : *Vnus Deus, vna fides, vnum baprisma* : ergo quanvis fides trifariam passim à Catholicis vsurpetur, vna tamen fides, & non plures, omninò est confitenda, siuè pro obiecto credibili, siuè pro mentis qualitate accipiatur.

16. Secundò : Etiam si fides capiatur pro ipso credibili vna est, quia idem iubemus credere, & vnum idemque est quod creditur à cunctis fidelibus; ideòque fides catholica dicitur, idest, vniuersalis. Similiter est vna in omnibus credentibus, etiam si pro mentis qualitate, siuè habitu accipiatur, quo creditur; quia estò non sit vna numero, est tamen vna specie, aut similitudine; quemadmodum plurimum hominum idem volentium dicitur vna esse voluntas, cum tamen cuique sit sua voluntas; & duorum simillimorum dicitur facies vna; ergo modò fides pro ipso credibili, modò pro habitu accipiatur, semper est vna, & non plures.

17. Tertiò ex Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 2. scribente: *Fides, quam qui habent, fideles vocantur; & qui non habent, infideles, communis est omnibus fidelibus; sic pluribus hominibus vna facies communis esse dicitur, cum tamen singuli suas habeant*: ergo quia nullus ex cuncto Catholicorum coetu distinetur, fidem catholicam esse vnam, & non plures, etsi in multiplici à Theologis vsurpetur sensu. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

18. PRO SECUNDE verò distinctionis partis investigatione, secundum adducitur thema : *Quanvis ea qua credimus, aperte non videamus, credere tamen nos intellectualiter cognoscimus*. Veritatem huiusmodi asserti potius nudâ explanatione, aut Patrum autoritatibus, quàm academicâ propugnacione ostendit Magister in litterâ.

19. Et primò ostendit Magister de quo sit fides materialiter, dicens, fidem materialiter propriè esse de non apparentibus tantum. Quod probat autoritate Divi Gregorij homil. 26. sup. Evang.

dicente : *Apparentia non habent fidem , sed agnitionem : ergo quia fides materialiter est de his , quæ non apparent.*

20. Secundò ex eodem Gregorio lib. 4. dialog. cap. 5. sic affan-
te: *Thomas aliud vidit , & aliud credidit: Hominem vidit , & Deum confes-
sus est dicens: Dominus Deus & Deus meus: ergo si credi iam non valet,
quod videri potest, non incongruè colligitur, fidem materialiter tan-
tùm esse de non apparentibus.*

21. Tertio, Divus Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 1. sic no-
stram ad vnguem expendebat rem : *Fidem ipsam videt quisque in corde
suo esse, si credit: vel non esse, si non credit: ergo licèt videre non possi-
mus, quæ credimus; ipsam tamen fidem, quâ credimus, in nobis vi-
demus, non visione corporeâ, vbi imaginariâ, aut similitudinariâ, sed
intellectuali, per quam cognoscimus ipsam esse eorum, quæ non
apparent.*

22. Quarto, iterùm in testem huius propugnationis accersit Augu-
stinum Magister tract. 40. in Ioan. ad finem, his verbis : *Credimus vt
cognoscamus, non cognoscimus vt credamus: ergo si credimus vt cognos-
camus, & non cognoscimus vt credamus, cum id quod credere iube-
mur, non possimus videre, bene deducitur, vt ipsam fidem, quandò
est in nobis, videamus in nobis, quia & rerum absentium præsens
est fides, & rerum, quæ foris sunt, intus est fides, & rerum, quæ non
videntur, videtur fides.*

23. Quintò tandem suam præcipuam exambit assumptum Ma-
gister, videlicèt, quòd fides sit tantùm de non apparentibus, per
Apostolum ad Hebræos cap. 11. sub hâc formâ scribentem : *Fides est
substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium: ergo si fides
est, ex eo convincitur, & probatur, aliqua esse non apparentia; cum
fides non sit nisi de non apparentibus.*

24. Vterius pergit Magister expendendo huius fidei definitionis
verba. Dicitur *fides substantia sperandarum rerum*; quia ea, quæ spera-
mus, modò subsistunt in nobis solùm per fidem, & in futuro subsi-
stent per experientiam. Additur *argumentum non apparentium*; quia ea,
quæ creduntur, non aliter probantur, quàm per fidem: Nam si quis
de his dubitet, per fidem probantur. Demùm potest dici, fidem esse
substantiam rerum sperandarum, quia sperandis subsistat; & quia fun-
damentum est bonorum, quod nemo mutare potest. Et hæc de secun-
dâ distinctionis parte sufficiant.

25. PRO TERTIE autem, & ultimæ distinctionis partis decla-
ratione, tertium præfigitur thema : *Etsi fides convenientiam aliquam*

habeat cum spe, magis tamen ab eâ differt. Quod etiam cuiusdam dubitationis solutione, quam in textus litterâ suggerit Magister, percontat suadere efficaciter.

26. Sic investigat Magister: *An definitio fidei, quam nuper apposuimus cum Apostolo ad hebræos cap. 11. etiam conveniat spei?* Et respondet in litterâ, quòd si debito in sensu intelligatur descriptio, utriusque ipsorum convenire valet. Cæterum, etsi dicatur in aliquibus convenire, non indè fides, & spes censentur vnum, quia multa inveniuntur, in quibus differre videntur.

27. Tamen probabiliter sustinet Magister, quòd soli fidei, & non spei definitio conveniat. Hoc reverà autoritate, & ratione probat. Primò sic ratione: sola fides, attentâ descriptione, est substantia, & fundamentum omnium virtutum, & bonorum operum, etsi fides virtus non valeat esse sine spe, & charitate; sed spes non est substantia, & fundamentum omnium virtutum, & bonorum operum: ergo quia præfata definitio soli fidei, & non spei convenit.

28. Secùdò autoritate Augustini in Enchir. cap. 8. his suadet verbis: *Fides operans per dilectionem utriusque sine spe esse non potest; nec amor sine spe; nec sine amore spes; neque utrumque sine fide; & fides sine amore nihil prodest. Potest tamen credi aliquid, quod non speratur; nihil autem potest sperari, quod non creditur*: ergo cum, ex Augustino, varia ac diversa ascribantur fidei munia, quæ spei non aptantur, quanquam in aliquibus fides, & spes convenire videantur, in pluribus tamen differre, non valemus inficiari.

29. Ex his deducit Magister Augustinum exponendo, quòd etsi fides dicatur fundamentum omnium virtutum, & bonorum operum; nunquam tamen dicitur charitatis fundamentum; quia non fides charitatis, sed charitas fidei est causa; eò quòd sit omnium virtutum mater; quæ si desit, frustra habentur cætera; si autem adsit, habentur omnia.

30. Sed oppones Divum Gregorium homil. 16. in Ezechielem cap. 7. dicentem: *Nisi prius fides teneatur, nullatenus ad spiritualem amorem attingitur. Non enim charitas fidem, sed fides charitatem præcedit; quia nemo potest amare quod non crediderit, sicut nec sperare; sed ex his Gregorij verbis satis claret, fidem causam esse charitatis, cum nullus possit amare quod non credit: igitur non charitas fidei, sed fides charitatis est causa, cum fides ipsam præcedat.*

31. Respondet Magister in litterâ negando Minorem, & Consequentiam, ac Divi Gregorij appositè expendendo dictum, videlicet,

ipsum vel alloquutum fuisse de fide informi, quæ non est virtus, & spem, & charitatem passim præcedit: Vel de actu fidei, qui naturaliter charitatis, & spei actum antevertit, non tempore, sed naturâ; nunquam verò sustinet, fidem formatam esse charitatis causam, etiam ipsa sola dicatur esse fundamentum aliarum virtutum, & bonorum operum; quia non illa charitatis, sed charitas illius est causa. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

32. QVÆSTIO 1. Quid sit fides, & an sit virtus? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. 2. q. 65. art. 4. & 2. 2. q. 4. art. 5. Bañez 2. 2. q. 2. art. 1. Nicolai in 3. dist. 23. q. 2. art. 1. & seqq. Rayner. de Pilsis tom. 2. verb. fides, cap. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 5. dub. 1. & seqq. Ferreras disp. 1. de fide, dub. 1. Ioan. Espinosa Medranus in Philos. tom. 1. dissert. 66. §. 9. Chalvet tom. 7. lib. 2. q. 1. cap. 1. Camerius tom. 2. q. 4. art. 1. Prado in Theolog. moral. cap. 7. q. 1. §. 1. & seqq. Bancel tom. 1. verb. fides, q. 1.

33. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Arbiol de fide, disp. 1. art. 1. & seqq. Macedo de Clavib. lib. 3. cap. 2. Poncius tract. 7. disp. 27. q. 1. & in 3. Comment. dist. 23. num. 37. Brancatus de fide, disp. 2. art. 7. Castillo de fide, disp. 7. q. 1. & 2. Tamarit tract. 4. de grat. q. 4. Lanterius de fide, disp. 2. propos. 2. & 6. Vega in Trident. cap. 24. Herincx p. 3. disp. 2. q. 1. Cottonius lib. 1. contr. 6. cap. 1. Sendin tract. 7. contr. 1. sect. 1. Aquila in 3. dist. 23. q. 1. Gallus in 3. dist. 23. cap. 1. Pichon de fide, disp. 2. cap. 2. sect. 4.

34. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 6. sect. 2. Valentia disp. 1. de fide, q. 1. punct. 1. Vazq. 1. 2. disp. 109. Bellarm. de iustificat. lib. 1. Lugo de fide, disp. 8. sect. 1. Rhodès tract. 6. disp. 2. sect. 1. Escobar tom. 6. lib. 47. sect. 1. cap. 1. Amicus tom. 4. disp. 10. sect. 1. Turrian. de fide, disp. 36. dub. 1. & seqq. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 1. Peña-fiel tom. 3. disp. 7. de fide, sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 1. sect. 1. & 2. Filiucius tom. 2. tract. 22. cap. 1. q. 1. Gordo us tom. 2. q. 11. cap. 2. Valente in Concord. sect. 1. pag. 138.

35. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 23. art. 1. q. 1. Alenf. 3. p. q. 78. memb. 1. Baudan. de fide, q. 50. art. 3. Bassæus verb. fides, num. 1. Etlus in 3. dist. 23. §. 1. Verde tit. 1. de fide, num. 21. Bonæspei tract. 2. disp. 6. dub. 1. Caramuel in Theol. præterint. num. 1779. Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. Malletus tom. 2. pag. 9. Chirulus disp. 1. difficult. 3.

36. Quæstio 2. Quodnam sit obiectum materiale fidei? Ex An-

gelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 14. art. 1. & seqq Ferreras de fide, disp. 5. dub. 1. Chalvet tom. 7. lib. 2. q. 2. cap. 2. Ioan. à S. Thomâ tom. vnic. disp. 1. art. 3. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 1. §. 1. & seqq. Camerinus tom. 2. q. 1. art. 1. & seqq. Prado in Theolog. moral. cap. 7. q. 1. §. 2. Bañez 2. 2. q. 1. art. 1. dub. 1. Arauxo 2. 2. q. 1. dub. 2. & 3. Nicolai in 3. dist. 24. q. 1. art. 1. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 2. dub. 1. & seqq. Rayner. de Pilsis tom. 2. verb. fides, cap. 1. & seqq.

37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Perez Lopez tom. 2. dist. 7. q. 3. Arbiol de fide, disp. 2. art. 2. Mastrius tom. 3. disp. 1. q. 1. & 2. Pichon de fide, disp. 1. cap. 1. & 2. Poncius tract. 7. disp. 27. q. 3. & in 3. Comment. dist. 23. num. 67. Sendin tract. 7. contr. 6. sect. 1. & seqq. Boyvin de fide, cap. 2. q. 2. Durand tom. 3. tract. 3. disp. 1. q. 1. & 2. Lauræa de fide, disp. 3. art. 1. Castillo de fide, disp. 1. q. 3. p. 1. Herincx p. 3. disp. 2. q. 2. Cottonius lib. 1. contr. 6. cap. 1. & seqq.

38. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 2. sect. 2. & seqq. Amicus tom. 4. disp. 1. sect. 1. & seqq. Anton. Perez tract. 4. disp. 3. cap. 1. & seqq. Valente in Concord. sect. 2. pag. 143. Peñafiel tom. 3. disp. 2. sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 2. sect. 1. & seqq. Lugo de fide, disp. 3. sect. 1. Palao tract. 4. disp. 1. punct. 2. Petrus Hurtado disp. 6. sect. 2. Oviedus contr. 2. punct. 2. num. 16. Rhodès tract. 6. disp. 1. sect. 3. §. 1. Escobar tom. 6. lib. 47. sect. 1. cap. 1. Turrian. de fide, disp. 1. dub. 1. & 2.

39. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 34. art. 1. q. 1. & seqq. Abulens. in cap. 22. Matth. q. 1. & seqq. Baudun. de fide, q. 47. art. 1. & seqq. Bassæus verb. fides, num. 2. Lorca 2. 2. disp. 2. num. 12. Bonæspei tract. 2. disp. 1. dub. 1. Caspensis tom. 2. tract. 15. disp. 1. sect. 1. Estius in 3. dist. 23. §. 1. & seqq. Chirolus de fide, disp. 2. difficul. 1. Malletus tom. 2. pag. 9. & seqq.

40. Quæstio 3. Quodnam sit obiectum formale fidei? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 1. Ferreras disp. 1. de fide, dub. 1. & seqq. Chalvet tom. 7. lib. 2. q. 2. cap. 1. Ioan. à S. Thomâ tom. vnic. disp. 1. art. 1. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 1. §. 1. & seqq. Camerinus tom. 2. q. 1. art. 1. & seqq. Prado in Theolog. moral. cap. 7. q. 1. §. 3. Medina 2. 2. q. 1. art. 1. Nicolai in 3. dist. 24. q. 1. art. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 1. dub. 1. & seqq. Arauxo 2. 2. q. 1. dub. 2. & seqq. Rayner. de Pilsis verb. fides, cap. 1. & seqq.

41. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Sendin tract. 7. contr. 1. 2. & 3. sect. 1. & seqq. Perez Lopez tom. 2. dist. 7. q. 3. Arbiol tom. 1. tract. de fide, disp. 3. art. 1. Pichon de fide, disp. 1. cap. 2. sect.

sect. 2. Castillo de Velasco *disp.* 1. q. 3. Poncius *tract.* 7. *disp.* 27. q. 2. & in *Comment.* in 3. *dist.* 23. num. 46. Boyvin *de fide*, cap. 2. q. 1. Durand *tom.* 3. *tract.* 3. *disp.* 1. q. 1. & 2. Lauræa *disp.* 7. art. 1. & *seqq.* Maltrius *tom.* 3. *disp.* 6. q. 1. art. 1. & *seqq.* Lanterius *de fide*, *disp.* 7. document. 1. & *seqq.* Herinx 3. p. *disp.* 3. q. 3. Gallus in 3. *dist.* 23. q. 1. cap. 2. & *seqq.*

42. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de fide*, *disp.* 3. *sect.* 1. & *seqq.* Valentia *disp.* 1. q. 1. *punct.* 1. Lugo *de fide*, *disp.* 1. *sect.* 7. Coninch *disp.* 9. *dub.* 3. Granados *tract.* 1. *disp.* 2. num. 2. Rhodès *tract.* 6. *disp.* 1. *sect.* 3. §. 1. Escobar *tom.* 6. lib. 47. *sect.* 1. cap. 1. Amicus *tom.* 4. *disp.* 2. *sect.* 1. & *seqq.* Turrian. *de fide*, *disp.* 2. *dub.* 1. Peñafiel *tom.* 3. *disp.* 1. *sect.* 1. & *seqq.* Carleton *tom.* 2. *disp.* 3. *sect.* 1. Anton. Perez *tract.* 4. *disp.* 2. cap. 1. & *seqq.* Valente in *Concord.* *sect.* 2. pag. 143. & *seqq.*

43. Ex alijs D. Bonaventura in 3. *dist.* 24. q. 2. art. 2. Aureolus in *prolog.* qq. art. 3. Malletus *tom.* 2. pag. 9. Chirolus *disp.* 1. *de fide*, *difficul.* 1. Bandun. *de fide*, q. 47. art. 1. & *seqq.* Bassaus *verb. fides*, num. 2. & *seqq.* Bonæspei *tom.* 2. *disp.* 1. *dub.* 2. Caspens. *tom.* 2. *tract.* 15. *disp.* 1. *sect.* 2. Estius in 3. *dist.* 23. §. 1. & *seqq.* Lorca 2. 2. *disp.* 2. & *seqq.* Gabriel in 3. *dist.* 23. q. 2. art. 1. & *seqq.*

44. *Quæstio* 4. Quomodo differant credere Deum, credere Deo, & credere in Deum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 2. Nicolai in 3. *dist.* 24. q. 1. Camerinus *tom.* 2. q. 2. art. 2. Cayetan. 2. 2. q. 2. art. 2. Chalvet *tom.* 7. lib. 2. q. 2. & *seqq.*

45. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. *dist.* 23. q. vnic. Arbiol *tom.* 1. *tract.* *de fide*, *disp.* 6. art. 9. Pichon *de fide*, *disp.* 2. cap. 2. *sect.* 1. Herinx 3. p. *disp.* 2. q. 1. & *seqq.* Poncius *tract.* 7. *disp.* 27. q. 2. Cavellus in *Schol.* in 3. *dist.* 23. q. vnic. Gallus in 3. *dist.* 23. cap. 1. & *seqq.* Castillo *de fide*, *disp.* 7. q. 4. p. 1.

46. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de fide*, *disp.* 6. *sect.* 3. Amicus *tom.* 4. *disp.* 10. *sect.* 1. Peñafiel *tom.* 3. *disp.* 6. *de fide*, *sect.* 10. Carleton *tom.* 2. *disp.* 16. *sect.* 3. Lugo *de fide*, *disp.* 8. *sect.* 2. Rhodès *tract.* 6. *disp.* 1. *sect.* 3. §. 1. & *seqq.*

47. Ex alijs D. Bonaventura in 3. *dist.* 23. q. 24. q. 1. & *seqq.* Bassaus *verb. fides*, num. 2. & *seqq.* Estius in 3. *dist.* 23. §. 6. Verde *tit.* 1. *de fide*, num. 21. Caramuel in *Theolog. præteriment.* num. 1778. Campanus p. 1. *tract.* 3. art. 1. *lect.* 2. *interrog.* 1. & *seqq.* Malletus *tom.* 2. pag. 9. & *seqq.*

48. *Quæstio* 5. An fides dæmonibus conveniat? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. Ferre q. 8. *de fide*, §. 2. & 3. Philipp. à SS.

à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 6. dub. 2. & seqq. Ferreras de fide, disp. 7. dub. 3. §. 2. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 8. art. 2. Camerinus tom. 2. q. 5. art. 2.

49. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Pitygianus in 3. dist. 23. art. 17. Pichon de fide, disp. 3. cap. 1. sect. 4. Boyvin de fide, cap. 1. q. 6. Castillo de fide, disp. 10. q. 1. p. 4. Aquila in 3. dist. 23. q. 1. & seqq. Gallus in 3. dist. 23. cap. 2. & seqq. Caltillent. in Polyanth. Seraph. verb. fides, cap. 7. & seqq.

50. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 7. sect. 9. Escobar tom. 6. lib. 47. cap. 17. dub. 31. Lugo de fide, disp. 17. sect. 2. Hurtado disp. 59. sect. 2. Granad. tract. 13. sect. 1. Turrianus de fide, disp. 43. dub. 3. Carleton tom. 2. disp. 19. sect. 3.

51. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 23. q. 1. & seqq. Alensis 3. p. q. 74. num. 78. Lorca de fide, disp. 30. num. 4. Caspent. tom. 2. tract. 15. disp. 3. sect. 3. Estius in 3. dist. 23. §. 5. Malletus tom. 2. à pag. 9. & seqq. Chirulus disp. 1. de fide, difficul. 1. & seqq.

52. Quæstio 6. An hæreticus discredens vni articulo fidei possit fide divina alijs fidei articulis credere? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 23. q. 3. art. 6. Torres 2. 2. disp. 2. dub. 3. Camerinus tom. 2. q. 5. art. 3. Nicolai in 3. dist. 23. q. 3. art. 6.

53. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Castillo de Velasco tract. de fide, disp. 10. q. 1. p. 5. Pitygian. in 3. dist. 23. art. 18. & seqq. Gallus in 3. dist. 23. cap. 4. & seqq. Aquila in 3. dist. 23. q. 1. art. 2. & seqq.

54. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 3. sect. 3. Lugo de fide, disp. 17. sect. 6. Hurtado di p. 60. sect. 3. Molina q. 14. art. 13. disp. 7. & seqq. Beccanus de fide, cap. 11. q. 3. Granados tract. 13. sect. 2. Escobar tom. 6. lib. 47. sect. 2. dub. 18. Ripalda tom. 2. lib. 6. disp. 131. sect. 5. Turrian. de fide, disp. 28. dub. 1.

55. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 23. q. 1. art. 1. & seqq. Estius in 3. dist. 23. §. 13. Baudun. de fide, q. 51. art. vnic. Malletus tom. 2. pag. 9. & seqq. Chirulus de fide, disp. 1. difficul. 1. & seqq. Basilius verb. fides, num. 7. & seqq. Bonæspei tract. 2. disp. 1. dub. 3. & seqq.

56. Quæstio 7. An habitus fidei præcedat tempore primam gratiam, siuè charitatis infusionem? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 23. q. 2. art. 5. Bañez 2. 2. q. 6. art. 2. Medina 1. 2. q. 62. art. 4. Camerinus tom. 2. q. 4. art. 7. Nicolai in 3. dist. 23. q. 2. art. 10. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 5. dub. 6.

57. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 35. q. 1. Arbiol tom. 1. tract.

de fide, disp. 1. art. 5. Pichon de fide, disp. 3. cap. 1. sect. 5. Brancatus de fide, disp. 2. art. 5. Cattillo de Velasco de fide, disp. 9. q. 5. Vega in Trident. lib. 2. cap. 29. Cavelius in Schol. in 3. dist. 35. q. 1. art. 1. Pitygian. in 3. dist. 35. q. 1. art. 1.

58. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 28. sect. 3. & seqq. Valentia de fide, disp. 2. art. 5. Salas tract. 11. disp. 5. sect. 5. Vazq. 1. 2. disp. 41. dub. 9. Coninch de fide, disp. 6. dub. 4. Turrian. de fide, disp. 41. dub. 8. & seqq. Peñafiel tom. 3. disp. 7. sect. 10. Filliucius tom. 2. tract. 22. cap. 8. q. 3.

59. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 23. dub. 7. Lorca de fide, disp. 32. cap. 7. Baudun. de fide, q. 51. art. vnic. Bassæus verb. fides, num. 8. & seqq. Estius in 3. dist. 23. §. 9. Malletus tom. 2. à pag. 10. & seqq. Chirolus de fide, disp. 1. difficul. 1. & seqq.

60. Quæstio 8. An fides perseveret in animâ charitate amisâ. De quò, hic dist. 25. q. 1.

61. Quæstio 9. An actus fidei sit necessarius pro charitatis actûs elicentiâ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 6. Bañez 2. 2. q. 2. art. 8. dub. 1. Canus 1. 2. q. 2. conclus. 1. & seqq. Camerinus tom. 2. q. 2. art. 3. Prado in Theolog. moral. cap. 7. q. 2. §. 1. & seqq. Rayner. de Pisis verb. fides, cap. 1. & seqq.

62. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Macedo de Clavib. lib. 3. cap. 1. & 2. Poncius tract. 7. disp. 29. q. 1. & seqq. Laurza de fide, disp. 10. art. 1. & seqq. Vega in Trident. lib. 6. cap. 17. Gallus in 3. dist. 23. cap. 2. & seqq. Aquila in 3. dist. 23. q. 1. Pitygian. in 3. dist. 23. art. 12. & seqq.

63. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 3. sect. 5. Arriaga disp. 13. de fide, sect. 4. Oviedo de fide, contrrov. 7. punct. 5. num. 68. Gasp. Hurtado de pœnis, disp. 6. difficul. 6. Escobar tom. 6. lib. 47. cap. 18. dub. 33. Rhodès tract. 6. disp. 1. q. 3. sect. 4. Lugo de fide, disp. 12. sect. 1. Peñafiel tom. 3. disp. 8. de fide, sect. 1. & 2.

64. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 23. q. 1. & seqq. Leander 1. p. tract. 5. disp. 8. q. 19. Trullench 7. decalog. dub. 6. num. 7. Bassæus verb. fides, num. 4. Lorca 2. 2. disp. 23. memb. 2. Malletus tom. 2. pag. 10. & seqq. Estius in 3. dist. 23. §. 7. & seqq. Verde tit. 1. de fide, §. 13. num. 38.

65. Quæstio 10. An fides sit certior, quàm scientia, compatianturque sibi respectu eiusdem obiecti? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 4. art. 7. & in 3. dist. 23. q. 2. art. 5. Ferraras de fide, disp. 4. dub. 1. Chalvet tom. 7. lib. 2. q. 4. cap. 1. Ioan à S. Thomâ tom. vnic. disp. 2. art. 1. & seqq. Camerinus tom. 2. q. 4. art. 8. Medina 1. 2. q. 67. art. 3.

art. 3. Cayetan. 1. 2. q. 67. art. 5. Bañez 2. 2. q. 1. art. 5. Nicolai in 3. dist. 23. q. 2. art. 4. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 5. dub. 8.

66. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Sendin tract. 7. contror. 7. sect. 3. §. 1. & seqq. & contror. 8. sect. 1. §. 4. Arbiol de fide, disp. 6. art. 2. & 3. Pichon de fide, disp. 2. cap. 3. sect. 3. Castillo de fide, disp. 8. q. 3. Poncius tract. 7. disp. 27. q. 8. & in 3. Comment. dist. 24. num. 33. Matrius tom. 3. disp. 6. q. 4. art. 4. Lanterius de fide, disp. 14. propos. 2. Gallus in 3. dist. 23. q. 1. cap. 1. & seqq. Aquila in 3. dist. 23. q. 1. & seqq.*

67. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. tom. 2. disp. 19. sect. 2. Lugo de fide, disp. 6. sect. 2. Rhodès tract. 6. disp. 1. sect. 3. §. 3. Escobar tom. 6. lib. 47. sect. 1. cap. 13. Amicus tom. 4. disp. 11. sect. 1. & disp. 12. sect. 1. Molina 1. p. q. 1. art. 2. q. 4. Vazq. 1. p. disp. 135. cap. 3. Turrian. de fide, disp. 8. dub. 2. Peñafiel tom. 3. disp. 6. de fide, sect. 2. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 9. sect. 2.*

68. *Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 24. art. 2. q. 3. Bonæspei tom. 1. Philos. tract. 9. disp. 3. dub. 2. §. 1. Calpens. tom. 2. tract. 15. disp. 1. sect. 10. & disp. 2. sect. 3. Chirolus disp. 1. difficul. 9. Baudun. de fide, q. 50. art. 4. dub. 2. Bassens verb. fides, num. 2. & seqq. Etlus in 3. dist. 23. §. 6. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 11. & seqq.*

69. *Quæstio 11. An sola fides sufficiat pro impij iustificacione? De quò, hic q. 9.*

70. *Quæstio 12. An fides ad intellectum pertineat? Suarez de fide, disp. 6. sect. 1. Escobar tom. 6. lib. 47. sect. 2. dub. 17. Baudun. de fide, q. 50. art. 2. Boyvin de fide, cap. 1. q. 3. Ferreras de fide, disp. 7. dub. 1. Lanterius de fide, disp. 5. propos. 1. & seqq. Camerinus tom. 2. q. 4. art. 2. Hurtado dub. 55. de fide. Vazq. 1. p. disp. 5. cap. 4. Turrian. de fide, disp. 4. dub. 1. Granad. tract. 12. disp. 2. Nicolai in 3. dist. 23. q. 2. art. 4. & 5.*

71. *Quæstio 13. An actus fidei naturaliter præcedat actum spei? De quò, hic q. 7.*

72. *Quæstio 14. An charitas fidem, sivè fides charitatem præcedat? De quò, hic q. 7.*

73. *Quæstio 15. Quænam sit definitio, & acceptio fidei? De quò, hic q. 1.*

74. *Quæstio 16. An fidem in nobis inhærentem haud dubiè cognoscamus? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 10.*

75. *Quæstio 17. An actus fidei superet certitudine scientias naturales? De quò, hic q. 10.*

76. Quæstio 18. An congregare Sacrosanctam OEcumenicam ac generale Concilium sit munus proprium Pontificis, aut Imperatoris? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. Cayetan. de authorit. Papa cap. 32. Turrecremata lib. 3. cap. 1. & 34. Canus lib. 5. cap. 2. Chalvet tom. 7. lib. 2. q. 4. cap. 6. Bancel tom. 1. verb. Concilium, q. vnic. Castellinus cap. 3. punct. 42. & seqq.

77. Ex Subtili Scholâ Bordonus tom. 1. cap. 6. num. 82. & seqq. Boyvin 4. p. disp. 3. q. 4. Castillo de Velasco de fide, disp. 14. q. 3. Herincx p. 3. disp. 5. q. 6. Cottonius lib. 5. contror. 10. cap. 2. & seqq. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Concilium, cap. 1 & seqq. Portellus verb. Concilium, num. 1. & seqq.

78. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 11. sect. 3. Amicus tom. 4. disp. 8. sect. 2. Giballinus tom. 2. lib. 5. cap. 4. q. 3. Bellarm. de Concilijs, cap. 12. lib. 5. Turrian. de fide, disp. 18. dub. 1. Fragosus tom. 2. lib. 1. disp. 1. §. 7. Azor p. 2. lib. 3. cap. 47. q. 1. Pallavicinus in hist. Trident. lib. 6. cap. 4.

79. Ex alijs Baucius in Miscel. pag. 83. Duvallius 4. p. de authorit. Pontific. q. 12. Anton. Perez p. 2. volum. 2. dub. 2. cap. 1. & 6. Thuscus tom. 2. conclus. 549. num. 3. Bonaspei tract. 2. de fide, disp. 5. dub. 2. Carameuel in hierarch. Eccles. disp. 61. Mathias Corona tract. 2. cap. 11.

80. Quæstio 19. An Concilium generale Tridentinum sit supra Papam, aut Papa supra Concilium? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 10. S. Antoninus 3. p. tit. 22. cap. 5. §. 2. Turrecrem. lib. 2. cap. 93. Castellinus cap. 3. punct. 41. Cayetanus 2. 2. q. 1. art. 10. Canus lib. 3. de locis theolog. cap. ult. Rayner. de Pilsis verb. Concilium, a cap. 1. & seqq. Philipp. a SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 3. dub. 3.

81. Ex Subtili Scholâ Scotus in Prolog. q. 2. num. 9. Castillo de fide, disp. 15. q. 6. Boyvin p. 4. disp. 3. q. 7. Bordonus tom. 1. cap. 6. num. 25. & seqq. Alvarus Pelâgius lib. 1. de plantu Eccles. Herincx 3. p. disp. 5. q. 7. Cottonius lib. 3. contror. 10. cap. 3. q. 2. Marchant tom. 3. tract. 3. tit. 4. q. 3. append. 3.

82. Ex Scholâ Eximiâ Bellarm. lib. 1. Concilior. cap. 7. & lib. 2. cap. 14. Valentia cap. 45. Turrianus de fide, disp. 23. dub. 2. Fragosus tom. 2. p. 2. disp. 1. §. 6. Amicus tom. 4. disp. 8. sect. 7. Azor p. 2. lib. 4. cap. 13. q. 5. Terillus p. 1. q. 14. assert. 1. & seqq.

83. Ex alijs Abulensis in cap. 18. Matth. q. 108. Anton. Celladeus lib. 1. q. 7. Chirolus de fide, disp. 4. difficul. 3. Ochamus in opuscul. de potest. Papæ. Malletus tom. 2. a pag. 24. & seqq.

84. Quæstio 20. An Concilium Tridentinum à SS. D. N. Pio Pa-
pa

pa IV. legitimè congregatum, confirmatumque potuerit errare? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q. 176. art. 1. Canus *lib. 5. cap. 5. q. 11.* Turrecrem. *lib. 3. cap. 64.* Cayetan. *tract. 1. de authorit. Papæ, cap. 11.* Sylvester *verb. Concilium, §. 3.* Sotus *in 4. dist. 20. art. 4.* Gonetus *tom. 4. tract. 10. disp. 5. art. 1.* Prado *tom. 2. cap. 33. q. 2. §. 1.* Gravina *de infallibilit. Papæ, q. 3. art. 8. difficul. 1.* Philipp. à SS. Trinit. *tom. 3. tract. 1. disp. 3. dub. 6.* Bañez 2.2. q. 1. art. 10. Rayner. *de Pisis verb. concil. cap. 2. & seqq.*

85. Ex Subtili Scholâ Scotus *in Prolog. q. 2. num. 9.* Castillo de Velasco *de fide, disp. 15. q. 4.* Vetuveis *lib. 3. cap. 5. art. 1.* Corduba *lib. 4. q. 5.* Castro *de hæres. lib. 1. cap. 6.* Herincx *p. 3. disp. 5. q. 7.* Cortonius *lib. 3. controuv. 10. cap. 3. q. 2.* Marchant *tom. 3. tract. 3. tit. 4. q. 3. & 4.* Portellus *verb. concil. num. 1. & seqq.* Castillent. *in Polyamb. Seraph. verb. concil. cap. 1. & seqq.*

86. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de fide, disp. 5. sect. 7.* Amicus *tom. 4. disp. 8. sect. 6.* Bellarm. *lib. 2. de Concilijs, cap. 11.* Valentia *de obiect. fidei, disp. 1. q. 1. punct. 7.* Turrianus *de fide, disp. 18. dub. 3. & 4.* Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 1. dub. 5. §. 7.*

87. Ex alijs Bonæspei *tract. 2. disp. 5. dub. 3.* Caspens. *tom. 2. tract. 15. disp. 2. sect. 7.* Chirolus *de fide, disp. 4. difficul. 5.* Sogia *tom. 1. p. 2. disp. 7. q. 14.* Albert. Pigius *lib. 6. cap. 6.* Perez *dub. 7. cap. 1. & seqq.* Malderus *de Concil. disp. 3. dub. 1.*

88. Quæstio 21. An Sacrosancti generalis Tridentini Concilij authoritas sit mayor, quàm sacra Scripturæ authoritas? De quò, *hic dist. 40. q. 7.*

89. Quæstio 22. Cuius sit Generali Cœcilio Tridentino præsidere: An Pontificis, utrùm verò Imperatoris? Bordonus *tom. 1. cap. 6. num. 107.* Giballinus *tom. 2. lib. 5. cap. 4. q. 4.* Boyvin *4 p. disp. 3. q. 6.* Castillo *de fide, disp. 14. q. 6.* Bellarm. *lib. 1. de Concil. cap. 19.* Suarez *de fide, disp. 11. sect. 3. num. 9.* Anton. Perez *Benedictinus dub. 6. cap. 1. & seqq.* Amicus *tom. 4. disp. 8. sect. 2.* Bonæspei *tract. 2. de fide, disp. 5. dub. 2.* Lezana *tom. 3. Annal. an. 429. Corona tract. 2. cap. 11. §. 1.*

90. Quæstio 23. An Episcopi, alijque Prælati in Tridentinâ Synodo adstantes, verè iudices, aut tantùm consiliarij fuerint? Suarez *de fide, disp. 11. sect. 1.* Castillo de Velasco *de fide, disp. 14. q. 5.* Valentia *§. 45. in solut. ad 4. argum.* Canus *lib. 5. cap. 5. q. 2.* Bellarm. *lib. 1. cap. 18.* Turrecrem. *lib. 3. cap. 64.* Cortonius *lib. 3. controuv. 10. cap. 2. q. 6.* Azor *lib. 5. cap. 11. q. 4.* Pallavicin. *in hist. Trident. lib. 6. cap. 2.*

91. Quæstio 24. An Concilium Generale Tridentinum fuerit

proficuum & necessarium? Suarez *de fide, disp. 11. in præamb.* Bordonus *tom. 1. cap. 6. num. 213.* Giballinus *tom. 2. lib. 5. cap. 4. q. 2.* Bellarminus *lib. 1. de Concil. cap. 9.* Turrecremat. *lib. 3. cap. 9. & 10.* Pigijs *lib. 6. de Eccles. hierarch. Canus lib. 5. de locis.* Anton. Perez *Benedict. volum. 2. cap. 1. dub. 1.* Chirolus *de fide, disp. 4. diff. 2.* Cottonius *lib. 3. controv. 5. cap. 1. & seqq.*

92. Quæstio 25. An Spiritus Sanctus Concilio legitimè congregato immediatè assistat? De quò, *hic q. 20.*

93. Quæstio 26. Quòt Episcopi, & Prælati concurrere debeant ad Concilium, vt generale dicatur? Ex Angelicâ Scholâ Canus *lib. 5. cap. 3.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 4.* Turrecremat. *lib. 3. cap. 16.* Chalvet *tom. 7. lib. 2. q. 4. cap. 6.* Bâñez *2. 2. q. 1. art. 10.* Sylvius *lib. 5. de controv. q. 1. art. 11.*

94. Ex Subtili Scholâ Bordonus *tom. 1. cap. 6. num. 145.* Vega *in Trident. cap. 5.* Castro *de baref. cap. 1.* Boyvin *4 p. disp. 3. q. 4. & seqq.* Cottonius *lib. 3. controv. 10. cap. 2.* Castillo *de fide, disp. 14. q. 3. & seqq.* Castillent. *in Polyanth. Seraph. verb. Concil. cap. 7. & seqq.*

95. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de Concilijs disp. 11. sect. 2. à num. 2.* Amicus *tom. 4. disp. 8. sect. 3. & 4.* Bellarm. *lib. 1. de Concil. cap. 15.* Fragosus *tom. 2. lib. 1. disp. 1. §. 7. num. 93.* Turrianus *disp. 18. dub. 2.*

96. Ex alijs Baucius *in Miscel. pag. 82.* Anton. Perez *Benedict. p. 2. volum. 2. dub. 3. cap. 2.* Malderus *2. 2. tract. de Concilijs, disp. 1. dub. 4.* Corona *tract. 2. cap. 11. & seqq.* Bonæspei *tract. 2. de fide, disp. 5. dub. 2.*

97. Quæstio 27. An Concilio Generali Tridentino omnes Christi fideles interessè debuerint? De quò, *hic q. 26.*



DE FIDE, QUANTVM AD EIVS OBIE-
ctum, sivè materiam.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ QUARTÆ
Synopsis.

*Credita, sint oculis quantois incognita nostris,
Nota aliquo certum est, attamen esse modo.*

Sic incipit: *Hic queritur.*

Sic terminat: *Sed tamen creditur.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de fide quantum ad eius essentiam; sed in præsentî determinat de eâ quantum ad eius obiectum, & materiam: ergo rectè inter se hæc distinctiones consonare videntur.

2. Consequentia probatur: Etsi scientia suam sibi ab obiecto specificationem asciscat, nihilominus prius de scientiâ, quàm de ipsius obiecto ab omnibus pertractandum venit, vt crebrò Metaphisici tuentur: ergo si Magister in præsentî distinctione agit de fide quantum ad eius obiectum, & materiam, postquàm in antecedenti de ipsâ quantum ad eius essentiam determinarat, non incongruè procedit in earum connexionem.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister modum, quo fides sit de non visis absentibus. In secundâ vero statuit, qualiter non sit de visis præsentibus. In tertiâ autem, & ultimâ detegit parte, qualiter de omnino incognitis fides non sit.

4. **P**RO PRIMÆ igitur distinctionis partis perspicuâ intelligentiâ, prima ponitur conclusio: *Fides virtus theologica reverà est de non visis absentibus.* Quam solum pertinetat probare Magister ex cuiusdam quasi solutione, quod in distinctionis exordio proponit.

5. Indagat ergo Magister in litterâ: Si fides tantum de non visis est, quomodo tenet illud Christi Domini ad Apostolos, quod apud

Ioan.

Ioannem cap. 14. legitur: *Nunc dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis*; sed hæc verba innuere videntur, quòd fides fuerit Apostolis de non visis, seu de factis præteritis: igitur fides virtus theologica non est de non visis absentibus.

6. Respondet Magister negando Consequentiam, simulque illa evangelica Christi Domini ad Apostolos sic expendèdo verba, videlicet, quòd quanyis fides propriè non sit nisi de non visis, eam tamen largè sumendo, quandòque etiam credere dicimur quæ videmus, seu vidimus. At illa fides, quæ dicimus vſitatâ loquutione, nos ea credere quæ videmus, non est fides theologica, de quâ impræſentiarum agimus, cùm hæc propriè sit de non apparentibus. In hoc ergò spatioſo ſensu loquitur de fide Christus Dominus in Evangelio ad Apostolos.

7. Verùm præfata hæſitatio iam retroactis sæculis ante Magistrum præceſſerat in Auguſtino tract. 79. in Ioan. vbi illam profundè excitat, & ingenioſè ſolvit. Sic alloquitur: *Quid ſibi vult: Ut cum factum fuerit, credatis? Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur. Nam & Thomas, cui dictum eſt: Quia vidisti me Thoma, credidiſti, non hoc credidit quod vidit. Cernebat enim, & tangebatur carnem viventem, quam viderat morientem, & Deum credebat in carne latentem. Cernebat ergo mente, quod non videbat, per hoc quod ſenſibus corporis apparebat.*

8. En modò Auguſtini ex appoſitis illationem: *Ergo ſi dicuntur credi quæ videntur, ſicuti dicit vnusquisque oculis ſuis credidiſſe, non ipſa eſt, quæ in nobis adificatur fides; ſed ex rebus, quæ videntur, agitur in nobis, ut ea credantur, quæ non videntur.* Haſtenùs Auguſtinus de dobitatione, & ipſius ſolutione, vbi expreſſè tenet, non eſſe propriè fidem illam, quæ dicimus, nos credere quæ videmus, aut vidimus.

9. Sed oppones ipſum Auguſtinum lib. 2. quaſt. evang. cap. 39. dicentem: *Fidem eſſe de rebus præſentibus, quod erit in futuro, cùm per ſpectum Deum præſentem contemplantimur*; ſed hîc loquitur Auguſtinus de fide propriè ac ſtriçtè acceptâ, ſivè de theologica fide: igitur hæc non eſt de non visis absentibus.

10. Respondet Magiſter in litterâ, Auguſtinum hîc fidem non propriè accepſiſſe pro fide, quæ eſt habitus, quo credimus; ſed potiùs pro præmio, ſivè mercede fidei, ad quam credendo pervenitur, ut ex fide verborum tranſeat iuſtus in fidem rerum. Vnde fides propria ac theologica, circa quam hîc cum Magiſtro verſamur, eſt de non visis absentibus.

11. Sed dices modò in Auguſtinum maximè his verbis commen-
dan-

dantem fidem: *Hæc est laus fidei, si quod creditur, non videtur: ergo si in hoc sistit laus fidei, quia creditur, quod non videtur, cum in illâ felicissimâ beatorum sorte, nihil credatur; nisi quod videtur, reverâ laudabilior erit fides in viâ, quàm in patriâ; sed hoc prorsus dissonum rationi ab omnibus arbitratur: ergo immeritò ob hanc causam extollit Augustinus fidem.*

12. Respondetur, Augustinum meritò hâc causâ laudasse fidem; quia ibi non loquitur de quacunque laude, sed de laude meriti: Cum ergò hæc laus sit in statu viæ, & non patriæ, & circa actus pertinentes ad statum viatorum, & non ad beatorum sortem, iure optimo dicit Augustinus, quòd hæc est laus fidei, si quod creditur, non videtur. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

13. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis plenissimo capitulo, secunda statuitur conclusio: *Fides virtus theologica non dicitur esse de visis presentibus.* Pro cuius exactâ intelligentiâ, in hunc qui sequitur modum ambigit Magister in litterâ.

14. *An Divus Petrus fidem passionis habuerit, vel habere potuerit, cum hominem Christum oculis corporis patientem cernebat?* Et respondet Magister, Divum Petrum fidem passionis Christi Domini habuisse; non quia hominem mori vidit, sed quòd hunc Deum esse credidit; sicut nec nobis per hoc fides meretur, quòd credimus hominem crucifixum, mortuum, sepultum, &c. sed quòd eum credimus esse Deum.

15. Quod perspicuè probat ex Augustino Magister super Psal. 101. dicente: *Laus fidei est, non quia credit hominem illum mortuum, quod Paganus credit; sed quia credit eum glorificatum, & verum Deum: Non ergò fuit Petro fides credere hominem illum mori, quod oculis cernebat; sed credere Deum esse, qui moriebatur: ergo etiam Divus Petrus passionis Christi Domini fidem habuerit; non tamen in eo quòd credebat hominem pati, quia hoc videbat; sed in eo quòd credebat Deum esse, qui patiebatur: ergo quia fides virtus theologica nunquam poterit dici esse de visis presentibus.*

16. Sed oppones primo: De Divo Apostolo Thomâ legitur apud Ioannem cap. 20. *Quia vidisti me Thoma, credidisti;* Sed Divus Thomas veram de Christo Domino habuit fidem; eò quòd crediderit Iesum, quem vidit, & tetigit: ergo non implicat, quòd sit fides virtus theologica de visis presentibus.

17. Respondetur negando Consequentiam. Quia ex appositis cum Augustino in primâ huius distinctionis parte, satis claret, quòd Thomas non credidit quod vidit. Cernebat enim, & tangebatur car-

nam viventem, quam viderat morientem, & Deum credebat in eam, ac latentem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporis apparebat; ac proinde nunquam ex instantiâ consequitur, quod fides virtus theologica sit de visis presentibus.

18. Oppones secundo: Apostoli Christum Dominum passum ascendentemque in Cœlum certo certius viderunt; sed Christum Dominum esse passum, ipsumque ascendisse in Cœlum, duo fidei præcipui arbitrantur articuli; ergo cum Apostoli circa hos articulos fidem, & meritam non amiserint, revera fides virtus theologica poterit esse de visis presentibus.

19. Respondetur ex Magistro negando Consequentiam. Quia estò fides theologica, circa unum, & idem simul possit versari, non verò secundum idem; sicque Apostoli aliud de Christo Domino viderunt, & aliud crediderunt; viderunt ipsum pati, simulque ascendere in Cœlum; non autem per visum cognoverunt illum esse Filium Dei; atque adeò de visis presentibus fides virtus theologica non valet esse.

20. Oppones tertio: Conceptio mirabilis Filij Dei ex purissimis visceribus Immaculate Virginis Matris nihil suæ incomparabili detrahit fidei; sed Beatissima Virgo Maria inconcussa experientia novit se de Spiritu Sancto absque virilis seminis congressu Christum Dominum concepisse: igitur de visis presentibus fides virtus theologica cum Virginie Matre cohæret.

21. Respondetur ex ipso Magistro negando Consequentiam. Nam Beata Virgo Maria etiam experimento sensibili novit se concepisse sine virili semine de Spiritu Sancto Christum Dominum; nihilominus se concepisse personam Verbi divini revera mediante fide agnovit. Unde, quanvis materialis visio fidem virtutem theologicam non eliminat, nunquam tamen de visis presentibus datur fides. Et hæc de secunda distinctionis parte sufficiant.

22. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, tertia præficitur conclusio: *Quanvis fides theologica virtus non sit de cognitis visu exteriori, non inde omnino eliminat internam cognitionem.* Et pro huius rhe-matis adsequendâ veritate, quandam in litteram textus inducit dubitationem Magister.

23. Sic ergo incertâ mente fertur Magister in litterâ: *An sicut fides est de non visis, sive de non apparentibus, possit etiam esse de non cognitis?* Et pro negante parte, arguit primo: Si fides posset esse de non cognitis, etiam de ignoratis posset esse, eò quod incognita ignorentur;

tur; sed fides nequit esse de ignorantis: ergo de non cognitis non poterit esse fides.

24. Respondet tamen Magister duplicem in nobis distinguendo visionem, sive cognitionem; interiorem vnam, & aliam exteriorem: Cognitio exterior non confert ad fidem; interior verò, adhuc subdividitur in claram, & obscuram. Cognitio interior clara non pertinet ad fidem; sed solum obscura, & de sic cognitis per speculum, & in ænigmate est fides. Undè, de penitus ignorantis non est fides, etsi de aliquatenus ignorantis fides sit; quia etiam ante eorum fidem præcedit aliqua apprehensio, & propositio credibilium; proindeque fides non est de incognitis, sicut de non visis, sive de non apparentibus.

25. Sed oppones Augustinum lib. 8. de Trinit. cap. 4. dicentem: *Sciri aliquid, & non diligere potest. Diligere verò quod nescitur, quare verum possit. Si non potest, nemo diligit Deum antequam sciat. Vbi autem sunt illa tria fides, spes, & charitas, nisi in animo credente, quod nondum scit, & sperant, & amante quod credit? Amatur ergò, & quod ignoratur, sed tamen creditur: ergo non solum de aliquatenus ignorantis, verum de omnino ignorantis est fides; sicque sicut fides est de non visis, sive de non apparentibus, ita etiam poterit esse de non cognitis.*

26. Respondet Magister in litterâ negando Consequentiam. Quia etsi non possint sciri, & intelligi credenda quædam, nisi prius credantur; & quædam non credi, nisi prius intelligantur, & ipsa per fidem amplius intelligi; non inde ea, quæ prius creduntur, quam intelligantur, penitus ignorantur, eum fides sit ex auditu, aut ex aliâ naturali precedente notitiâ. Ignorantur tamen ex parte, quia non sciuntur. Creditur ergò quod ignoratur, sed non penitus, sicut etiam amatur, quod ignoratur: ergo nunquam consequitur, quod sicut fides est de omnino non visis, sive non apparentibus, possit etiam esse de his quæ penitus ignorantur.

27. Secundo probat Magister præcipuam conclusionis assumptionem: Plura à nobis creduntur, quæ naturali ratione assequuntur, vt Deum existere; cuius veritas discursu naturali habetur: ergo quavis fides theologica non sit de cognitis visa exteriori, non idè excludit omnino interiorè cognitionem. Cui dictum Augustini lib. 13. de Trinit. cap. 2. non immeritò favet: *Quædam ergò fide creduntur, quæ intelliguntur naturali ratione: Quædam verò, quæ non intelliguntur.* Unde Hieras cap 7. dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis:* ergo.

28. Tertiò, id ipsum suadet Magister in litterâ hoc Ambrosij testimonio, quod suggerit serm. 18. in Psal. 118. *Alia sunt, quæ vobis intel-*

ligamus, non credimus; alia quæ nisi credamus, non intelligemus. Nemo tamen potest credere in Deum, nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex audita prædicationis: ergo quia ea, quæ per naturalem discursum sunt assequibilia, non creduntur, nisi præintelligantur; ea verò, quæ illum eliminant, non cognoscuntur, nisi credantur, quia eorum notitia solum per fidem assequi valet: ergo benè colligitur, quod etsi fides theologica non sit de cognitis visu exteriori, non inde excludat omnem interiorem cognitionem.

29. Quartò tandem probat conclusionem Magister duplici Augustini, & Ambrosij autoritate. Sic affatur Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 7. *Certa fides, utcumque inchoat cognitionem; cognitio verò certa non perficitur nisi post hanc vitam.* Ita Ambrosius alloquitur serm. 10. in Psal. 118. *Vbi fides, non statim cognitio; vbi cognitio est, fides præcedit:* ergo quia aliquorum credibilium fidem præcedit naturalis cognitio; aliorum verò cognitionem præcedit fides: ergo quanvis fides theologica eliminat visionem exteriori sui obiecti; non tamen excludit notitiam interiorem naturalis discursus; atque adeò non sicut fides est de non visis, sivè de non apparentibus, potest etiam esse de non cognitis. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

30. **Q**VIESTIO 1. An obiectû fidei sit ita verum, quod ei non possit subesse falsum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 3. & in 3. dist. 24. q. 1. art. 1. Lumbier de fide, q. 4. art. 3. à num. 278. Ferreras de fide, disp. 3. dub. 5. Salmant. disp. 2. de fide, disp. 11. propos. 4. Ioan. à S. Thomâ tom. vnic. disp. 2. art. 4. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 1. art. 4. §. 1. Camerinus tom. 2. q. 1. art. 3. Torres 2. 2. disp. 3. dub. 3. Nicolai in 3. dist. 24. q. 1. art. 3. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 2. dub. 2.

31. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 24. q. vnic. Arbiol de fide, disp. 4. art. 3. Sendin tract. 7. controuv. 7. sect. 1. §. 1. & seqq. Frassen tom. 3. tract. 3. disp. 1. art. 1. q. 4. Duran. tom. 3. tract. 3. disp. 1. q. 4. Castillo de fide, disp. 3. q. 4. Lanterius de fide, disp. 11. propos. 4. Herincx p. 3. disp. 3. q. 2. Aquila in 3. dist. 24. q. 1. & seqq.

32. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 3. sect. 13. Peñafiel tom. 3. disp. 3. de fide, sect. 2. Turrianus de fide, disp. 3. dub. 3. Carleton tom. 2. disp. 8. sect. 2. Ant. on. Perez tract. 4. disp. 3. cap. 2. & 3. Valente in Concordiâ, sect. 4. pag. 154. Ripalda tom. 1. lib. 3. disp. 58. Tannerus tom. 2. disp. 3. q. 2. Conanch disp. 10. dub. 4. Platelius de fide, cap. 5. §. 2. num. 182.

33. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 24. art. 1. q. 1. Baudun. de fide, q. 47. art. 3. Abelli cap. 3. sect. 5. Bonæspei tract. 2. disp. 2. dub. 5. Caspenf. tom. 2. tract. 15. disp. 1. sect. 8. Chirilus de fide, disp. 1. difficult. 7. Malletus tom. 2. pag. 21. & seqq.

34. Quæstio 2. An assensus fidei possit coniungi cum visione intuitivâ Dei? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. p. q. 12. art. 13. Ferreras de fide, disp. 7. dub. 3. Torres 2. 2. disp. 43. dub. 4. Ioan. Espinosa Medrano tom. 1. dissert. 67. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 1. art. 6. Lumbier de fide, & incarn. q. 22. Nicolai in 3. dist. 31. q. 2. art. 1. & 2.

35. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 24. q. vnic. Castillo de Velasco de fide, disp. 10. q. 1. p. 3. Lanterius de fide, disp. 14. docum. 2. Pichon de fide, disp. 2. cap. 3. sect. 6. subsect. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. fides, cap. 7. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 24. q. vnic. Aquila in 3. dist. 24. q. 1. & seqq. Cortonius tom. 1. lib. 3. cap. 1. & seqq.

36. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 6. sect. 9. Amicus tom. 4. disp. 11. sect. 2. Arriaga disp. 37. sect. 2. Muniessa de Incarn. disp. 14. sect. 8. Tyrus tom. 3. disp. 3. num. 61. Anton. Perez tract. 4. disp. 3. cap. 10. Escobar tom. 6. lib. 47. cap. 17. dub. 30. Aldrete de Incarn. contror. 11. disp. 53. art. 1. Rhodès tract. 6. disp. 1. sect. 3. §. 2. Carleton tom. 2. disp. 19. sect. 2. & seqq.

37. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 24. q. 3. Alensis 3. p. q. 79. memb. 3. Gabriel in 3. dist. 24. q. 1. Durandus in 3. dist. 24. q. 1. Bonæspei tract. 2. disp. 3. dub. 8. Malletus tom. 2. pag. 12. Lorca de fide, disp. 15. memb. 1. & seqq. Eltius in 3. dist. 24. §. 2. & seqq. Baudun. q. 16. art. 1. & seqq.

38. Quæstio 3. An Mysteria fidei sint evidenter credibilia? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 42. art. 1. & seqq. Lumbier de fide, q. 8. art. 1. Ferreras de fide, disp. 10. propos. 3. Ioan. à S. Thomâ tom. vnic. disp. 4. art. 1. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 1. art. 8. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 2. dub. 3.

39. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 24. q. vnic. Arbiol de fide, disp. 5. art. 2. Macedo de Clavib. lib. 3. cap. 4. Poncius tract. 7. disp. 28. q. vlt. & in Comment. q. 2. prolog. num. 23. Herincx p. 3. disp. 3. q. 6. Mastrius tom. 3. disp. 6. q. 10. art. 1. & 2. Castillo de fide, disp. 5. q. 1. Lanterius de fide, disp. 10. propos. 3. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. fides, cap. 19. & seqq.

40. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. disp. 27. sect. 2. Rhodès tract. 6. disp. 1. sect. 4. §. 3. Escobar tom. 6. lib. 47. cap. 18. dub. 38. & seqq. Amicus tom. 4. disp. 3. sect. 4. Turrian. de fide, disp. 7. dub. 1. Peñatuel

- tom. 3. disp. 8. de fide, sect. 4. & seqq. Valente in Concord. sect. 6. pag. 177.
41. Quæstio 4. An D. Petrus habuerit fidem passionis, quando vidit Christum Dominum pati? De quò, *hic q. 2. & dist. 23. q. 10.*
42. Quæstio 5. Quomodò sit exponendum illud D. Thomæ affirmatum: Quia vidisti me, credidisti? De quò, *hic q. 2. & dist. 23. q. 10.*
43. Quæstio 6. An fides, & scientia de eodem simul compatiantur obiecto? De quo *hic dist. 23. q. 10.*
44. Quæstio 7. Quodnam sit obiectum materiale fidei? De quò, *hic dist. 23. q. 2.*
45. Quæstio 8. Quodnam sit obiectum formale fidei? De quò, *hic dist. 23. q. 3.*
46. Quæstio 9. An actus fidei possit esse falsus ex naturâ rei? De quò, *hic q. 1.*
47. Quæstio 10. Quomodò sint exponenda illa divina eloquia: Nunc dico vobis, priusquam fiat, & cum factum fuerit, credatis? De quò, *hic q. 4. & dist. 23. q. 1.*
48. Quæstio 11. An, ut fides divina subsistat, sit necesse credere, quod penitus ignoratur? De quò, *hic dist. 23. q. 10.*
49. Quæstio 12. An, qui omnino non ignorat quod credit, veram habeat fidem? De quò, *hic dist. 23. q. 10.*

DE FIDE ANTIQVORVM.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ QVINTÆ

Synopsis.

*Quisquis ad aetheras sedes confederit & squam,
Hunc mediatoris iuvit aperta fides.*

Sic incipit: *Predicitis.*

Sic terminat: *Sine ipsis.*

I. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de fidei obiecto, seu materiâ, sed in præcænti determinat de ipsius subiecto, sive de credentibus per eam: ergo aptè & iacissimè coherentur.

2. Consequentia probatur: In fide virtute theologicâ tria præfertim meditari debent, scilicet, essentia, obiectum, & subiectum, siue credentes per eam; sed Magister in superiori distinctione determinavit de obiecto fidei, siue de his, quæ creduntur, postquam in antecedenti de fidei essentiâ egerat: ergo dum in præsentî de subiecto, siue de credentibus per eam disserit, haudubiè rectè procedit.

3. Dividitur præterea distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ statuit Magister, qualiter antiquorum patrum, secundum temporis cursum, creverit fides. In secundâ verò declarat, fidem, spem, & charitatem, pro huius viæ statu, æqualitatem sortiri. In tertiâ autem, & ultimâ expendit parte, charitatem ex fide, & spe aliquomodò suboriri.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis indagine, prima proponitur thesis: *Fides antiquorum patrum, sicut & Dei cognitio, temporis decursu, mirum in modum accrevit.* Quam primo breviter expendit Magister, quatuor postmodum excitans dubia in ipsius vberiore probacionem.

5. Sic illam obiter primò declarat in litterâ textûs Magister: Fides enim secundum temporis processum accrevit in his, qui ante Christi Domini floruerunt adventum, & post ipsius adventum, sicut Dei cognitio profecit, etiam temporum decursu; sed qui ante Christi Domini adventum floruerunt, reverà sunt hi, qui passim ab omnibus antiqui appellantur patres: ergo quia fides eorum accrevit, sicut & cognitio Dei, secundum temporis cursum.

6. Secundò, etiam sic assertum referare tentat Magister: Fides equidem, magna dicitur cognitione, articulorum quantitate, constantiâ, & devotione credentium; sed hos ferace proventus fides afferre non potuit, nisi secundum temporis processum: igitur fides antiquorum patrum, sicut & Dei cognitio, temporum decursu, mirabiliter pubescere cepit.

7. Undè contentanèe his subdit Magister in litterâ, quâdam fidei esse mensuram, siue quâ nunquam potuit esse vera salus. Quod probat per Apostolum ad Hebræos cap. 11. dicentem: *Oportet accedentem ad Deum credere, quia Deus est, & quod remunerator est sperantium in se:* ergo et si patrum antiquorum fides per temporis profecerit cursum; tamen sine fide Mediatoris, nullus homo, nec ante, nec post ipsius adventum, fuit salvus.

8. Modò iam Magister primum sic suggerit dubium ad fidei incrementum spectans: *Quavis absque controversiâ sit, quod tantum*

credere Deum esse, & ipsum esse in se sperantium pium remuneratorem, non sufficiebat ad salutem post Christi Domini adventum, sine alijs articulis contentis in symbolo: An ante ipsius adventum antiquis suffecerit patribus? Et respondet Magister negantem amplectendo partem, quam aliquibus congruentijs, & Patrum autoritatibus illustrare pertentat.

9. Primò: Quia ex quo omnes ab Adamo descendentes erant obnoxii peccato, nullus ipforum sine fide Christi Domini Mediatoris poterat fieri salvus: ergo quia omnes qui salvi fuerunt, profectò fidem Christi Domini Mediatoris habuerunt: ergo quanvis antiqui patres crediderint Deum esse, & ipsum esse in se sperantium pium remuneratorem, non sufficiebat ipsis hæc fides, sine Mediatoris fide, ad salutem assequendam.

10. Secundò: Licet tempora sint immutata, eadem in antiquis patribus, & nobis fides eluxit; quia quemadmodum nos credimus Christum Dominum passum; ita ipsi crediderunt ipsum passurum; & sic de alijs mysterijs, quæ nos credimus; sed post Christi Domini adventum, non sufficit nobis ad salutem, credere Deum esse, ipsumque esse remuneratorem in se sperantium, absque Christi Domini Mediatoris fide: ergo nec ante ipsius adventum fides illa potuit esse sufficiens antiquis patribus ad salutem, sine Mediatoris fide.

11. Tertio ex Augustino ad Optatum Epist. 157. scribente: *illa fides sana est, quæ credimus nullam hominem, sive maioris, sive minoris ætatis, liberari à contagione mortis, & obligatione peccati, quod primâ nativitate contraxit, nisi per unum Mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum; cuius hominis eiusque Dei saluberrimâ fide etiam illi iusti salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carnem, crediderunt in carnem venturum: ergo profundè hoc Augustini mente agitato testimonio, quis inficias ibit dubij resolutionem?*

12. Quartò, eodem ex Augustino lib. de corrup. & grat. cap. 7. id ipsum probat Magister, dicente: *Nemo liberatur à damnatione, quæ per Adam facta est, nisi per fidem Iesu Christi; sed ex eo quòd nemo liberetur à damnatione, quæ per Adam facta est, nisi per fidem Iesu Christi, omnes per fidem Mediatoris salvantur, sive ante, sive post ipsius pijsimum adventum: ergo.*

13. Quintò, Augustinus ipse lib. 2. de nupt. & concup. cap. 14. sic concinniter super his suam mentem absolvit: *Eadem fides Mediatoris, quæ nos salvat, salvos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis; quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum; & sicut vos mortuum, ita illi moriturum; & sicut nos resurrexisse, ita illi resurre-*

Eturum; & nos, & illi ad iudicium vivorum, & mortuorum venturum: ergo cum eadem Mediatoris fides ante, & post illius floruerit adventum, omni tempore mundi, fuit hominibus ad salutem necessaria.

14. Sextò tandem Gregorius homil. 17. in Ezechielem, egregiè rem acu tetigit: *Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna Filio David, quia omnes electi, qui in Iudæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesiâ sunt, in Mediatorem Dei, & hominum crediderunt, & credunt: ergo quia nulli unquam fuit salus facta, nisi per fidem Mediatoris.*

15. Secundam sic de simplicium fide suppeditat quæsitum Magister: *Quomodo simplices antiqui assequebantur salutem, si profundum incarnationis Mysterium eis revelatum non fuerat? Et respondet Magister in litterâ, aptè dici posse, nullum fuisse iustum, vel salvum, cui non foret facta revelatio, vel distincta, vel velata, vel in aperto, vel in mysterio. Distincta, ut Abrahæ, & Moysi, aliisque maioribus, qui distinctionem articulorum habebant: Velata, ut simplicibus, & minoribus, quibus revelatum erat ea esse credenda, quæ credebant illi maiores, & docebant, sed eorum distinctionem apertam non habebant.*

16. Quod sacræ paginæ autoritate, & ratione suadere tentat. Primò ratione: *Quemadmodum modò aliqui minis capaces sunt in Ecclesiâ, qui articulos symboli distinguere, & assignare non valent; omnia tamen credunt, quæ in symbolo continentur; sic tunc erant aliqui simplices, & minus-capaces, qui incarnationis Mysterium distinctè non agnoscebant, sed tamen credebant ea, quæ maiores credebant, & docebant, etsi eorum apertam non habuerint distinctionem: ergo quia nullus hæcenus fuit salvus, cui incarnationis Mysterium aliquomodò revelatum non fuerit.*

17. Secundò probat ex illo Iob cap. 1. & 3. Regum, cap. 17. dicente: *Boves arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos; sed simplices, & minores sunt asinæ pascentes iuxta boves; quia humilitate maioribus adhærendo, in mysterio credebant, quæ & illi in mysterio docebant; qualis fortè fuit vidua Sareptana: ergo cum simplices, & minores impliciter hoc incarnationis Mysterium in fide maiorum crediderint, quibus expressius fuerat revelatum; non incongruè deducitur, nullum fuisse, aut posse esse hominem salvum absque huius mysterij distinctâ, aut velatâ notitiâ.*

18. Tertiam his verbis quæstionem proponit Magister: *Si absque fide Mediatoris antiquis non fuit salus, sicut nec nobis: An oportuerit illos*

credere omnia illa de Christo Domino Mediatore, quae nunc credimus? Et respondet Magister in litterâ, nonnullas de hac re recensendo sententias, earumque fundamenta aperiendo, tametsi quid super his sit determinatè tenendum, non decernat in textu.

19. Aliquot enim dixerunt, quòd tunc suffecisset antiquis, quatuor tantùm articulos de Christo Domino credere Mediatore, scilicet, nativitatem, mortem, resurrectionem, & iudicium. Quod duntaxat probant quadam Augustini auctoritate nuper appositâ, dicenteque: *Eadem fides Mediatoris, quae nos salvat, salvos iustos faciebat antiquos; quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum; & sicut nos mortuum, ita illi moriturum; & sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum; & nos, & illi ad iudicium vivorum, & mortuorum venturum: ergo videtur, quòd suffecerit illis ad salutem quatuor tantùm articulos Christi Domini Mediatoris credere, nempe nativitatem, mortem, resurrectionem, & adventum ad iudicium.*

20. Alij verò asserbant, suffecisse eis cum fide Trinitatis primum, & ultimum articulum credere, quippè, Christi Domini nativitatem, & ipsius adventum ad iudicium. Sic suam sententiam suadere tentabant: Divus Ioannes Baptista de morte Christi Domini eiusque descensu ad inferos in Evangelio dubitasse videtur, secundum Magni Gregorij homil. 6. in Evang. expositionem, dum interrogavit per discipulos: *Tues qui venturus es, an alium expectamus? Quasi diceret: Es tu per teipsum descensurus ad infernum, an alium ad hac sacramenta missurus? Ergo quia ad salutem assequendam non erat necessarium antiquis illos quatuor articulos credere, cum sufficeret ipsis primum, & ultimum cum fide Trinitatis credere.*

21. Verùm quidam è regione sustinent, Ioannem non dubitasse de ignorantia, sed de pietate, idest, dubitare se ostendisse; non quia ignoraverit, sed pietatis affectu compassum esse Christo Domino, eiusque humilitatem admirando insinuassee. Quid ergò de his geminis opinionibus sic tenendum, Magister non determinat in litterâ textus.

22. Quartum, & ultimum sic ministrat dubium Magister: *An Cornelius Centurio de Christi Domini incarnatione fidem habuerit? Et pro utraq; parte arguit Magister. Primò pro affirmante ita discursare videtur: Sine incarnationis Christi Domini fide Cornelius Centurio iustus non fuisset; sed de illo legitur apud Apostolorum Acta cap. 10. quòd fuerit vir iustus ac timens Deum: ergo quia fidem incarnationis Christi Domini habuit.*

23. Secundo, similiter arguit pro negante parte Magister; Si Cornelius Centurio fidem de Christi Domini incarnatione habuisset, incassum Divus Petrus fuisset ad eum missus; sed Divus Petrus fuit ad Cornelium missus, ut eum instrueret de fide: ergo quia non habebat fidem de Christi Domini incarnatione.

24. Respondet tamen Magister, Cornelium Centurionem, sicut fidem Trinitatis, ita & incarnationis Christi Domini habuisse fidem ex Dei revelatione; sed incarnatum iam esse Dei Filium ignorasse; & ideo missus est Divus Petrus, ut iam natum Dei Filium ei annuntiaret, & sacramentum regenerationis ei conferret. Habebat ergo fidem incarnationis, sed an facta, vel futura esset, non noverat; & ita per fidem venit ad opera, & per opera amplius solidatus est in fide; ita ut per illam ipsius opera fuerint à Deo accepta, & orationes exaudita. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

25. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis discussione, secunda statuitur thesis: *Virtutes Theologicae, fides quippè, spes, & charitas, pro huius statu viæ, æquales sunt intensivè.* Quam solâ Divi Gregorij autoritate firmat Magister.

26. Sic super Ezechielem homiliâ ultimâ scribit Gregorius: *Fidem, spem, & charitatem atque operationem, dum in hac vita vivimus, æquales sibi esse apud nos invenimus; quia quantum credimus, tantum amamus & quantum amamus, tantum de spe præsumimus:* ergo si in viâ quantum credimus, tantum amamus; & quantum amamus, tantum de spe præsumimus, bene colligitur, fidem, spem, & charitatem atque operationem, pro statu isto, esse æquales intensivè.

27. Sed oppones Apostolum 1. Corinth. cap. 13. dicentem: *Maior autem horum est charitas;* sed ex eo quòd charitas sit maior fide, & spe, virtutes theologicæ, pro statu viæ, non possunt esse intensivè æquales: ergo.

28. Respondet Magister negando Minorem, & Consequentiam. Quia Apostolus haud dubiè ea scripsit, quoniam charitas in patriâ manet, ubi fides, & spes evacuabuntur, iuxta illud ipsius Apostoli: *Charitas nunquam excidit, &c.* Vel quia charitas est mater omnium virtutum; non verò quia in actuum intensione æquales non sint.

29. Subdit tandem Magister, quòd licet charitas in ordine post fidem, & spem annumeretur, non ideo est, quia ex eis suboritur, sed quia illis transactis, charitas semper manet, quia charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

30. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis disquisitione, tertia paratur thesis: *Ex fide, & spe charitas aliquomodo procedere dicitur.* Hanc utique probat conclusionem Magister quadam ex obiectionis solutione, quam proponit in litterâ

31. Obijcies ergo per Divum Paulum 1. ad Thimotheû, cap. 1. scribentem: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ.* Quod expendens Augustinus lib. de doctr. christ. cap. vii. cor accipit pro intellectu, & conscientiam pro spe, dicens: *Qualis charitas est finis præcepti pro edens de corde puro, idest, de puro intellectu, ut nihil nisi Deus diligatur; & conscientia, idest, de spe bonâ, & fide non fictâ, idest, non simulata: ergo videtur, quod charitas ex fide, & spe oriatur.*

32. Respondet Magister ad obiectionem, simulque ad Augustini autoritatem, verba illa non sic esse capienda, quod fides, & spes causâ, vel tempore charitatem præcedant quæ est omnium virtutum ac bonorum mater; sed quia charitas sine illis esse non potest, etsi istæ sine charitate valeant esse; quanvis non sit pia fides, vel spes sine charitate: ergo ex fide, & spe procedere dicitur charitas, quia nulli provenit sine istis. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

33. **Q**VESTIO 1. An actus fidei iofusa sit necessarius ad salutem? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 6. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 6. art. 3. Camerinus tom. 2. q. 2. art. 3. Prado in Theolog. Moral. cap. 7. q. 2. q. 1. Cayetan. 2. 2. q. 2. art. 3. Canus in relect. de Sacram. p. 2. q. 2. conclus. 1. Ioan. à S. Thomâ 2. 2. disp. 4. art. 1. Montelîn. 1. 2. q. 89. disp. 19. q. 3. Zumel 1. 2. q. 111. art. 4. Torres disp. 15. dub. 1. Sotus in 4. dist. 1. q. 2. art. 3. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 4. dub. 3.

34. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 23. q. vnic. Arbiol de fide, disp. 1. art. 6. Macedo de Clavib. lib. 3. cap. 1. & 2. Pichon de fide, disp. 2. cap. 1. diffi. 3. Poncius tract. 9. disp. 35. q. 2. Maltrius tom. 3. disp. 6. q. 15. art. 1. & 2. Castillo de fide, disp. 11. q. 1. & 2. p. 1. & seqq. Lanterius de fide, disp. 12. propos. 1. & seqq. Vega in Trident. cap. 17. & 20. Villalobos tom. 2. tract. 1. difficul. 3. num. 3. Corduba lib. 2. q. 5. propos. 1. Herincx p. 3. disp. 7. q. 4. Pitygian. in 3. dist. 23. art. 10. & 11. Cavellus in Schol. in 3. dist. 23. q. vnic.

35. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 12. sect. 2. Arriaga tom. 5.

tom. 5. disp. 2. & 13. sect. 3. Lugo de fide, disp. 12. sect. 1. Escobar tom. 6. lib. 47. sect. 1. cap. 3. Amicus tom. 4. disp. 13. sect. 1. Peñafiel tom. 3. disp. 8. sect. 1. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 15. sect. 1. Oviedo de fide, controv. 7. punct. 2. Gordonus tom. 2. q. 12. cap. 1. Valente in Concordiâ, q. 5. sect. 1. pag. 349. Palao tract. 4. disp. 1. punct. 8. Filliucius tom. 2. tract. 22. cap. 1. q. 7. Ripalda de fide, disp. 17. sect. 13.

36. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 25. q. 1. art. 1. Lorca de fide, disp. 18. num. 9. Bonæpei tract. 2. disp. 7. dub. 1. Caspens. tom. 2. tract. 15. disp. 2. sect. 4. Verde tit. 1. §. 2. num. 23. Caramuel in Theolog. Intent. num. 1826. Boverius tom. 2. demoustr. 2. art. 1. Malletus tom. 2. pag. 12. Ettius in 3. dist. 25. §. 1. & seqq. Gabriel in 3. dist. 25. q. 1. Alenf. 3. p. q. 69. memb. 3.

37. Quæstio 2. An omnia, quæ in Symbolo Apostolico continentur sint ad salutem necessaria? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 8. & in 3. dist. 25. q. 1. art. 2. Sylvius 2. 2. q. 2. art. 7. Ioân. à S. Thomâ tom. vnic. disp. 6. art. 1. & seqq. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 6. art. 1. Camerinus tom. 2. q. 1. art. 9. Bancel tom. 1. verb. fides, q. 2. Banez 2. 2. q. 2. art. 8. Canus in relect. de Sacram. cap. 1. Nicolaï in 3. dist. 25. q. 1. art. 5. Rayner. de Pisis tit. 3. verb. Symbolum, cap. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 1. dub. 8.

38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 25. q. 1. Arbiol de fide, disp. 2. art. 3. Boyvin de fide, cap. 2. q. 7. Lanterius de fide, disp. 12. prop. 1. pag. 300. Castro lib. 1. de iust. hæreticor. punit. cap. 9. Herinæx p. 3. disp. 7. q. 4. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 25. q. 1. Aquila in 3. dist. 25. q. 1. art. 1. Gallus in 3. dist. 25. cap. 1. & seqq. Vega in Trident. lib. 6. cap. 20. Ptygianus in 3. dist. 25. art. 10. & seqq.

39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 13. sect. 4. & seqq. Escobar tom. 6. lib. 47. cap. 18. dub. 40. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. dub. 9. Peñafiel tom. 3. disp. 8. de fide, sect. 4. & seqq. Carleton tom. 2. disp. 15. sect. 1. & seqq. Filliucius tom. 2. tract. 22. cap. 2. q. 3. Gordonus tom. 2. q. 12. cap. 2. Valente in Concordiâ, sect. 8. pag. 190. Fernandez in exam. theolog. part. 1. cap. 4. §. 2. Lugo de fide, disp. 13. sect. 4. num. 63. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 2. q. 1.

40. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 25. q. 1. art. 1. Baudun. de fide, q. 47. art. 4. dub. 1. Bassæus verb. fides, num. 9. Caspens. tom. 2. tract. 15. disp. 1. sect. 12. Verde tit. 1. de fide, §. 38. Leander tom. 6. tract. 2. disp. 1. q. 43. Verricellus tit. 1. de fide, q. 4. sect. 4. & seqq. Sayrus in Clar. Regiâ, lib. 2. cap. 9. Boverius lib. 2. exam. 2. cens. 4. Malletus tom. 2. pag. 14. Campetus p. 1. tract. 3. art. 1. lect. 1. interrogat. 1. & seqq.

- Chyrolus *de fide, disp. 2. difficul. 2.* Estius *in 3. dist. 25. §. 2. & seqq.*
41. *Quæstio 3. An teneamur explicite credere omnes articulos fidei? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 6 & in 3. dist. 25. q. 2. art. 1. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 6. art. 4. Sylvius 2. 2. q. 2. art. 8. Medina de restit. lib. 1. cap. 14. §. 2. Camerinus tom. 2. q. 2. art. 5. Prado in Theolog. Moral. cap. 7. q. 3. §. 1. & seqq. Cayetan. 2. 2. q. 1. dub. 3. Ioan. à S. Thomâ 2. 2. disp. 2. art. 1. Canus lib. 12. de locis, cap. 4. Bañez 2. 2. q. 1. art. 5. Arauxo 2. 2. q. 1. dub. 3. D. Antonin. 4. p. tit. 8. cap. 4. §. 2. Bancel tom. 1. verb. fides, q. 5. Nicolai in 3. dist. 25. q. 2. art. 1. & seqq. Philipp à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 4. dub. 6.*
42. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 25. q. 1. Arbiol de fide, disp. 6. art. 8. Lauræa disp. 10. de fide, art. 2. Pichon de fide, p. 2. disp. vnic. cap. 1. diff. 2. subsect. 1. Matrius disp. 10. de præcep. q. 1. art. 1. & seqq. Castro lib. 2. de legib. pœnal. cap. 14. Villalob. tom. 2. tract. 1. difficul. 3. Corduba lib. 2. q. 4. propos. 3. Vega in Trident. cap. 17. & 30. Delgadillo de pœnit. cap. 8. dub. 7. Herincx p. 3. disp. 7. q. 5. & 6. Gallus in 3. dist. 25. cap. 2. & seqq. Pitygian. in 3. dist. 25. art. 10. & 11.*
43. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez de fide, disp. 12. sect. 3. Lugo de fide, disp. 12. sect. 4. Ripalda disp. 17. sect. 15. Palao tract. 4. disp. 1. punct. 9. Efcobar tom. 6. lib. 47. sect. 1. cap. 6. Amicus tom. 4. disp. 13. sect. 3. Peñafiel tom. 3. disp. 8. sect. 3. & seqq. Anton. Perez tract. 4. disp. 3. cap. 12. Filiucius tom. 2. tract. 22. cap. 1. q. 8. & 9. Fagandez tom. 1. lib. 1. cap. 2. Mendo in Statera, disp. 1. q. 1. Valente in Concordiâ, q. 5. sect. 2. pag. 354. Hurt. de Mendoza 2. 2. disp. 44. sect. 1.*
44. *Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 25. art. 1. q. 3. Bassæus verb. fides, num. 9. Sayrus in Clav. Regiâ, lib. 2. cap. 9. Diana p. 3. tract. 5. resol. 48. Lorca de fide, disp. 14. num. 14. & seqq. Bonacina tom. 2. disp. 3. q. 2. punct. 2. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 2. Caspens. tom. 2. tract. 15. disp. 3. sect. 6. Estius in 3. dist. 25. §. 1. & 2. Verde tit. 1. de fide, §. 35. num. 64. Verricellus tit. 1. de fide, q. 4. sect. 1. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 14.*
45. *Quæstio 4. An fides creverit quoad credendorum numerum? D. Thomas in 3. dist. 25. q. 2. art. 2. D. Bonaventura in 3. dist. 25. art. 2. q. 1. Ateni. 3. p. q. 68. memb. 9. art. 2. Baudun. de fide, q. 47. art. 3. dub. 1. Camerinus tom. 2. q. 1. art. 7. Turrian. de fide, disp. 13. dub. 2. Caspens. tom. 2. tract. 15. disp. 1. sect. 13. Nicolai in 3. dist. 25. q. 2. art. 5. Chyrolus de fide, disp. 2. difficul. 1. Philipp à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 4. dub. 6.*
46. *Quæstio 5. An omnis actus salutaris procedat ex fide infusâ? De quâ, tom. 2. dist. 26. q. 8.*

47. Quæstio 6. Quid sit peccatum originale, eiusque formalis ratio? De quò, *tom. 2. dist. 30. q. 1.*

48. Quæstio 7. An per solam fidem Christi Domini salvetur omne genus humanum, & aliter salvari non possit? De quò, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 3.*

49. Quæstio 8. An simplices, & rudes homines teneantur credere omnes articulos, qui in Apostolorum Symbolo continentur? De quò, *hic q. 3.*

50. Quæstio 9. An sine fide Mediatoris salutem consequerentur Antiqui? De quo, *hic q. 1. & 2.*

51. Quæstio 10. An pro salute assequendâ sufficiat credere natiuitatem, mortem, resurrectionem, & adventum Christi Domini? De quò, *hic q. 2.*

52. Quæstio 11. An pro salutis æternæ assequutione sit satis credere Mysterium de Verbi divini incarnatione? De quò, *hic q. 2.*

53. Quæstio 12. An Cornelius, cuius meminit Apostolorum Acta, habuerit fidem incarnationis? De quò, *hic q. 3.*

54. Quæstio 13. An sit de fide, sanctificationis formam esse habitum? De quò, *tom. 1. dist. 17. q. 9.*

DE SPE.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ-SEXTÆ

Synopsis.

*Spes sacrata fidem comitatur passibus æquis,
Quam de non visis rebus habere soles.*

Sic incipit: *Spes autem est virtus.*

Sic terminat: *Ad speciem.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de subiecto fidei, siue de credentibus per eam; & hactenus de primâ theologiarum virtutum, fide quippè; sed in præsentî determinat de spe, quæ est secunda theologica virtus: igitur in rectam connexionem devenire, satis congruè pro comperto habetur.

2. Consequentia probatur: In ordine theologiarum virtutum primò recensetur fides, & postea spes, vt claret ex ingeminatis sacrae paginæ locis, præsertimque ex Apostolo 1. Corinth. cap. 13. ergo rectè procedit Magister, dum in præsentì determinat de spe, secundum inter virtutes theologicas occupante locum, postquam de fide in antecedenti egerat, quæ ad primum spectare videtur.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expendit Magister spei virtutis theologicae essentiam. In secundâ verò declarat, qualiter spes sit de non visis, sicut & fides. In tertiâ autem, & ultimâ tenet, fidem, & spem, in quantum virtutes, in Christo Domino non fuisse.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis ostensione, primum præficitur assertum: *Spes secunda theologica virtus, dupliciter in litterâ textûs describitur à Magistro.* Quod solummodò probare tentat ex concisâ recensione explanationeque spei descriptionum, quas manu brevi suppeditat Magister in litterâ.

5. Prima spei theologicae virtutis definitio sic inscribitur à Magistro: *Virtus, quæ spiritualia, & æterna bona sperantur, idest, cum fiducia expectantur.* Hæc etenim descriptio duotaxat desumitur ex virtutis spei ad suum obiectum comparatione, vt expressè ex ipsius terminis constat.

6. Sed oppones: Bonum æternum est unum, & non plura, nempe summa, & infinita Dei bonitas: ergo non bene describitur à Magistro spes virtus theologica, dum sustinet esse virtutem, quæ spiritualia, & æterna bona sperantur, idest, cum fiducia spectantur.

7. Respondetur cum Magistro negando Consequentiam. Bene enim in spei virtutis descriptione pluraliter dicitur, quæ æterna bona sperantur; non quia plura sint bona æterna; sed quia bonum æternum, quod est ipsa infinita bonitas, omnia bona superexcellit ob sui eminentiam. Vnde æterna bona pluraliter apposuit Magister, non propter æternitatis multitudinem, sed propter boni expectati omnimodam plenitudinem.

8. Secunda spei virtutis descriptio sic in litterâ proponitur à Magistro: *Certa expectatio futura beatitudinis proveniens ex gratiâ Dei, & ex meritis præcedentibus ipsam rem speratam, idest, beatitudinem æternam.* Hæc autem spei definitio reverâ desumitur per comparationem ad suum obiectum, actum, & principium, vt ex ipsius terminis claret; ideòque exactior complectiorque, quàm prima, ab omnibus arbitratur.

9. Tamen hic observare oportet quod Magister animadvertit in littera, videlicet, quod sine gratia Dei, & meritis, vel saltem sine merendi proposito, sperare futuram æternamque beatitudinem, non est spes theologica virtus, sed præsumptio dici potest.

10. Oppones ex Philosophi doctrinâ lib. 6. top. cap. 1. Quod est in motu, nequit definiri per id quod est in quiete; nec quod est in quiete, per id quod est in motu; sed expectare, est quiescere; sperare verò, est tendere in rem speratam: igitur spes theologica virtus ineptè hic per expectationem describitur à Magistro.

11. Respondetur ex Divo Bonaventurâ, & Magistro negando Consequentiam. Quanvis enim expectatio sit quies corporis, est tamen quædam sollicitudo animi; quia expectans, profectò appulsum desiderat expectati; at expectatio secundum quod ponitur in spei virtutis descriptione, non est expectatio corporis, sed potius animi, eò quod sit quædam imaginatio propensioque respectu beatitudinis æternæ, sive finis assequendi; atque adeò in præscriptis dialecticis definiendi non deficit Magister. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient.

12. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis dilucidatione, secundum præfigitur assertum: *Quemadmodum fides est de non visis; sic de rebus non visis dicitur spes.* Pro cuius plenissimo captu, convenientiâ, & discrimen inter fidem, & spem adinventum, assignat Magister in littera, præmissâ tamen quadam Augustini autoritate.

13. Primò probat assertum Magister hoc Augustini testimonio in Enchir. cap. 8. *Fidem appellamus earum rerum, quæ non videntur. De spe quoque dicitur: spes, quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat?* Ergo si fides appellatur earum rerum, quæ non videntur; & spes, quæ videtur, non est spes, rectè consequitur, quòd sicut fides est de non visis, sic de rebus non visis dicatur spes.

14. Sed dices: Si quemadmodum fides est de non visis; sic de rebus non visis diceretur spes, sanè fides, & spes idem haberent obiectum in quod tenderent; sed quo pacto idem in quod tenderent haberent obiectum, fides, & spes inter se non dissiderent, essentque non plures, sed vna theologica virtus, cum ab eodem obiecto suum sibi arrogarent specificum esse: ergo si fides necessario est distinguenda a spe, non poterit esse spes de rebus non visis, sicut fides est.

15. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Minorem, & Consequentiam. Quia etsi fides, & spes sint de rebus non visis, tendantque simul in idem obiectum, non inde deducitur, quòd sint vna

theologica virtus, & non plures; quia non sub eadem ratione, sed sub diversis illud attingunt. Et quidem; quia fides est de non visis, in quantum sunt invisibilia; spes verò, de non visis, in quantum sunt non habita, sed habenda; cum nemo speret illud quod possidet, sed id solummodò quod habendum est.

16. Secundo, assignat Magister convenientiam inter fidem, & spem, ut facilius discrimen inter utramque virtutem deprehendat. Fides enim propriè est de rebus non visis; sed spes etiam propriè est de rebus non visis: igitur obiectum circa quod versantur fides, & spes, reverà utrique ipsarum virtutum commune censetur: ergo quod attrinet ad non videri, vel quæ creduntur, vel quæ sperantur, fidei, & spei virtutibus theologicis valde commune arbitratur.

17. Tertio, ostendit multifariè Magister discrimen inter fidem, & spem. Primò; quia fides est de non visis, in quantum sunt invisibilia; spes verò, in quantum sunt non habita, sed habenda. Secundò; quia fides est de bonis, & malis; spes autem de bonis tantùm. Tertio; quia fides est de presentibus, præteritis, & futuris; spes verò, tantummodò de futuris. Quarto; quia fides est de rebus suis, & alienis, scilicèt, de pertinentibus ad ipsum credentem, & de non pertinentibus ad ipsum; spes autem est de bonis tantùm spectantibus ad ipsum sperantem: igitur fides, & spes maxime inter se discrepare videntur.

18. Sed oppones: Suppari gressu est discursandum de spei virtute, ac de fidei, & charitatis virtutibus; sed fides, & charitas possunt non tantùm esse de bonis proprijs, sed etiam de communibus bonis: ergo & spes poterit esse de bonis proprijs, & alienis: igitur quoad hoc, nullum inter fidem, & spem adinvenitur discrimen.

19. Respondetur ex appositis cum Magistro negando Maiorem, & Consequentiam. Quia quælibet ex his theologicis virtutibus suo proprio ac formali positur constitutivo. Spes ergò proprijsimè accepta, cum sit expectatio certa futuræ beatitudinis proveniens ex gratiâ Dei, & ex meritis præcedentibus ipsam rem speratam, non valet esse respectù boni alieni, sed proprii; quia nemo redditur securus de salute, nisi per merita propria; ac proinde nullum super his de fide, & charitate virtutibus adest cum spei virtute simile. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficient.

20. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis arguto examine, tertium proponitur assertum: *Christus Dominus, etiam pro huius vite statû, nec fidem, nec spem habuit, cum clarissimè Deum viderit,*

& bona aeterna comprehenderit. Quod suadere pertentat ex cuiusdam quaesiti solutione in ipsius textus litterâ apposita.

21. Indagat ergo Magister: *Utrem fides, & spes in Christo Domino fuerint?* Et respondet in litterâ, quibusdam non indoctè placuisse, fidem, & spem, in quantum sunt virtutes, in eo non fuisse. Quod nonnullis congruentijs probare videtur.

22. Primo: Quia fides, & spes, in quantum virtutes, non sunt in beatis, sivè in Angelis, etiamsi credant, & sperent resurrectionem futuram, quia ipsi, & Deo per speciem contemplando fruuntur, & in Dei Verbo resurrectionem futuram, non per speculum in aenigmatè, sed clarissimè inspiciunt; sed Christus Dominus non aenigmaticam, sed claram habuit omnium cognitionem, etsi crediderit, & speraverit resurrectionem tertiâ die futuram: igitur Christus Dominus fidem, & spem, in quantum sunt virtutes, non habuit.

23. Secundo: Fides, & spes sunt de non visis, etsi fides sit de ipsis in quantum sunt invisibilia; spes verò in quantum sunt non habita, sed habenda; sed Christus Dominus etiam pro huius viâ statu, clarissimè Deum vidit, & bona aeterna comprehendit: ergo quia neutra harum theologialium virtutum in Christo Domino fuit.

24. Sed oppones primò illud Psal. 30. *In te Domine speravi, &c.* sed hoc dicitur in personâ Christi Domini: igitur Christus Dominus habuit spem virtutem theologiam; sed spes habet annexam fidem: ergo fides, & spes, pro huius viâ statu, in Christo Domino fuerunt.

25. Respondet Magister negando geminam Consequentiam. Quia Christus Dominus, in quo fuerunt pro statu viâ omnia bona patriæ, credidit quidem, & speravit resurrectionem tertiâ die futuram; nec tamen fidem virtutem, vel spem habuit; cum non aenigmaticam, & speculari, sed clarissimam de eâ cognitionem haberit; quia non perfectius eam cognovit præteritam, quàm intellexit futuram. Quamobrem fidem, & spem, in quantum virtutes, in Christo Domino non enituisse, pro certo habemus.

26. Oppones secundo: Quemadmodum Christus Dominus fuit perfectè comprehensor, sic fuit & perfectè viator: ergo necessario habere debuit omnia illa gratiarum dona, omnesque virtutes, quaestui illi viâ passim aptantur; sed perfectio viatoris statui spes virtus theologica tribuitur: igitur in Christo Domino spes virtus theologica enituit, cum fuerit perfectè viator.

27. Responderetur negando Consequentiam. Quanvis enim Christus Dominus fuerit perfectè viator, tamen spes virtus theologica

proprie non est ipsi elargienda. Primò; quia spes est expectatio præmij substantialis, & Christus Dominus hocce substantiali præmio, siue dono iam à conceptionis limine fruebatur. Secundò; quia spes necessariò habet annexam fidem; & fides est cognitio ænigmatica, & obscura; cum ergò visio clara animæ Christi Domini omne eliminet ænigma, cunctamque abstergat confusionem, consequens est, vt simul expellat fidem; & expellendo fidem, expellat ipsam spem: ergo nihil proficit ad fidem virtutem theologicam habendam, quòd Christus Dominus fuerit perfectè viator, dùm tamen fuerit perfectè comprehensor.

28. Tandem pro distinctionis coronide subdit Magister in litterâ, antiquos patres, qui apud lymbum vsque ad passionem Christi Domini tenebantur, fidem, & spem virtutem theologicam habuisse; quia credebant, & sperabant se visuros Deum per speciem, qualiter tunc eum non videbant, quæ postmodum evacuatae fuerunt in eis per adventum Christi Domini, in quo perfectam ac claram habuerunt visionem.

29. Sed dices primò: Spes theologica solùm statui viæ tribuitur, in ipsoque vigere videtur; sed antiqui patres apud lymbum degentes vitam, non erant in statu viæ: ergo quia in ipsis pro statu illo spes virtus non fuit.

30 Respondetur ex Magistri doctrinâ, antiquos patres, adhuc apud lymbum degentes vitam, quodam modo fuisse in statu viæ, eò quòd nondùm ad patriam pervenerint; sicque spes virtus poterat ipsis pro illo aptari statu. Insuper; quia spes virtus non evacnatur, nisi per subsequens præmium, & per contrarium habitum, quod reverà in lymbo illis non erat exhibitum.

31. Dices Secundò: Spes virtus theologica solùm homini confertur, vt per eam possit mereri; sed antiqui patres, eò quòd fuerint in lymbo locati, reverà extra merendi statum erant constituti: igitur quòd ibi spem virtutem theologicam habuerint, penitus est diffitendum.

32. Respondetur iuxta Magistri doctrinam negando Maiorem & Consequentiam. Quia meritum non respicit ipsam spem vniversa, liter, sed secundùm statum; ideoque in lymbo fuerunt, antiqui patres extra statum merendi constituti, & simul intra sperandi sortem; cum quodam modo fuerint in viâ, eò quòd nondùm ad patriam pervenerint statum; & solùm habitus spei contrarius, aut præmium valent spem evacuare, quod patribus in lymbo non fuit datum. Et

hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sunt dicta.

QVÆSTIONES.

33. QVÆSTIO 1. An spes sit virtus, & inter theologicas annumeretur? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 4. art. 1. & in 3. dist. 26. q. 2. art. 2. & 3. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 9. art. 1. Chalvet tom. 7. lib. 3. q. 1. cap. 1. Ioan. à S. Thomâ tract. de spe, disp. 10. art. 3. Prado in theolog. moral. cap. 11. de spe, q. 1. §. 2. Nicolai in 3. dist. 26. q. 2. art. 2. & 3. Rayner. de Pisis tom. 3. verb. spes, cap. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 10. dub. 1.

34. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 26. q. vnic. Poncius tract. 8. disp. 31. q. 1. Boyvin disp. 2. de spe, q. 1. Pichon de spe, disp. 1. cap. 3. sect. 1. Durand tom. 3. tract. 3. disp. 5. q. 1. Mastrius tom. 3. disp. 6. q. 17. art. 1. Castillo disp. 1. de spe, q. 1. & seqq. Delgadillo p. 2. cap. 7. difficul. 4. dub. 2. Herinex p. 3. disp. 10. q. 1. Cottonius lib. 1. contror. 6. cap. 3. Marchant tom. 2. tract. 2. tit. 3. q. 1. Aquila in 3. dist. 26. q. 1. Gallus in 3. dist. 26. cap. 1. & seqq.

35. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 1. de spe, sect. 1. & seqq. Gibalinus tom. 3. lib. 8. princip. 3. q. 4. Escobar tom. 6. lib. 48. sect. 2. cap. 5. dub. 6. Amicus tom. 4. disp. 19. sect. 1. & 2. Palao tom. 1. tract. 5. disp. 1. punct. 1. Carleton tom. 2. disp. 28. sect. 2. & disp. 31. sect. 2. Anton. Perez tract. 4. disp. 5. cap. 1. Filliucius tom. 2. tract. 22. cap. 8. q. 1. & 2. Gordonus tom. 2. q. 11. cap. 2. Vazq. 1. p. disp. 84. cap. 1. & 2. Arriaga tom. 3. disp. 28. num. 14. Valentia tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 1.

36. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 26. art. 1. q. 1. Alenfis 3. p. q. 75. memb. 1. & 3. Gabriel in 3. dist. 26. q. 1. Aureolus in 3. dist. 26. art. 1. Baudun. de spe, q. 54. art. 1. & 2. Bassæus verb. spes, num. 1. Bonæspei tract. 3. disp. 1. dub. 1. Estius in 3. dist. 26. §. 1. Verde tit. 2. de spe, §. 1. & 2. Malletus tom. 2. pag. 19.

37. Quæstio 2. Quid sit obiectum tam materiale, quàm formale virtutis spei? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 7. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 9. art. 2. Sylvius 2. 2. q. 18. art. 4. Chalvet tom. 7. lib. 3. q. 1. cap. 7. Ioan. à S. Thomâ disp. 10. de spe, art. 1. & seqq. Bañez 2. 2. q. 17. art. 2. q. 7. Nicolai in 3. dist. 26. art. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 10. dub. 2.

38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 26. q. vnic. Mastrius tom. 3. disp. 6. q. 17. art. 1. & 2. Poncius tract. 8. disp. 31. q. 2. Pichon de spe, disp. 1. sect. 1. & 2. Castillo disp. 1. q. 7. Pitygianus in 3. dist. 26. art. 6. Boyvin disp. 2. de spe, q. 4. Durand tom. 3. tract. 3. disp. 5. q. 2.

Cotto

Cottonius *lib. 1. contr. ov. 6. cap. 1. & seqq.* Marchant *tom. 2. tract. 2. tit. 3. q. 1. & seqq.* Castillent *in Polyanth. Seraph. verb. spes, cap. 1. num. 1.* Gallus *in 3. dist. 26. cap. 1. & seqq.* Cavellus *in Schol. in 3. dist. 26. q. vnic.*

39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de spe, disp. 1. sect. 3.* Vazq. *1. 2. disp. 25. cap. 2.* Valentia *2. 2. disp. 2. q. 1. de spe, punct. 1.* Turrian. *2. 2. q. 17. disp. 60. dub. 2.* Rhodès *tract. 6. disp. 3. q. 2. sect. 2.* Escobar *tom. 6. lib. 48. sect. 2. cap. 5. dub. 4.* Amicus *tom. 4. disp. 19. art. 3. & seqq.* Palao *tom. 1. tract. 5. disp. 1. punct. 1.* Carleton *tom. 2. disp. 29. sect. 1. & seqq.* Anton. Perez *tract. 4. disp. 5. cap. 1.* Arriaga *de spe, disp. 27. sect. 1. & 2.* Oviedus *tract. de spe, contr. 2. punct. 3. art. 2.*

40. Ex alijs D. Bonaventura *in 3. dist. 26. q. 4. & 5.* Alenf. *3. p. q. 75. memb. 1. & seqq.* Baudun. *de spe, q. 54. art. 1. & seqq.* Bassaus *verb. spes, num. 1. & seqq.* Trullench *lib. 1. cap. 4. dub. 1.* Boraspei *tract. 3. disp. 1. dub. 2.* Caspens. *tom. 2. tract. 16. disp. 1. sect. 1. & 2.* Verde *tit. 2. de spe, §. 6. num. 83.* Gabriel à S. Vincentio *2. 2. disp. 11. num. 27.* Estius *in 3. dist. 26. §. 2. & seqq.* Malletus *tom. 2. pag. 19. & seqq.*

41. Quæstio 3. An spes propriè sit in beatis omnibus, necnon in Christo Domino? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas *2. 2. q. 18. art. 2.* Ioan. à S. Thomâ *tract. de spe, disp. 11. art. 1.* Gonetus *tom. 4. tract. 10. disp. 9. art. 4.* Camerinus *tom. 3. q. 7. art. 3.* Torres *de spe, disp. 62. dub. 1. & seqq.* Nicolai *in 3. dist. 26. q. 2. art. 5. & seqq.* Philipp. à SS. Trinit. *tom. 3. tract. 1. disp. 10. dub. 2. & seqq.*

42. Ex Subtili Scholâ Scotus *in 3. dist. 26. q. vnic.* Mastrius *tom. 3. disp. 6. q. 18. art. 2.* Pichon *de spe, disp. 1. cap. 4. sect. 1. & seqq.* Castillo *p. 1. q. 13. à num. 4. & seqq.* Pitygian. *in 3. dist. 26. q. 2. art. 5.* Merinero *de incarn. disp. 12. sect. 1.* Delgadillo *cap. 7. difficul. 4. dub. 2. & seqq.* Boyvin *disp. 2. de spe, q. 3.* Durand *tom. 3. tract. 3. disp. 5. q. 4.* Herincx *3. p. disp. 10. q. 3.*

43. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *de spe, disp. 1. sect. 8.* Vazquez *3. p. disp. 48. cap. 3.* Martin. Perez *de incarn. disp. 19. sect. 4.* Aldrete *de incarn. contr. 11. disp. 53. sect. 2.* Escobar *tom. 6. lib. 48. sect. 2. cap. 6. dub. 10. & 11.* Palao *tom. 1. tract. 5. disp. vnic. punct. 3.* Carleton *tom. 2. disp. 32. sect. 7.* Anton. Perez *tract. 4. disp. 5. cap. 5. & seqq.* Oviedus *de fide, contr. 4. punct. 2.* Arriaga *tract. de spe, disp. 27. sect. 2. & seqq.* Gordonus *tom. 2. q. 11. cap. 3. & seqq.*

44. Ex alijs D. Bonaventura *in 3. dist. 26. art. 1. q. 1.* Durand. *in 3. dist. 26. q. 1.* Gabriel *in 3. dist. 26. q. 1.* Baudun. *disp. 55. de spe, art. vnic.* Bassaus *verb. spes, num. 3. & seqq.* Caspens. *tom. 2. tract. 16. disp.*

disp. 1. sect. 9. Estius in 3. dist. 26. §. 8. Verde tit. 2. de spe, §. 7. num. 85.
 Leander tom. 6. tract. 3. de spe, disp. 1. q. 7.

45. Quæstio 4. An spes existat absente charitate, & fide? De quò,
 tom. 2. dist. 41. q. 2. & hic dist. 23. q. 8.

46. Quæstio 5. An is, cui de sua damnatione facta est revelatio,
 possit, aut teneatur sperare salutem? De quò, tom. 1. dist. 48. q. 1.

47. Quæstio 6. An, si Deus suam alicui damnationem revela-
 ret, posset ille licitè desperare? De quò, tom. 1. dist. 48. q. 1.

48. Quæstio 7. An spes cohæreat cum possessione boni? De quò,
 hic dist. 24. q. 2.

49. Quæstio 8. An spes præcedat charitatem ordine naturæ, aut
 è contra? De quò, hic dist. 23. q. 7.

50. Quæstio 9. An spes fidem, aut fides spem præcedat? De quò,
 hic dist. 23. q. 7.

51. Quæstio 10. An, & quomodò fides & spes distinguantur? De
 quò, hic q. 1. & dist. 23. q. 1.

52. Quæstio 11. An, & quâ ratione spes sit certa? Ex Angelicâ
 Scholâ D. Thomas in 3. dist. 26. q. 2. art. 5. Torres de fide, disp. 64. dub.
 2. Chalvet tom. 7. lib. 3. q. 1. cap. 3. Nicolai in 3. dist. 26. q. 2. art. 5.
 Raynet. de Pilsis tom. 3. verb. spes, cap. 3. & seqq.

53. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 26. q. vnic. Pitygian. in 3.
 dist. 26. art. 1. & seqq. Castillò de Velasco disp. 1. de spe, q. 10. Pichon
 de spe, disp. 1. cap. 2. sect. 5. Aquila in 3. dist. 26. q. 1. art. 3. Gallus in
 3. dist. 26. cap. 4. & seqq. Castillent. in Polyauth. Seraph. verb. spes, num.
 8. & seqq.

54. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 1. de spe, sect. 7. Rhodès tract.
 6. disp. 3. q. 2. sect. 3. §. 1. Carleton tom. 2. disp. 3. sect. 3. Anton. Perez
 tract. 4. disp. 5. cap. 5. & seqq. Filiucius tom. 2. tract. 22. cap. 8. q. 3.
 Azor tom. 1. lib. 2. cap. 21. q. 3. Coninch 2. 2. disp. 20. dub. 13.

55. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 26. q. 1. & seqq. Lorea
 disp. 11. de spe, memb. 1. Caspens. tom. 2. tract. 16. disp. 1. sect. 5. Estius
 in 3. dist. 26. §. 4. Bonæspei tract. 3. disp. 2. dub. 1. Malletus tom. 2. pag.
 23. & seqq. Baudun. q. 52. de spe, art. 1. & seqq. Bassæus verb. spes, n. 7.

DE CHARITATE.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ-SEPTIMÆ

Synopsis.

*Quæ duo præcipuè tibi sunt ad amanda, doceris
Isthic, & virtus quanta sit, ipsius amor.*

Sic incipit : *Cùm autem Christus.*

Sic terminat : *Prudenterque consulatur.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de spe virtute theologicâ ; sed in præsentî determinat de charitate , quantum ad eius essentiam , definitionemque : igitur à rectâ connexionis viâ non videtur dissidere Magister.

2. Consequentia probatur: Meditatio virtutum theologalium ordine, spes virtus certò certius antevertit charitatem: ergo istius de essentiâ definitioneque immediatè post spem virtutem disserere, erit profectò congruentiorem disputandi modum servare ; sed Magister in huius operis progressu sic processit: ergo rectum hic connexionis ordinem habuit.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ, charitatis essentiam expendit Magister. In secundâ verò declarat, qualiter sit vna dilectio, quâ Deum diligimus, & proximum propter Deum. In tertiâ autem, & ultimâ, modum diligendi assignat.

4. **PRO PRIMÆ** igitur partis clarâ indagatione, en primum theoremata: *Charitas est dilectio, quâ Deum diligimus propter se, & proximum propter Deum.* Ante cuius explanationem præmittit Magister in litterâ, quòd licet Christus Dominus fidem, & spem non habuerit, vt diximus in superioris distinctionis calce, tamen eximiam, & incomparabilem charitatem habuit, quæ maior esse non potuit, & quâ animam suam pro nobis posuit, vt ad dilectionem suo nos invitaret exemplo.

5. **Modò** describit expenditque charitatis definitionem his verbis

bis

bis Magister: *Charitas est dilectio, quâ diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum.* In hac etenim definitione geminum comprehendimus mandatum: Vnum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in lege mandatum: Et alterum pertinens ad diligendum proximum, illi simile. In his ergo duobus mandatis tota lex pendet, & propheta.

6. Quod sic ostendere tentat Magister in litterâ: Primò ex Deuteronomio cap. 6. dicente: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ;* sed hoc est primum, & maximum in lege mandatum, vt diligamus Deum propter seipsum: ergo quia charitas est dilectio, quâ diligimus Deum propter seipsum.

7. Similiter probat Magister respectû dilectionis proximi ex Matthæi cap. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* sed hoc secundum mandatum est simile primo: ergo quia charitas est dilectio, quâ diligimus proximum propter Deum: ergo charitatis descriptio duo continet mandatum; & diligere Deum propter se, & proximum propter Deum.

8. Sed oppones primò in præfatam charitatis definitionem: Pro eodem usurpamus dilectionem, & charitatem; sed Magister definit hic in litterâ textûs charitatem per dilectionem: igitur definit idem per seipsum; & consequenter charitatis definitio tradita à Magistro erit ab omnibus reiicienda.

9. Respondetur negando Consequentiam. Quia etsi charitas, & dilectio sint idem, tamen sufficiens inter ipsas versatur discrimen, vt charitas per dilectionem aptè definiiri valeat. Charitas enim designat habitum, & dilectio actum; & ita charitas, quæ est habitus, definitur per suum actum, siuè quod est minus commune, vt habitus, per magis commune, quod est actus; sicque idem per seipsum nunquam hic à Magistro describitur.

10. Oppones secundò: Vna & eadem est ratio diligendi Deum propter se, & proximum propter Deum; sed quo pacto vna & eadem est ratio diligendi Deum propter se, & proximum propter Deum, non duo, sed vnum debet esse legis mandatum: igitur vnum, & non duo respectû Dei, & proximi erit dilectionis mandatum.

11. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quia in mandato de dilectione proximi propter Deum clauditur mandatum de dilectione Dei propter se; & quanvis vnum mandatum in altero includatur, non inde valet deduci, quod vnum ab alio non

distinguatur. Connexio enim mandatorum diligendū proximum propter Deum, & Deum propter se non ita confundit eorum distinctionem, ut posimus vnum, & non duō altinere mandatum. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

12. PRO SECUNDE vero distinctionis partis sedulâ discussione, en secundum theoremata: *Vna & eadem est dilectio, quâ Deum propter se, & proximum propter Deum diligimus, etsi ob duo dilecta, Deum scilicet, & hominem geminetur.* Quod duntaxat probat Magister quadam ex dubij affectatâ solutione.

13. Inquirat ergo Magister in litterâ: *Si eâ ipsâ dilectione diligitur Deus, quâ diligitur proximus: An alia sit de eâ Dei, & alia proximi?* Et respondet Magister, eandem esse dilectionem, quâ diligitur Deus, & quâ diligitur proximus; distinctam tamen penes hæc, quod Deum diligitur propter se, & proximum propter Deum. Quod duplici Augustini auctoritate firmat.

14. Primò ex lib. 8. de Trinit. cap. 8. dicente: *Non potest Deum diligere, quem non videt, qui fratrem quem videt, non diligit. Sed si eum quem videt humano visu, spirituali charitate diligeret, videret Deum, qui est ipsa charitas, visu interiori, quo videri potest:* ergo quia vna eademque dilectione diligitur Deus, & proximus, eti hæc multiplicetur, quatenus eâ diligitur Deus, & hominem.

15. Secundò, eodem ex Augustino ibidem asserente: *Ex vna enim, eademque charitate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos vero, & proximum propter Deum:* ergo si ex vna eademque charitate Deum, & proximum diligimus; & Deum propter Deum, & proximum propter Deum, sanè vna erit dilectio, quâ Deus, & proximus diligitur, quanvis ob duo dilecta, Deum scilicet, & hominem, geminetur.

16. Sed in affluentiore theorematis explanationem quæres cum Magistro in litterâ: *Si vna eademque charitas est Dei, & proximi, quare dicitur gemina?* Et respondet Magister duplicem assignando causam, eamque cum Augustino, vel fortè cum Venerabili Bedâ referendo.

17. Primò enim gemina appellatur dilectio, quâ Deum, & proximum diligimus, etsi vna & eadem sit charitas, propter duo quippe dilecta, Deum scilicet, & proximum, quia duo diversa eâ dilectione dilignantur, nempe Deus, & homo, vel Angelus: ergo quanvis vna sit charitas, quâ Deum, & proximum diligimus, gemina tamen poterit dici ob duo diversa dilecta, quâ ea diligimus. Cur etiam subun-
git

git Magister in litterâ, quòd idèdò duo extant dilectionis mandata; quia etiâ vna sit charitas, quâ vtrunquè commendatur, diuersâ tamen diligi præcipitur: ergo rectè poterit gemina appellari dilectio.

18. Audi Augustinum, aut Bedam in litterâ alloquentem: *Quòd ergò charitate proximum diligimus, eadèdè Deum diligimus. Sed quia aliud est Deus, aliud proximus, est vna charitate diligantur, idèdò fortè duo præcepta dicuntur, & alterum maius, & alterum minus: ergo si quâ charitate proximum diligimus, Deum diligimus; & quia aliud est Deus, & aliud proximus, duo præcepta dicuntur, benè colligitur, quòd etiâ vna sit charitas, quâ Deum, & proximum diligimus, possit ob duo dilecta, & quia diuersa diligi per eam præcipiuntur, geminari.*

19. Secundò, etiâ gemina valet dici dilectio, tametsi vnâ eadèdè Deum, & proximus charitate diligantur, scilicet, propter duos dilectionis motus, qui in mente geruntur, dùm Deus diligitur, & proximus. Movetur enim mens ad diligendum Deum, & movetur ad diligendum proximum; & multò magis erga Deum, quàm erga proximum: ergo vnâ eadèdè stante charitate, siuè dilectione erga Deum, & proximum, poterit dici gemina propter hos duos motus, qui in mente geruntur ad Deum, & proximum. Et hæc de secunda distinctionis parte sufficiant.

20. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis enumeratione, en tertium theorema: *Quemadmodum præcipitur nobis charitas habenda erga Deum & proximum; sic & modus ipsius seruandus præscribitur nobis.* Pro cuius exactâ probatione, præfatam diligendî modum nobis præstitum, ex sacrà paginâ derivare pertentat Magister.

21. Primò ergò dicimus, modum, quòd diligere debemus proximum propter Deum, in sacrà contineri Scripturâ apud Matthæum cap. 22. dicentem: *Diliges proximum tuum sicut teipsum, id est, ad quòd, & propter quòd teipsum diligere debes: igitur eodèdè dilectionis modo debes diligere proximum, sicut teipsum.* Vnde Augustinus lib. 1. de doctr. christ. cap. 22. dixit: *Regula autem dilectionis diuina ita constituta est, vt Deum propter se ex toto corde, & proximum diligas sicut teipsum, id est, ad quòd, & propter quòd teipsum diligere debes. In bono enim, & propter Deum teipsum diligere debes: ergo.*

22. Quamobrem, huius fraternæ dilectionis modum Christus Dominus apud Ioannem cap. 13. insinuare videtur, cum scripsit: *Mandatum novum do vobis, vt diligatis invicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis invicem: ergo quia modus, quòd proximum diligere debemus propter Deum, in sacrà continetur paginâ.*

23. Secundò dicimus, modum diligendi Deum etiam in Scripturâ deprehendi apud Deuteronomium cap.6. & Matthæum cap.22. sub hâc verborum serie: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ. Hoc est maximum, & primum mandatum.* Quem sic expendit cum Augustino Magister: Ex toto corde tuo, scilicet, intellectu; ex totâ animâ tuâ, idest, voluntate; & ex totâ mente tuâ, idest, memoriâ; ita vt omnem cogitationem, omnem vitam, omnemque intellectum, vel motum ad Deum referas, à quo habes ea, quæ confers illi: ergo hic erit dilectionis Dei rectissimus modus.

24. Tertio dicimus cum Magistro, hunc dilectionis Dei modum non posse penitus ab homine in hâc mortali vitâ impleri; sed tantum ex parte, non ex toto. Quod sic primò ostendit Magister: Sicut in hâc mortali vitâ cognoscimus Deum; sic eum diligimus; sed in hâc mortali vitâ imperfectè, & solùm ex parte, & non ex toto cognoscimus Deum: ergo solùm in hâc mortali viâ poterit homo diligere Deum ex parte, & non ex toto; sicque modum dilectionis Dei non penitus, sed ex parte implere:

25. Vterius probat secundò intentum cum Augustino Magister: Dùm aliquid carnalis concupiscentiæ adest in nobis, non omni modo ex totâ animâ diligimus Deum, eò quòd caro non dicatur concupiscere, nisi quia anima carnaliter concupiscit; sed solùm in patriâ nihil adest carnalis concupiscentiæ; quia cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est: ergo præceptum dilectionis Dei solùm in patriâ, & non in hâc mortali vitâ poterit ex toto ab hominibus adimpleri.

26. Sed consentaneè his dubitat hîc Magister: *Si in hâc mortali vitâ nemo valet ex toto hoc adimplere de dilectione Dei præceptum, cur nobis hæc commendatur præcipiturque perfectio?* Et respondet Magister per simile: Sicut nullus sciret rectè currere, nisi sciret, quo currendum esset; sic nec Deus diligi sciretur, nisi dilectio per præceptum aliquod ostenderetur: ergo quanvis præceptum de dilectione Dei in hâc vitâ mortali ex toto non valeat exequi; tamen cum possit ex parte adimpleri secundum perfectionem viæ, rectè hæc perfectio præcipitur, ac commendatur nobis.

27. Oppones: Præscriptum de dilectione Dei his deprehensum verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, nihil aliud sonare videtur, quàm dili-*

diligere Deum sine errore, sine contradictione, & oblivione; sed diligere Deum sine errore, contradictione, & oblivione potest in statu viæ impleri ab homine: igitur mandatum de Dei dilectione, non solum ex parte, verum ex toto, valet in hac mortali vitâ exequi ab homine.

28. Respondet Magister, quod licet homo in viâ sic possit hoc de Dei dilectione adimplere præceptum, ut nullus in corde suo sit affectus Deo contrarius; tamen, quod talis dilectio omnem alium extraneum affectum penitus expellat, non est datum ipsi pro statu viæ, sed duntaxat pro statu patriæ; quod expressè ostendunt Augustini, & Magistri rationes nuper appositæ. Quamobrem, solum in viâ poterit homo diligere Deum ex parte, & non ex toto; ita ut dilectionis Dei præceptum non penitus, sed ex parte ab ipso impleatur.

29. Postremò subdit Magister in litterâ, præfata duo charitatis præcepta ita invicem esse connexa, ut vnum pro utroque crebrò ponatur; cum Deum sine proximo, & proximum sine Deo diligere non valeamus. Quia qui diligit Deum, non contemnit proximum, quem Deus diligit; & qui proximum diligit, nihil in eo diligit nisi Deum, teste Augustino tract. 65. sic in Ioannem affante: *Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis, quia qui diligit Deum, non potest eum contemnere, quem Deus præcipit diligi; & qui spiritaliter, & sanctè diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum?* ergo. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QUESTIONES.

30. **Q**UÆSTIO I. An, & quomodò teneamur diligere Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omni mente? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q. 27. art. 5. & in 3. dist. 27. q. 3. art. 4. Chalvet tom. 2. q. 6. cap. 5. regul. 5. Camerinus tom. 2. q. 44. art. 4. & 5. Prado in theol. moral. cap. 12. q. 2. §. 4. Bañez 2.2. q. 44. art. 1. dub. 1. Petrus Sotus lect. 14. de penit. Cayetan. 2.2. q. 44. art. 4. Domin. Sotus lib. 1. de nat. & grat. cap. 22. Montelin. 1.2. q. 89. disp. 19. q. 2. Silvius 2.2. q. 44. art. 6. Nicolai in 3. dist. 29. q. 1. art. 3. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 11. dub. 7.

31. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 27. q. vnic. Poncius tract. 8. disp. 32. q. 1. Castillo de charit. disp. 4. q. 1. Pichon de charit. p. 2. disp. 2. cap. 1. sect. 1. Villalobos tom. 2. tract. 3. Rodriguez tom. 1. Summ. cap. 11. Vega in Trident. lib. 9. cap. 42. Herinx p. 3. disp. 11. q. 5. Cottonius lib. 1. controv. 6. cap. 5. Aquila in 3. dist. 27. q. 1. Gallus in 3.

- dist. 27. cap. 1. & seqq. Benjumea de charit. disp. 2. art. 4. & seqq. p. 1.
32. Ex Scholâ Eximia Suarez de charit. disp. 5. sect. 1. & seqq. Palao tract. 6. disp. 1. punct. 4. Vazquez de penit. q. 86. art. 2. dub. 4. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1. Filiucius tract. 22. cap. 9. q. 8. Coninch disp. 24. dub. 3. num. 48. Toletus lib. 4. cap. 9. Hurtado 2. 2. disp. 174. sect. 1. subsect. 2. Escobar tom. 6. lib. 49. sect. 2. cap. 14. dub. 1. Amicus tom. 4. disp. 27. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 36. sect. 5. Gordonus tom. 2. q. 13. cap. 4. Fabri tom. 2. tract. 6. disp. 6. q. 1. & 2. Arriaga de charit. disp. 36. num. 2.
33. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 27. q. 6. Ioan. Sanchez disp. 21. num. 21. Lorca de charit. disp. 26. à num. 9. Trullench lib. 1. cap. 15. num. 9. Abulens. in Matth. cap. 25. q. 739. Diana 5. p. tract. 14. resol. 105. Caspens. tom. 2. tract. 17. disp. 3. sect. 6. Estius in 3. dist. 28. §. 1. Verde tit. 3. §. 20. num. 130. Leander tom. 6. tract. 4. disp. 2. q. 2. Caranuel in Theolog. Intent. num. 1826. Malletus tom. 2. pag. 21. & seqq.
34. Questio 2. An eadem sit dilectio, quâ diligimus Deum, & proximum? De quò, *hic* q. 1.
35. Questio 3. An Christus Dominus habuerit gratiam simpliciter infinitam? De quò, *hic* dist. 13. q. 4.
36. Questio 4. An gratia, & charitatis habitus realiter distinguantur? De quò, tom. 1. dist. 14. q. 4.
37. Questio 5. An habitus charitatis sit tota ratio agendi? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 1.
38. Questio 6. An, & quid sit iustificatio, eiusque formalis ratio? De quò, tom. 2. dist. 26. q. 1.
39. Questio 7. An amor viæ, & patriæ distinguatur specie? De quò, tom. 1. dist. 14. q. 2.
40. Questio 8. An charitas sit donum creatum, & à Spiritu Sancto distinctum? De quò, tom. 1. dist. 14. q. 2.
41. Questio 9. An præceptum de dilectione Dei possit ab homine in hac vitâ penitus expleri? De quò, *hic* q. 1.
42. Questio 10. An dilectio Dei super omnia possit assequi sine fide infusâ, aut gratiâ? De quò, tom. 2. dist. 26. q. 9.
43. Questio 11. An possit Deus sine proximo, aut proximus sine Deo diligi? De quò, *hic* q. 1.
44. Questio 12. An, & quomodò charitas possit augeri, aut minui? De quò, tom. 1. dist. 17. q. 2.

DE NUMERO DILIGENDORVM.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ OCTAVÆ

Synopsis.

*Demandata foret quantis dilectio nulla
Corporis ac animæ certa tenenda tamen.*

Sic incipit: *Hic potest queri.*

Sic terminat: *Exhibitionis.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de charitate, quantum ad ipsius essentiam, & definitionem: sed in præsentî determinat de diligendorum numero, & distinctione: ergo in his distinctionibus à recto connexionis tramite non desistit Magister.

2. Consequentiâ probatur: Non appositè de diligendorum numero, & discretionè posset Magister differere, si charitatis essentiam definitionemque priùs non refereret: ergo si Magister in superiori distinctione ostendit essentiam definitionemque charitatis, non incongruè egit in præsentî de diligendorum numero, & distinctione.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ demonstrat Magister, qualiter sub dilectione proximi totus deprehendatur homo. In secundâ verò propugnat, præceptum de proximi dilectione ad Angelos usque elongari. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit parte, nomen proximi variè ac diversimodè usurpari.

4. **PRO PRIME** igitur distinctionis partis indagine, prima proponitur thesîs: *De corporis, & animæ proximi dilectione, duo hæc extant distinctè spiritalia præcepta.* Quam totis nixibus quadam exsolutione quaeriti perferunt: et in textu litterâ consuadere Magister.

5. Sic in textu expressè finatur Magister: *An in illo proximi dilectionis in illo totum proximum, animam quipè, & corpus, nosque ipsos totos dilgere præcipiamur?* Cui affirmativè respondet Magister, probatque aliquibus rationibus, & Augustini affectatis autoritatibus.

6. Primò ratione : In duobus illis mandatis dilectionis Dei , & proximi, distinctione superiori appositis, omne genus diligendarum rerum proculdubio continetur; sed sub diligendarum rerum genere, corpus, & anima proximi continentur : igitur in illo proximi dilectionis mandato , totum proximum , animam scilicet , & corpus, diligere præcipimur, quin aliud pro corporis, & animæ proximi dilectione sit assignandum præceptum.

7. Secundò: Quatuor, secundùm Augustinum in litterâ, ex charitate diligenda veniunt, scilicet, Deus, proximus, anima , & corpus: ergo quia secundùm mandatum de proximi dilectione , totum proximum diligere debemus; sed proximus corpore , & animâ constat: igitur totum proximum, animam quippè, & corpus, ex charitatis præcepto diligere tenemur: igitur de corporis, & animæ proximi dilectione, duo non extant distinctè spiritualia præcepta.

8. Tertiò : Divus Augustinus compressis verbis lib. 1. de doctr. christ. cap. 23. sic thematis explanationem tradidit : *Quatuor enim diligenda sunt, unum, quod supra nos est, scilicet Deus; alterum, quod nos sumus; tertium, quod iuxta nos est, scilicet proximus; quartum, quod infra nos est, scilicet corpus; sed nomine proximi, corpus, & anima passim intelliguntur: ergo ut totum proximum, quippè corpus, & animam, diligamus, non opus est alio distincto dilectionis præcepto præter dilectionis proximi præscriptum.*

9. Quod autem de dilectione animæ, & corporis proprii non sit necesse aliqua specialia ac distincta donari præcepta, sicut de Dei, & proximi dilectione, etiam in litterâ textus ostendit Magister : Primò: Quia cuilibet homini dilectio sui ipsius & etiam animæ, & corporis est naturaliter indita: ergo pro dilectione animæ, & corporis proprii nullam est speciale mandatum.

10. Secundò, ex Augustino nuper relato sic probat Magister: *De secundo, & quarto nulla præcepta danda erant, scilicet, ut diligeremus nos, vel corpus nostrum. Ut autem quisque se diligit, præcepto non est opus: ergo si non opus est præcepto, ut quisque se diligit, nullum erit proprium ac speciale mandatum pro corporis proprii, & animæ dilectione.*

11. Sed oppones primò : Ex Diyo Augustino non tenemur ex præcepto diligere nosmetipsos, vel corpus, & animam nostram; sed omne genus diligendarum rerum continetur in his duobus præceptis de Dei, & proximi dilectione : ergo aut non tenemur diligere nosmetipsos, sive corpus, & animam nostram; aut dilectio animæ, &

corporis proprii necessariò ad aliquod debet spectare præceptum.

12. Respondet Magister, Augustinum non dixisse absolutè, nos non teneri ex præcepto diligere nosmetipsos, sive corpus proprium, & animam; sed solùm asseruisse, non teneri ex speciali ac distincto præcepto a dilectionis proximi mandato, eò quòd in illo totum id contineatur. Vndè nosmetipsos, sive corpus proprium, & animam diligere non tenemur aliquo ex novo, speciali, aut distincto præcepto, sed solùm ex dilectionis proximi præscripto.

13. Et ne quis dubiâ mente circa hanc M. P. Augustini doctrinam feratur, legat ipsùm attentè in litterâ, & arrectis auribus audiatur. Sic alloquitur: *Si te totum diligas, idest, animam, & corpus, nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermisum est. Sed cum dictum est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, simul & tui abs te dilectio prætermisum non est.* Ergo apertè sustinet Augustinus, in illo præcepto de proximi dilectione, non solùm proximi, sed tui dilectionem contineri; & totius proximi, & totius tui.

14. Oppones secundò: Nulli hîc adest rationale dubium, Magistri litteram sacramque paginam abundè in præceptis, quæ nobis salubriter exhibentur, diligibilia ex charitate enumerasse; sed tam Magistri littera, quàm sacra pagina duo duntaxat diligibilia enumerant, Deum quippè, & proximum, in quorum gratiam duo nobis præscribunt mandata: igitur membra alia pro debitâ proximi dilectione, uti superflua, erunt penitus reiicienda, ne Magistri littera, aut sacra pagina diminutionis vitium patiatur.

15. Respondetur ex Magistro in litterâ negando Consequentiam. Quia in illo proximi dilectionis præcepto, totum proximum, animam scilicet, & corpus, diligere præcipimur, quin aliud pro corporis, & animæ proximi dilectione novum sit assignandum præceptum. Nam dum dicitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* præcipitur homini quòd seipsum diligit; & cum omnis homo sit constitutus ex animâ, & corpore, ibi clauditur dilectio utriusque, quin nec sacre pagine, nec Magistri litteræ quis turpem diminutionis notam inurere valeat.

16. Oppones terciò: Quæ specie consonant, solo numero differunt, & diversa distinctionis membra haud valent perficere; sed nos, & proximos nostros specie consonare, & solùm numero differere videtur: igitur in dilectionis proximi præcepto, non debet homo diligibilium numerum augere, sed unâ cum proximo suo in eorum numeratione misceri.

17. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Maiorem, & Consequentiam. Nam indistinctio specifica hominis à proximo suo non impedit diligendorum multiplicationem, attentâ charitatis graduum diversitate; quia qui charitate potitur, facit eum primò tendere ad beatitudinem, & postmodum exoptat proximum tendere ad idem; quemadmodum homo, etsi corpore, & animâ sit physice constitutus, vnumque numero, & specie construat compositum; nihilominus diligibilium numerum adauget.

18. Oppones quartò: Pariter philosophari debere videtur de nostro, & proximi corpore, ac de nostrâ, & proximi animâ; sed anima proximi, & nostra duo diligibilia diversa membra constituunt: ergo & nostrum, & proximi corpus; sed ita diligendorum numerus multiplicatur supra numerum à Magistro cum Augustino taxatum: igitur præceptum de proximi dilectione cuncta diligibilia membra penitus non exambit.

19. Respondet Magister negando simile; quia diversimodè comparatur charitas ad animam nostram, & proximi, quàm ad corpus nostrum, & proximi. Nam dilectio corporis proximi continetur sub proximi dilectione, eò quòd vniformiter comparetur charitas ad vtrumque, idèdque pro corporis proximi dilectione non opus est, vt alius diversus charitatis ingeminetur gradus: At anima nostra, & corpus comparantur difformiter, quia ad animam comparatur sicut ipsum informans, eidemque inhærens; ad corpus verò, sicut eidem dominans, & ipsum regeus; sicque nulla efficax subsistit ratio, vt diligibile aliud diversum pro corporis proximi dilectione multiplicetur.

20. Oppones quintò: Omne quod est supra nos, & infra nos, & iuxta nos tenemur ex charitate cum Augustino diligere: ergo & quod est contra nos, inimicos quippè, etiam ex charitatis præcepto tenemur diligere; sed hoc diligibile sub apposis membris: igitur præceptum de proximi dilectione omnia diligibilia comprehendere non videtur.

21. Respondetur ex eadem Magistri doctrinâ negando Minorem, & Consequentiam. Quia ex charitate diligere aliud quod contra nos est, reuerà sub tertio continetur membro, nempe, quòd iuxta nos est. Nam etsi inimicos teneamur ex charitate diligere, qui sunt contra nos; non tamen in eo quòd sunt contra nos, siuè ratione culpæ; sed solum in eo quòd sunt iuxta nos, siuè secundum conformitatem naturæ; atque adeò ex præcisâ inimicorum dilectione

non est necesse ingeminare numerum diligendorum. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient. *b. c. g. h. i. j. k. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.*

22. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis disquisitione, secunda statuitur thesis: *Præceptum de proximi dilectione, etiam ad Angelos vsque elongari videtur.* In cuius probationem parùm moratur Magister, etsi pro illius valido fulcimento quoddam dissolvat dubium in textûs litterâ appositum.

23. His modò ambigit verbis Magister: *Vrùm ad illud præceptum dilectionis proximi, etiam dilectio pertineat Angelorum.* Et quanvis affirmativè dubitationi respondeat Magister, præmittit tamen, sub proximi nomine omnem contineri hominem, cui adhibendum est opus misericordiæ, si hoc iuvamine indiget.

24. Quod perspicuè in parabolâ semivivi relictî ostendit Dominus apud Lucam cap. 17. Ibi enim eum appellat proximum, qui erga illum extitit misericors. Et ulterius subdit: *Vade, & tu fac similiter*: ergo quia eum proximum intelligimus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum foret, si indigeret; atque adeò manifestum est, omnem hominem proximum esse reputandum.

25. Probat iam Magister, Angelorum dilectionem ad proximi dilectionis præceptum pertinere: Nomen proximi ad aliquid est; cum nullus valeat esse proximus, nisi proximo, ita ut proximo ipsi sit proximus: ergo non solum ille poterit dici proximus, cui exhibendum sit opus misericordiæ, sed etiam ille, à quo beneficium aliquod recipitur. Modò sic; sed Angeli multa, & assidua nobis conferunt beneficia: igitur Angeli sunt proximi nostri: ergo eorum dilectio, sub proximi dilectionis mandato haud dubiè contineri debet.

26. Sed oppones: Ille reverà dicitur proximus, à quo beneficium recipimus; sed à Deo tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, ut in cunctis vitæ nostræ experimur momentis: igitur Deus est proximus; ac proindè dilectio à nobis exhibenda ipsi, necessario debet contineri sub proximi dilectionis præcepto.

27. Respondet Magister negando Consequentiam. Quia etsi Deus tantâ nobis beneficia conferat, ut omnia ab ipso habeamus; nihilominus sub proximi dilectionis præscripto contineri non valet; quia proprium ac speciale habet Deus de ipsius dilectione mandatum; imò primum, & maximum in lege ab omnibus arbitratur. Et ratio est; quia plus Deum, quam nosmetipsos diligere debemus,

cum proximum solum sicut nos diligere teneamur : ergo sub dilectionis proximi præscripto dilectio Dei comprehendi non valet.

28. Sed instabis : Etsi Christum Dominum plusquam nosmetipsos diligere debeamus, tamen sub proximi dilectionis præcepto eius continetur dilectio : ergo quanvis Deum plusquam nosmetipsos diligere teneamur, poterit tamen eius dilectio à nobis exequenda, sub proximi dilectionis contineri præcepto.

29. Respondetur ex ipsâ Magistri doctrinâ, quòd dilectio Christi Domini, in quantum homo, sub proximi dilectionis clauditur mandato, quem etsi plusquam nosmetipsos diligere debeamus, ob sui excellentiam, minus tamen quam Deum, quia in quantum homo, minor est Deo, iuxta illud symboli Athanasij : *Æqualis Patri secundum divinitatem ; minor Patre secundum humanitatem.* Igitur instantia non premit. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

30. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis investigatione, tertiâ præfigitur thesis : *Benè perpenso diligendorum numero à charitate, quatuor tantum modis proximus dicitur.* Quam solâ quædam compressâ narratione probat Magister in litterâ.

31. Dicitur enim proximus his quatuor modis. Primò, conditione primæ nativitatis. Secundò, spe conversionis, & salvationis. Tertio, propinquitate cognationis. Quarto tandem, ratione beneficæ subventionis : igitur solum his quatuor modis poterit quisque proximi propriè insigniri nomine.

32. Sic eos expendimus iuxta Magistri nutum, etsi illos hæc ipse prætermittere videatur. Primò dicitur proximus conditione primæ nativitatis ; & in hoc sensu omnes homines sunt proximi, eò quòd unicuique hominum sua nativitas, & origo adscribatur.

33. Secundò dicitur proximus spe conversionis, & salvationis, quemadmodum sunt omnes fideles, qui modò sunt, vel in futuro erunt ; sive qui nedum ad fidem sunt conversi, sed etiâ convertibiles.

34. Tertio dicitur proximus propinquitate cognationis, ut sunt nobis sanguine specialiter coniuncti, sicut parentes, & consanguinei, de quibus in Quarto Sententiarum libro, distinctione trigesima nonâ refusè differuimus.

35. Quarto demum dicitur proximus ratione beneficæ subventionis, sive beneficij exhibitione ; & sub hac consideratione Angeli sunt proximi nostri, cum multa, & assidua passim nobis conferant beneficia : ergo solum his quatuor modis poterit quis proximi nomen sortiri. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sunt dicta.

QVÆSTIONES.

36. QVÆSTIO 1. An, quando, & quomodo teneamur diligere proximum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q. 44. art. 2. Prado in Theolog. Moral. cap. 12. q. 4. §. 1. & seqq. Cayetan. 2.2. q. 25. art. 1. Bannez 2.2. q. 44. art. 2. dub. 2. Ledelma tom. 2. tract. 3. cap. 5. conclus. 7. Arauxo 2.2. q. 23. art. 5. Nicolai in 3. dist. 29. q. 1. art. 5. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 11. dub. 8.

37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 28. q. vnic. Marchant tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. q. 1. Villalobos tom. 2. tract. 3. difficul. 5. n. 4. Herincx p. 3. disp. 11. q. 6. Lychetus in 3. dist. 28. art. 1. Pyrgianus in 3. dist. 28. q. 1. art. 1. Aquila in 3. dist. 28. q. 1. Cavellus in schol. in 3. dist. 28. q. vnic. Benjumea de charit. q. 2. art. 2. p. 1. Pichon de charit. p. 2. disp. 1. cap. 1. sect. 2.

38. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de charit. disp. 5. sect. 4. num. 2. & seqq. Amicus tom. 4. disp. 28. sect. 1. Palao tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 5. num. 4. Rhodès tract. 6. disp. 4. q. 2. sect. 3. §. 3. Escobar tom. 6. lib. 49. cap. 15. dub. 18. Carleton tom. 2. disp. 37. sect. 1. & seqq. Honoratus Fabri tom. 2. tract. 6. disp. 6. q. 1. & 2. Gordonus tom. 2. q. 13. cap. 4. & 5. Ripalda de charit. disp. 23. sect. 2.

39. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 28. q. 2. art. 1. Aureolus in 3. dist. 28. q. 1. Gabriel in 3. dist. 28. q. 1. art. 1. Malletus tom. 2. pag. 22. & 26. Estius in 3. dist. 28. §. 2. Caspenis tom. 2. tract. 17. disp. 3. sect. 6. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 4. n. 3. Lorca de charit. disp. 58. sect. 3.

40. Quæstio 2. An creaturæ rationales sint ex charitate diligendæ? De quo, hic quæst. 1.

41. Quæstio 3. An dæmones, & damnati sint ex charitate diligendi? De quo, hic quæst. 1.

42. Quæstio 4. An peccatores sint ex charitate diligendi? De quo, hic quæst. 1.

43. Quæstio 5. An corpora nostra ex charitate sint diligenda? De quo, hic quæst. 1.

44. Et omnes quæstiones distinctionis superioris possunt hic excitari.

DE ORDINE DILIGENDI RESPECTV
diligendorum.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ-NONÆ.
Synopsis.

*Quemlibet affectu simili deamare, vel equo
Quemlibet effectu, lex data nulla iubet.*

Sic incipit : *Post prædicta.*

Sic terminat : *Ut ipsi fiant amici.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de diligibilium numero, & distinctione per charitatis virtutem ; sed in præsentî det erminat de ipsius charitatis ordine respectû diligendorum : igitur rectè inter se hæc distinctiones consonare videntur.

2. Consequentia probatur : Charitas non solum respicit numerum, & distinctionem diligibilium, verum & opportunum ordinem ipsi ea diligendi præscribit ; aliter charitas benè ordinata non foret : ergo dum in præsentî distinctione determinat Magister de charitatis ordine respectû diligibilium, postquam in antecedenti de ipsorum numero, & distinctione egerat, pro dignitate in earum connexionem versatur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ statuit Magister, non omnes æqualiter diligendos fore. In secundâ verò propugnat, bonos extraneos in hac vitâ plus diligendos esse, quàm parentes malos. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit, charitatis gradus sub quaternario amussim comprehendî numero.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis indagine, primum ponitur pronunciatum : *Servato concinno charitatis ordine, non omnes supari affectu, nec effectu sunt diligendi.* Quod clarè expendit Magister, & aliquibus præsis Augustini testimonijs in litterâ firmat.

Pri-

5. Primò : Hic est cardo , sivè rectus dilectionis ordo præscriptus , vt quod est diligendum diligatur ; & quod non est diligendum non diligatur : Similiter , quod plus diligibile est , plus diligatur ; & quod æquè est diligibile , æquè , & non magis , nec minùs diligatur ; sed hic est rectus charitatis ordo , secundùm illud Cantorum cap. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam , & ordinavit in me charitatem* : ergo in charitatis ordine non omnes æquali affectu , sicut nec effectû æquali sunt diligendi.

6. Secundo : Scire quid sit faciendum , & nescire ordinem faciendi , non est perfecta cognitio ; eò quòd ordinis ignorantia conturbet meritorum formam : ergo scire quid sit diligendum , & nescire ordinem diligendi , non erit perfecta charitas ; cùm ignorantia confundat rectam charitatis ordinem : ergo vt quis rectè diligat , necessariò oportet ordinem dilectionis præscriptum servare , nempè , quòd non omnes æquali affectu , & effectû sunt amandi.

7. Tertiò : Idipsum probat Magister ex Augustino lib. 1. de doctr. christ. cap. 27. dicente : *Ipse est qui ordinatam habet dilectionem , ne aut diligat quod non est diligendum , aut non diligat quod diligendum est , aut æquè diligat quod minùs , vel amplius diligendum est , aut minùs , vel amplius quod æquè diligendum est* ; sed ex his Augustini verbis clarè deducitur , non omnes æquè diligendos esse : ergo quia iuxta opportunum charitatis præscriptum ordinem Deum , & proximos diligere tenemur , vt charitas benè sit ordinata.

8. Modò iam præfigit Magister diligendorum charitatis ordinem ex hæcenus hic appositis. Primò , Deus est diligendus super omnia ; deindè , anima propria ; postea proximus ; & ultimò , corpus proprium. Quod consonat superiùs dictis distinctione antecedenti cum Augustino lib. 1. de doctr. christ. cap. 23. *Quatuor enim diligenda sunt , vnum , quod supra nos est , scilicet Deus ; alterum , quod nos sumus ; tertium , quod iuxta nos est , scilicet proximus ; quartum , quod infra nos est , scilicet corpus* : ergo ex huius calculationis ratione fati ordo diligendi innotescit.

9. His sic sancitis , dubitat Magister in litterâ : *An omnes homines æquè diligere teneamur : Et vtrum , sicut nosmetipsos , vel minùs , quàm nos* Pro cuius exactâ resolutione , triplicem adducit Magister sententiam , easque autoritatibus Patrum præmunit , etsi ultimam magis plaudere , & commendare videatur.

10. Prima ergò sententia tenet , omnes homines pari charitatis affectu esse diligendos , non verò in effectû , sivè in obsequij beneficijque

cijque exhibitione. Quam sic primò probare moluntur : Etsi omnibus debeamus bonam velle affectu interiori charitatis ; nihilominus plùs tenemur impendere obsequia his, qui nobis magis colligati sunt : ergo quanvis omnes homines æquali affectu sint à nobis diligendi ; non tamen tenemur eos diligere pari charitatis effectû, si vè æquâ beneficij exhibitione.

11. Secundò cum Augustino lib. 1. de doctr. christ. cap. 28. suum promovent intentum : *Omnes homines æquè diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur* : ergo si omnes homines æquè diligendi sunt, & potissimum consulendum est his, qui constrictius nobis, quasi quadam sorte iunguntur, reverà omnes homines æquali affectu interiori diligere debemus, etsi in charitatis effectû, aut obsequij exhibitione, magis coniunctos nobis diligere teneamur.

12. Tertio, amplius Augustinum in Epist. ad Galat. cap. 6. in suæ opinionis præsidium sic advocant in testem : *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, idest, ad Christianos. Omnibus enim pari dilectione vita æterna optanda est, etsi non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia, que fratribus maxime sunt exhibenda* : ergo si omnibus pari dilectione vita æterna optanda est, etsi non omnibus eadem possint exhiberi dilectionis officia, non incongruè deducunt, omnes homines æquali fore diligendos charitatis affectu, non tamen effectû.

13. Sed in hanc opinionem oppones primò illud legis præceptum de parentum dilectione in Deuteronomio cap. 5. deprehensum : *Honora patrem tuum, & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vias tempore* : ergo si maiori charitatis affectu non forent diligendi parentes, quam alij proximi, satis incassum hoc specialiter nobis præciperetur : igitur non pari charitatis affectu omnes sunt diligendi.

14. Respondet Magister in litterâ, præfatum textum, aliosque huic similes referendos esse ad exteriorem exhibitionem, in quâ præponendi sunt parentes, non ad interiorem affectum ; ideòque non dixit, *dilige*, sed *honora*. Vndè, quanvis omnes proximos affectu interiori charitatis æquè diligere debeamus ; non tamen æquali charitatis effectû, seu æquâ obsequij exhibitione tenemur amare ; neque parentibus nostris maiora obsequia ac beneficia prestare debemus.

15. Oppones secundò Divum Hieronymū in Ezechielem lib. 13. cap. 44. dicentem : *Ordinavit in me charitatem , post omnium patrem Deum , carnis quoque pater diligatur , & mater , & filius , & filia , frater , & soror .* Similiter Ambrosium in cap. 2. Cant. *Multorum charitas inordinata est , quod in primo est , ponunt tertium , vel quartum .* Primò Deus diligendus , secundò parentes , inae filij , post domestici , qui se boni sunt , malis filijs preponendi sunt : ergo non suppari dilectionis affectu omnes homines sunt diligendi , sed in illo aliqua distinctio , sive differentia est habenda .

16. Respondet similiter Magister in litterâ , etiam has Hieronymi , & Augustini authoritates referendas fore ad operum exhibitionem , quæ differenter proximis conferenda sunt . Primò parentibus , indè filijs , post domesticis , demùm inimicis . Deum verò , tam affectu , quam obsequij exhibitione ante omnia diligendum . Quamobrem præfatæ sententiæ probabilitas vndique sospes existit , quòd in dilectionis interiori affectu erga cunctos proximios sit æqualitas , et si in charitatis effectu , aut obsequij exhibitione , sit admittenda distinctio .

17. Secunda sustinet opinio , omnes proximios , non solùm quoad affectum , verùm quoad effectum , aut obsequij exhibitionem , fore æqualiter diligendos . Quam solâ sic Augustini autoritate lib. 8. de Trinit. cap. 8. probant : *Incomparabiliter plus Deo , quàm nobis impendere , fratri verò , quantum nobis debemus . Nos autem tantò diligimus , quantum magis diligimus Deum :* ergo omnes homines pariter esse diligendos à nobis , & tantùm , quantum nos , Deum autem plusquàm nos , iuxta hunc opinandi modum non oportet differere : igitur æquali charitatis affectu , & in effectu , aut operum exhibitione , cunctos proximios amare debemus .

18. Respondet tamen Magister ad Augustini autoritatem , eam non esse referendam ad æqualitatem affectus , nec effectus , sed ad bonum tantùm , quod proximis exoptamus , vt paria bona mereantur ; quemadmodùm quærebat Apostolus 1. Corinth. cap. 7. *Volo autem omnes vos esse sicut me ;* quia ad tantum bonum debemus omnes diligere , sicut & nosmetipsos ; non tamen æquali charitatis affectu , nec pari effectu , aut operum exhibitione ; atque adeò non omnes proximios a quo affectu , & effectu amare iubemur .

19. Tertia sententiâ , & quæ magis arridet Magistro , propugnat , omnes proximios , nec suppari charitatis affectu , nec effectu , diligendos fore . Sic suam unicam huius opinionis Assectæ concinnabant ratio-

tionem : Ordo charitatis benè ordinatè præscriptus, tam in affectu, quam in effectu, necessariò in proximorum dilectione enitescere debet ; sed charitatis ordo benè ordinatè præscriptus in proximorum dilectione, non exoptulat æqualitatem, imòporiùs inæqualitatem, differentiam, aut distinctionem, ut nuper cum Augustino expe- debamus : ergo nec affectu, nec effectu omnes proximi æqualiter sunt diligendi ; cum rectus ordo absque inæqualitate esse non possit. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

20. PRO SECUNDE verò distinctionis partis enodatione, se- cundum proponimus pronunciatum : *Boni extranei plus in hac vitâ sunt diligendi, quàm parentes mali.* In cuius assiduum examen duas exci- tat Magister quæstiones, & earum solutionibus appolitè consuadet incrementum.

21. Primò, sic primum exagitat dubium Magister : *Si parentes nostri, vel filij, vel fratres mali sunt : An magis, vel minus sint diligendi, quàm boni extranei ?* Et quanvis præsentem non plenè absolvat Ma- gister quæstionem ; tamen affirmativè respondet in litterâ, illamque autoritate, & ratione probat.

22. Ratione primò suadet : Sanctior est enim compago cordium, quàm corporum : ergo magis adherere debemus his, qui sunt con- iuncti nobis corde per vinculum charitatis, quàm alijs, qui solum carne, & charitatis glutino corde nobiscum sunt colligati ; sed boni extranei sunt nobis coniuncti corde per vinculum charitatis ; & pa- rentes mali solum carne, aut corde glutino charitatis colligantur nobiscum : ergo plus boni extranei in hac vitâ sunt per charitatem diligendi, quàm parentes mali.

23. Etiam autoritate Venerabilis Bedæ, in verba illa Matthæi cap. 12. *Mater mea, & fratres mei hi sunt, &c.* sic probat assertum Magister : *Non iniuriosè negligit matrem ; nec mater negatur, quæ etiam de cruce cognoscitur : sed religiosiores sunt copulæ mentium, quàm corporum :* ergo si religiosiores sunt copulæ mentium, quàm corporum, potiùs erunt diligendi boni, qui nobis carnè non sunt coniuncti, quàm ma- li carnè nobiscum colligati.

24. Secundò, etiam sic secundum excitat dubium Magister : *Si Dominus præcipit inimicos diligere ; cur alibi mandat odio habere parentes, & filios, cum hæc coherere non videantur ?* Et respondet Magister clarâ hæc itationi adhibendo solutionem, illamque Augustini testimonio in litterâ roborando.

25. Ideò Dominus, omni contradictione eliminatâ, præcipit

inimicos diligere, etsi alibi apud Lucam cap. 14. odisse parentes, & filios mandet; quia duo in homine diligenda invenimus, naturam, quippè, & virtutem; vitium verò, & peccatum odiendum. Parentes enim, in quantum mali, odiendi sunt, & inimici diligendi, in quantum homines: ergo rectè Dominus præcipit inimicos diligere, & odio habere parentes; nosque possumus, absque ullo contradictionis vitio, ea exequi cum debitâ distinctione mandata.

26. Nunc transcribimus ad litteram Augustini auctoritatem, in lib. 1. Retract. cap. 19. firmantem: *Diligamus ergo inimicos lucrandos regno Dei, & odiamus propinquos si impediunt nos à regno Dei; & in omnibus communiter naturam diligamus, quam Deus fecit: ergo si benè perpendantur hæc divina mandata, nempe diligere inimicos, & odio habere parentes, sub nullâ ea invenientur contradictione versari. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.*

27. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis ostensione, tertium statuitur pronunciatum: *Charitatis gradus, etsi varij sint, sub quadruplici tamen clauduntur numero.* Quod ex eorum enumeratione duntaxat probat Magister, etsi postmodum ipsorum taxatum numerum quadam Augustini perentet auctoritate fuicire.

28. Hi etenim sunt præcipui charitatis gradus, videlicet, charitas incipiens, proficiens, perfecta, & perfectissima; quorum propria munera ac munia ex ipsorum terminis satis clarere videntur: igitur charitatis gradus, etsi varij censeantur, tamen sub quadruplicato numero comprehenduntur.

29. Divus Augustinus sic modò præmunit assertum tract. 5. in Joannem: *Perfecta charitas est; ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori. Sed nunquid mox ut nascitur iam prorsus perfecta est? Imò ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicit: Cupio dissolvi, &c.* Ergo si ex Divo Augustino, charitas primò nascitur, deinde nutritur, postea roboratur, & tandem perficitur, quatuor tantum erunt præcipui charitatis gradus.

30. Sed oppones primò: Maioris excellentiorisque perfectionis signum est suscipere laborem in alicuius famulatum, quam querere otium cum eo: ergo quia ad perpetuam charitatem, potius pertinere videtur dicere, cupio laborare pro Christo; quam cupio dissolvi, & esse cum Christo: igitur Augustini dictum non aptè hic sonare videtur.

31. Respondetur, Augustini auctoritatem vndique aptam cen-

seri. Quia ardens desiderium vacandi à labore cum Christo, duplici ex capite exoriri valet. Vel ob tædium longum malorum præsentium; vel ob mundanorum contemptum, & affluentem cœlestium prægustationem. Primo modo non est signum perfectionis, sed imperfectionis; cum hoc reverà sit recusare laborem. Secundo modo est perfectionis, si vè perfectæ charitatis signum; quia non contemnit laborem; sed quia spiritus tanto ferventis amoris pondere erga Christum fertur, vt castissimo fœdere ipsi iunctus, vix sine illo vivere possit; & ex hoc flagranti desiderio agitatus, dicit, cupio dissolvi, & esse cum Christo. In hoc secundo alloquitur Augustinus sensu.

32. Oppones secundo: Magister hîc cum Augustino solum quatuor charitatis annumerat gradus; Sed Magister ipse cum Ambrosio, in primâ huius distinctionis parte, sex charitati gradus adscribit: ergo aut Augustinus diminutè processit in eorum calculatione; aut Ambrosius cum Magistro in ipsâ recensione superfluitate scætet.

33. Respondetur cum Magistro negando Consequentiam. Quia Augustinus, dum charitatis gradus recenset, solum respicit charitatem secundum se, si vè penes præcipuas differentias boni, quæ sunt supra nos, & bonum intra nos, & iuxta nos, & infra nos: At Ambrosius ipsam contemplatur charitatem prout est in naturâ, quam ordinat, dirigit, & regit; & hæc non solum respicit differentias boni; verùm & rationem proprij, & alieni propinqui, & remoti contemplatur; cuius rectus ordo ad sextam vsque ingeminatur differentiam; sicque Augustinus, & Ambrosius invicem non se dant in obium. Et hæc de tertiâ parte sufficiant.

QVÆSTIONES.

34. **QVÆSTIO** 1. An in charitate sit ordo respectu diligibilitiæ.
 Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 1. & in 3. dist. 29. q. 1. art. 1. Chalvet tom. 7. lib. 4. q. 8. cap. 1. & seqq. Camerinus tom 2. q. 26. art. 1. Nicolai in 3. dist. 29. q. 1. art. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 11. dub. 7. Medina in 3. dist. 29. q. 1.
35. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 29. q. vnic. Benjumea de charit. dist. 3. q. 3. art. 1. Boyvin de charit. disp. 3. cap. 1. q. 7. Castillo de charit. disp. 5. q. 3. Herincx p. 3. disp. 11. q. 7. & 8. Aquila in 3. dist. 29. q. 1. Gallus in 3. dist. 29. cap. 1. & seqq. Maltrius tom. 3. disp. 6. q. 21. art. 1. & seqq. Poncius tract. 8. disp. 32. q. 3. Pichon de charit. disp. 2. cap. 1. sect. 4. difficult. 1.

36. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de charit. disp. 1. sect. 1. & seqq. Escobar tom. 6. lib. 49. sect. 2. cap. 15. dub. 18. Amicus tom. 4. disp. 29. sect. 1. Rhodès tract. 6. disp. 4. q. 2. sect. 3. §. 1. Turrian. de charit. disp. 73. dub. 1. & seqq. Palao tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 6. & seqq. Filliucius tom. 2. tract. 20. cap. 2. q. 1. & seqq.
37. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 29. art. 1. q. 1. Alenf. 3. p. collat. 68. art. 1. Aureolus in 3. dist. 29. q. 1. Gabriel in 3. dist. 29. q. 1. Caspensis tom. 2. tract. 17. disp. 3. sect. 3. Bonæspei tom. 4. disp. 2. dub. 4. Malletus tom. 2. pag. 22. Baudun. de charit. q. 59. art. vnic. Estius in 3. dist. 29. §. 1.
38. Quæstio 2. An Deus sit plus diligendus, quàm nos, & proximi? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. p. q. 60. art. 5. & in 3. dist. 29. q. 1. art. 3. Camerinus tom. 2. q. 26. art. 2. Cayetan. 1. p. q. 60. art. 5. Bañez 2. 2. q. 26. art. 3. Sylvius 2. 2. q. 26. art. 3. Nicolai in 3. dist. 29. q. 2. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 11. dub. 7.
39. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 29. q. vnic. Mastrius tom. 3. disp. 6. q. 21. art. 1. & 2. Pichon de charit. p. 2. disp. 2. cap. 1. difficult. 3. sect. 4. Boyvin de charit. disp. 3. q. 9. Castillo de charit. disp. 5. q. 1. Poacius tract. 8. disp. 32. q. 3. Cavellus in schol. in 3. dist. 29. q. vnic. Aquila in 3. dist. 29. q. 1. Gallus in 3. dist. 29. q. 1. cap. 2. & seqq.
40. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de charit. disp. 1. sect. 4. & 5. Amicus tom. 4. disp. 29. sect. 2. Coninch de ordine charit. disp. 24. dub. 3. Rhodès tract. 6. disp. 4. q. 2. sect. 6. §. 2. Escobar tom. 6. lib. 49. sect. 2. cap. 15. dub. 19. & seqq. Palao tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 1. & seqq.
41. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 29. art. 1. q. 2. Alenf. 3. p. collat. 68. art. 2. Gabriel in 3. dist. 29. q. 1. Aureolus in 3. dist. 29. q. 1. art. 1. & seqq. Baudun. de charit. q. 60. art. vnic. Caspensis tom. 2. tract. 17. disp. 3. sect. 5. Bonæspei tract. 4. disp. 1. dub. 4. Malletus tom. 2. pag. 22. & seqq. Estius in 3. dist. 29. §. 1. & seqq.
42. Quæstio 3. An bonum proprium sit præponendum bono proximi secundum charitatis ordinem? De quo, hic q. 1. & 2.
43. Quæstio 4. An magis diligendi sint parentes, quàm filij? De quo, hic quest. 1. & 2.
44. Quæstio 5. An charitatis ordine domestici sint extraneis præferendi? De quò, hic q. 1. & 2.
45. Quæstio 6. An scire quid sit faciendum, & nescire ordinem efficiendi illud, rectè cohæreant? De quò, hic quest. 1. & 2.
46. Quæstio 7. An illud proloquium: Charitas incipit à seipso, verum habeat sensum? De quò, hic quest. 1. & 2.

47. Quæstio 8. An Episcopus, ingruente peste tuâ suâ in diœcesi, teneatur ibi morari? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 5. Cayetan. 7. 2. q. 185. art. 5. & seqq. Sylvius 2. 2. q. 185. art. 5. Sotus de iust. lib. 1. q. 3. art. 1.

48. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 38. q. 1. num. 11. Macedo de Clavib. lib. 4. cap. 7. pag. 514. Corduba in qq. lib. 1. q. 19. Castillenus in Polyanth. Seraph. verb. residentia, cap. 7. & seqq. Cavellus in schol. in 3. dist. 38. quæst. 1.

49. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 44. sect. 3. Valentia in 3. p. disp. 10. q. 3. punct. 5. Toletus in summ. lib. 4. cap. 10. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 3. Coninch de fide, disp. 15. dub. 5. Vazquez in Opuscul. de Benefic. cap. 4. s. 2. dub. 1. Azor p. 2. lib. 7. cap. 4. Reginal. tract. 4. lib. 30. num. 54. Sanchez lib. 8. disp. 6. num. 5. Bauny de benefic. disp. 14. cap. 4. Fagundez tom. 1. lib. 1. cap. 29.

50. Ex Alijs Diana p. 5. tract. 2. resol. 8. Covarrub. lib. 3. var. cap. 13. Barbosa 3. p. de offic. & potest. alleg. 53. Anton. Genuef. in Manual. pastor. cap. 31. Bassæus verb. residentia, num. 1. & seqq. Navarro in Manual. cap. 25. num. 121. Gonçalez in Reg. 8. Cancellar. gloss. 24. num. 128.

51. Quæstio 9. An Episcopi teneantur residere in loco, qui habent Ecclesiam, ubi accollæ omnes totius diœcesis sunt schismatici? De quò, hic quæst. 8.

52. Quæstio 10. An liceat Parochis suis ab Ecclesijs abesse causâ pestis, infirmitatis, aut inimicitæ capitalis? De quò, hic q. 8.

53. Quæstio 11. An, si in totâ diœcesi sit pestis, possit licitè Episcopus extra illam, loco tamen viciniore tuto herere, indeque omnibus suis providere? De quò, hic quæst. 8.

54. Quæstio 12. An charitas erga proximum, sivè vrgens necessitas valeat à residentia excusare? De quò, hic quæst. 8.

55. Quæstio 13. An omnes homines suppari charitatis debeamus diligere affectu? De quò, hic quæst. 1. & 2.

56. Quæstio 14. An ex charitate primò Deum, & ultinò inimicos teneantur diligere? De quò, hic q. 1. & 2.

57. Quæstio 15. An mali carne coniuncti plus sint ex charitate diligendi, quàm boni extranei? De quò, hic q. 1. & 2.

58. Quæstio 16. An minus diligere inimicos, quàm alios proximos, aptè ac licitè homines possint? De quò, hic q. 1. & 2.

59. Quæstio 17. An, & quomodò sit charitas incipiens, proficiens, perfecta, perfectior, & perfectissima? De quò, hic q. 1.

60. Quæstio 18. An liceat Episcopis suis ab Ecclesijs abesse ob alias causas ex annumeratis in primo capite Sessiois Vigesima tertiæ Tridentini? De quò, *hic q. 8.*

61. Quæstio 19. An Pontifex, iuxta qualibet ex causâ, valeat concedere facultatem non residendi ad biennium, quinquennium, aut in perpetuum? De quò, *hic q. 8.*

DE CHARITATE, QUANTVM AD meriti perfectionem.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ.

Synopsis.

*Maius habet meritum chari dilectio fratris,
Quàm tenet adversi frigidus hostis amor.*

Sic incipit: *Hic solet quæri.*

Sic terminat: *Accipiendum est.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de ordine charitatis respectu diligendorum, sive de charitate ipsâ secundum quantitatem motus; sed in præsentî determinat de eâ quantum ad meriti perfectionem: igitur à connexionis scopo in his distinctionibus non aberrat Magister.

2. Consequentia probatur: Charitas, quantum ad meriti perfectionem, necessario consequitur ex ipsâ charitate secundum quantitatem motus; sed Magister in superiori distinctione egit de charitatis ordine respectu diligendorum, sive de charitate ipsâ secundum quantitatem motus: ergo dum in præsentî de eadem determinat charitate, quantum ad meriti perfectionem, non incongruè procedit.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ assignat Magister rationem, quare amicorum dilectio sit magis meritoria, quam inimicorum. In secundâ verò, oppositum sustinere videtur, nempe, dilectionem inimicorum magis meritoriam

riam esse amicorum dilectione. In tertiâ autem, & ultimâ expendit, qualiter charitas possit coherere vnâ cum inimicorum dilectione imperfectâ.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis indagine, prima statuitur thesis: *Maiores meriti arbitratur dilectio, quâ amicus diligitur, quàm illa, quâ inimicus amatur.* Hanc propugnat Magister in litterâ ex cuiusdam dubitationis efficaci solutione.

5. Sic in textûs litterâ inquirat Magister: *An diligere amicum maioris sit meriti, quàm inimicum diligerè?* Cui perdifficili dubitationi cum distinctione respondet Magister. Si enim amicorum dilectio vnâ cum inimicorum dilectione accipiatur, comparaturque ad solam amicorum dilectionem, absque vllâ controversiâ perspicua est solutio, quòd diligere amicum, simulque inimicum, sit maioris meriti, quàm solum diligere amicum.

6. Si verò dilectio amici solitariè accipiatur, comparaturque ad solam inimici dilectionem, tunc obscura, & valdè operosa est solutio; cum non possit faciliter dijudicari, an sit idem, vel diversus dilectionis motus, quo diligitur amicus, & inimicus. Tamen non incongruè putatur, dilectionem amici esse magis meritoriam inimicorum dilectione, siuè sit vnâ, siuè duo dilectionis motus, quibus amicus, & inimicus diligantur, eò quòd amicorum dilectio sit feruentior frequentiorque inimicorum dilectiones.

7. En apertum referaturque Magistri iudiciùm circa appositam difficultatem, quod ex dictis sic primò poterat quoad primum illustrari sensum: Amicorum dilectio vnâ cum inimicorum dilectione, maior saltem extensivè censetur, quàm ea, quæ solum est amicorum ad vtrasque comparata; sed ex eo quòd maior sit amicorum dilectio vnâ cum inimicorum dilectione, quàm ea, quæ solum est amicorum ad vtrasque comparata, maioris est meriti diligere simul amicum, & inimicum, quàm tantum diligere amicum: ergo.

8. Secundò, etiam quoad alium probatur sensum: Illa est magis meritoria dilectio, quæ maiorem imbibit charitatis fervorem; sed dilectio amicorum solitariè accepta, maiorem imbibit charitatis fervorem, quàm inimicorum dilectio, si per se solum accipiatur; quia ferventiùs amicum, quàm inimicum diligimus, vt exploratum est apud omnes: ergo siuè sit vnus, siuè duo dilectionis motus, quibus amici, & inimici diligantur, amicorum dilectio semper erit magis meritoria inimicorum dilectione.

9. Sed oppones in Magistri doctrinam : Actus , ex Philosopho lib. 2. de animâ , textu 35. suam ad obiectis arrogant specificacionem ; sed amicus , & inimicus diversa obiecta , distinctaque diligibilia arbitrantur : ergo vno eodemque charitatis motu , non poterit quis amicum , simulque inimicum diligere : ergo Magistri solutio , non solum obscuritate laborat , vt ipsi videbatur ; verum in his , à rectitudine philosophicâ maximè flectit.

10. Respondetur , Magistri doctrinam indubitatis philosophiæ inniti principijs , sicque ab eius rectitudine nullatenus deviare , pro comperto habemus. Non enim loquitur hic Magister de actu , sive motu simplici , & absoluto ; nam ita non valet vnus idemque motus esse in amicum , & inimicum , vt benè convincit instantia ; sed de actu , aut motu collativo , quo quis afficitur circa aliqua duo , vnum alteri præponendo. Vnde , potest quis hoc vnico motu comparativo diligere amicum , & simul inimicum ; & quod secundum aliquid sui sit intensior , & secundum aliquid remissior , cum in ipso prius , & posterius absque vllâ contradictione cohæreant. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

II. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis indagacione , secunda præfigitur thesis : *Dixit Augustinus hic obrium se dat superiori assertio , dum tenere videtur , maioris meriti esse dilectionem , quâ inimicus diligitur , quàm quâ amicus amatur.* In cuius probationem quosdam Augustini expressas adducit authoritates , et si postmodum ipsis accommodam interpretationem in textus litterâ adijciat.

12. Sic arguit Augustinus in Enchir. cap. 73. Plus est diligere inimicum , quàm amicum : ergo & maioris meriti dilectio inimici , quàm amici. Probat Antecedens : Diligere inimicos , eisque benefacere , congruit perfectis ; neque hoc à tantâ multitudine impleri , quantâ in oratione Dominicâ exauditur , dum dicitur : *Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ergo quia plus est diligere inimicum , quàm amicum ; atque adeò maioris meriti dilectio inimici , quàm amici.

13. Vtteriùs , hanc Augustini authoritatem præfigimus , & alias modò missas facimus , cum omnes in vnum coire videantur. Sic affatur in Enchir. cap. 74. *Minus magnum est erga eum , qui tibi nihil mali fecerit esse benevolum , & beneficium : Illud multò grandius , & magnificentissima bonitatis est , vt tuum quoque inimicum diligas , & ei , qui tibi malum vult , & si potest , facit , tu semper bonum velis , faciasque quod possis , audiens dicentem Iesum : Diligite inimicos vestros , & benefacite his , quæ*

oderunt vos, &c. igitur inimicorum dilectio, ex Augustino, multò melior perfectiorque est amicorum dilectione.

14. Respondet tamen Magister, Augustinum hinc fuisse alloquutum iuxta superioris asserti sensum, videlicet, dilectionem inimici vnà cum amici dilectione esse meliorem, maiorisque meriti, ac perfectionis, quàm sola amici dilectio; non verò, quòd inimici dilectio solitariè accepta, & ad solius amici dilectionem comparata, sit perfectior maiorisque meriti, quàm ista.

15. Sed argues iterum in præfata Augustini dubitationis fulcimentum ex illo Matthæi cap 5. *Si diligitis illos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis*: ergo quia ex his Christi Domini verbis satis claret, vt innuit Glossa, maioris meriti ac perfectionis esse inimicorum, quàm amicorum dilectionem; cum maior merces inimicorum dilectioni adscribatur: igitur quòd maioris meriti sit dilectio, quàm inimicus diligitur, quàm illa, quàm amicus amatur, haudabiè Augustini considerationi favere videtur.

16. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando geminam Consequentiam, sacrumque Matthæi exponendo textum. Quia, etsi in dilectione inimicorum plus charitatis virtus extensivè, cæteris paribus, exerceri videatur, quàm in amicorum dilectione, eò quòd dilectionis motus erga inimicos parior, & difficilior appareat; nihilominus motus dilectionis in amicos maioris meriti ac perfectionis arbitratur; cum maiori intensione, & assiduo fervore polleat hic charitatis motus, quàm ille, nihilque inveniatur in eo, à quo retardari possit. Vndè Matthæi dictum, solùm impræsentiarum hoc in sensu expendere duximus opportunum.

17. Argues insuper: Maior est pugna, & difficultas in inimicorum dilectione, quàm in amicorum amore; sed vbi maior viget pugna, & difficultas, ibi maior virtus, & perfectio moratur: ergo si in inimicorum dilectione maior viget pugna, & difficultas, quàm in amicorum amore moratur, maioris meriti, & perfectionis erit dilectio, quàm diligitur inimicus, quàm illa, quàm inimicus amatur.

18. Respondetur ex Magistro negando Minorem, & Consequentiam. Licet enim maior pugna, & difficultas in inimicorum amore vigeat, quàm in amicorum dilectione; tamen amicorum amor, æquè omnibus pensatis, maior, & perfectior autumatur, quàm inimicorum dilectio, etsi hæc difficilior assequatur illo; quia magnitudo perfectionis amoris non desumitur ex maiori pugna, aut difficultate assequationis illius, sed ex maiori intensione, & assiduitate

fervoris, quo diligitur obiectam; quod reverà potius dilectioni amicorum, quàm inimicorum aptatur amor. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

19. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis enucleatione, tertia præficitur thesis: *A Magistro non diffitetur in litterâ, quòd sine perfectâ inimicorum dilectione, alicui dimittatur peccatum.* Quam deducit Magister quodam ex dubio, quod ex Augustini verbis subornitur in textu.

20. Hæc sunt expressa Augustini eloquia in Enchir. cap. 73. *Diligere inimicos non impleri à tantâ multitudine, quantâ exauditur in oratione Dominicâ*; ergo non incongruè infertur, quòd alicui non diligenti inimicum, dimittatur peccatum à Deo: igitur à Magistro non diffitetur in litterâ, quòd sine perfectâ inimicorum dilectione, possit alicui dimitti peccatum.

21. Deindè, poterat quis hunc ex his concinnare discursum: Peccata non dimittuntur adultis, nisi charitatem habeant; sed alicui non diligenti inimicum, dimittuntur à Deo peccata: ergo aliquis non diligens inimicum poterit charitatem habere; sed hoc maximè repugnat; quia dum præcipitur proximi dilectio, sub proximi nomine, omnis intelligitur homo, sive amicus, sive inimicus: ergo.

22. Respondet primò ad dubitationem Magister, iuxta aliquorum sententiam, ipsos sustinuisse, posse quempiam charitatem habere, & inimicos non diligere, quin præceptum generale de proximorum dilectione suæ opinioni officiat: Dicentes, perfectis dari in præceptum diligere omnem hominem, etiamque inimicum; imperfectis verò, seu minoribus, in consilium; ita quòd nihil ampliùs sit eis mandatum, nisi non odisse inimicos. Hæc autem opinio non est grata Magistro.

23. Aliter ergò responder Magister, præceptum illud de inimicorum dilectione datum fuisse omnibus in præceptum, ut suadent, ostendantque nuper appositæ Sanctorum Patrum autoritates; nec sufficere, ut impleatur de eorum dilectione mandatum, non odisse inimicos; sed viteriùs necessariò requiri eos diligere; cum ipsorum dilectio haudubiè sit contenta sub illo amplissimo generali que præcepto: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

24. Ad M. P. Augustini autoritatem dicentem, mandatum de inimicorum dilectione solùm datum fuisse in præceptum perfectis; imperfectis verò, sive minoribus in consilium; & cui duntaxat inni-

ritur opposita sententia, quam non plaudit Magister, imò fastidit in litterâ, respondetur, ipsum solum voluisse docere, quòd diligere inimicos charitate perfectâ, esse tantum perfectorum; quin per hoc excludatur, alios nondum perfectos ad inimicorum dilectionem teneri.

25. Consentaneè his respondet Magister ad aliud Augustini dictum, nempe, diligere inimicos non impleri à tantâ multitudine, quantâ in oratione Dominicâ exauditur; atque adeò nonnullos exaudiri à Deo, eosque veniam peccatorum suorum ab ipso adipisci sine inimicorum dilectione, sic esse accipiendum, quòd non diligunt eos charitate perfectâ; non verò, quòd absolutè non diligant, aut ipsos diligere non teneantur. Vnde, assertum nostrum pro huius distinctionis partis euodatione appositum, quippè: A Magistro non diffinitur in litterâ, quòd sine perfectâ inimicorù dilectione, alicui dimittatur peccatù, reverà omninò illæsum, & vndique clypeatum manet.

26. Sed oppones primò in Augustini auctoritatem: Qui non dimittunt iram proximis suis antequam rogentur ab ipsis, perfectò iram servant proximis suis; sed qui iram servant proximis suis, charitatem non habeat: ergo in oratione suâ non sunt digni exauditione, nec rectè orant pro inimicis suis: igitur in oratione Dominicâ exaudiri non debent; sed Augustinus sustinet, ipsos exaudiri à Deo in oratione Dominicâ: ergo in his obvius est Augustinus.

27. Respondetur ex Magistri doctrinâ, aliud esse dimittere iram inimicis, & aliud signa iræ ipsis dimittere. Dimittere iram inimicis, necessitatis, & præcepti est; & ad hoc omnes tenemur, si vè inimicus repugnet, si vè veniam exoptulet. Dimittere autem, non solum iram, verùm & iræ signa, maximæ, & excellentissimæ perfectionis est; sed ad hoc non tenetur homo, nisi in casu, in quo devotè, & humiliter ab ipsis postulatur venia. De hac ergò remissione, exauditioneque alloquitur Augustinus in litterâ textus.

28. Oppones secundò: Omnes qui servant iram erga inimicos suos, recitantque orationem Dominicam, perfectò contra seiplos orare videatur; quia cum nolint inimicis suis dimittere, iam ex consequenti exoptulant, quòd nec Deus dimittat eis peccata sua; sed qui postulant, quòd Deus non dimittat eis peccata sua gravissimè peccant: ergo qui iram servant erga proximos suos, & orationem Dominicam recitant, non solum possunt non exaudiri à Deo; verùm mortaliter peccare videntur.

29. Respondetur ex ipsâ Magistri doctrinâ, quòd recitantes

orationem Dominicam ex corde, intendunt per eam, collationem bonorum, & peccatorum remissionem obtinere; sicque petentes, aut pœnitent, aut proponunt aliquandò pœnitere. Quamobrem, estò habeant iram erga inimicos suos, & orationem Dominicam recitent, non peccant lethaliter, quia non intendunt exposcere quòd fiat ipsi secundum pravam voluntatem, quam habent, sed secundum voluntatem bonam, quam, etsi tunc non habeant, intendunt tamen Dei suppetijs habere. Si autem orationem illam recitarent, & nunquam proponerent ab illà inimicorum suorum recedere irà, quavis iram exposcere non intenderent, culpam tamen suam absque dubio aggravarent.

30. Quidam autem cum Seraphico Doctore hïc Augustini profundum exponentes notum; aliter instantiæ respondent, orationem illam Dominicam recitantes, dicentesque dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, &c. non eam proferre in personà suà, sed in personà Ecclesiæ, cuius intendunt esse membra; sicque non petere contra seiplos, nec intentione principali, nec ex consequenti.

31. Tandem pro Opinione illà iam hïc explosà à Magistro, quippè, perfectis dari in præceptum diligere omnem hominem, etiamque inimicum; imperfectis verò, sive minoribus in consiliū; ita, ut nihil amplius sit eis mandatum, nisi non odisse inimicos: Oppones tertio: Circa præceptum de proximorum dilectione, ad id solum tenemur, ad quod obligabantur antiqui; sed ad inimicorum dilectionem non tenebantur antiqui, sed potius ad eorum odium, iuxta illud Matthæi cap. 5. *Amisisti, quia dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: igitur diligere inimicos ex charitate perfectà, solum est datum viris perfectis in præceptum; imperfectis verò in consiliū; ita, ut ad aliud illos teneri non videatur, nisi non odisse inimicos.

32. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quia nec lex antiqua, nec nova nunquam præcepit odio habere inimicos; imopotius eorum dilectio continetur sub amplissimo illo præcepto: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hebræi enim sic à contrario sensu arguebant, sed perperam tamen: Nobis tantum præcipitur diligere amicos: ergo tenemur odire inimicos. Cum ergò id legitimè non deducatur ex Hebræorum instantià, inimicorum dilectionem semper fuisse omnibus in præceptum, & nunquam in consiliū datam, à nullo hïc sane poterit inficiari.

33. Oppones quartò Divum Ambrosium super cap. 2. Canticoꝝ. in distinctione superiori dicentem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum, & inimicos tuos non ex tota virtute, nec sicut teipsum, sed sufficit eos odio non habere*: ergo quia mandatum generale de inimicorum dilectione, non est datum omnibus in præceptum, cum sufficiat nobis, odio non habere inimicos, pro huius præscripti adimplerione exactâ.

34. Respondetur ex Magistro in textûs litterâ distinctionis antecedentis, Divum Ambrosium nunquam dixisse, inimicos non esse diligendos, siue sufficere nobis pro præcepti adimplerione, eos non odio habere; sed ipsum solum ostendisse gradus diligendi Deum, proximum, & inimicum. En Magistri verba, quæ omnem penitus eliminant dubitationem, dum tanti Doctoris mentem illustrant. *Dicit etiam: Diligite inimicos, nec addit ex tota virtute, nec sicut teipsum, sed simpliciter. Sufficit enim quod diligamus, & non odio habeamus, id est, sufficit dicere, ut diligamus, & odio non habeamus, non quia eos diligere non debeamus sicut nos, quia proximi sunt, sed sufficit si eos minus diligamus, quam alios proximos, quod loquutionis genus inuit.*

35. Oppones quintò: Nulli est rationale dubium, totius perfectionis culmen esse diligere inimicos, pro ipsisque assidue exorare; sed non omnes tenentur ad totius perfectionis culmen: ergo non omnes vinculo præcepti astringuntur ad inimicorum dilectionem; atque adeò pro debita mandati executione fat erit odio eos non habere.

36. Respondetur ex ipsius Magistri doctrinâ, quòd diligere inimicos effectu, simulque affectu, operis exterioris exhibitione, dum se offert temporis opportunitas, est perfectionis culmen: At, eos sic diligere, dum in ipsos incumbit necessitas, est necessaria obligationis, iuxta illud Ioannis cap. 5. Si quis viderit proximum suum, siue amicam, siue inimicam necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, iam amplius non est charitas Dei in eo. Unde, omnes tenemur vigore illius vastissimi dilectionis proximorum præcepti diligere inimicos, non solum quoad affectum, verum quoad effectum, præsertim in casu necessitatis; sicque pro huius divini adimplerione mandati, fat non erit odio non habere inimicos, sed necesse est eos positivè diligere. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

37. **Q**VÆSTIO 1. An omnes teneantur suos diligere inimicos quantum ad affectum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q.25. art.8. & in 3. dist. 30. q.1. art.1. Chalvet tom.7. lib. 4. q. 7. cap.1. & seqq. Camerarius tom.2. q.25. art.8. & 9. Nicolai in 3. dist. 3. q.1. art.1. & seqq. Philipp. à SS. Trinic. tom.3. tract.1. disp.11. dub.9. Rayner. de Pilsis tom.2. verb. amor, cap.7. & seqq.

38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist.30. q. vnic. Poncius tract. 8. disp. 32. q. 4. & 5. Benjumea de charit. dist.4. q. 3. art.2. Boyvin tom 3. disp. 3. de charit. cap.1. q 6. Castillo Velasco de charit. disp.4. q.3. Herincx p.3. disp.11. q.6. Aquila in 3. dist.30. q.1. Gallus in 3. dist.30. cap.1. & seqq. Cavellus in schol. in 3. dist.30. q.1.

39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de charit. disp. 4. sect.1. & seqq. Amicus tom. 4. disp. 28. sect.3. Castro Palao tom.1. tract.6. disp. 1. punct.6. & seqq. Carleton tom.2. disp.37. sect.5. Fillucius tom.2. tract. 28. cap.1. q. 6. & 7. Valentia 2.2. disp.3. q. 3. punct.2. Turrianus de charit. disp. 73. dub. 1. & seqq.

40. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist.30. art.1. q.4. Alensis 3. p. q.72. art.1. Gabriel in 3. dist.30. q.1. Aureolus in 3. dist.30. q.1. art.1. Durandus in 3. dist.30. q.1. Bonæspei tract. 4. disp.4. dub. 4. Caspensis tom. 2. tract.17. disp. 3. sect. 2. Estius in 3. dist. 30. §. 1. & seqq.

41. **Q**uæstio 2. An omnes teneantur diligere inimicos quantum ad effectum? De quò, *hic* q.1.

42. **Q**uæstio 3. An diligere amicum sit maioris perfectionis, quam diligere inimicum? De quò, *hic* q.1.

43. **Q**uæstio 4. An in præcepto charitatis, inimicus nomen proximi fortiatur? De quò, *hic* q.1.

44. **Q**uæstio 5. An teneantur homines animam suam pro inimicis ponere? De quò, *hic* q.1.

45. **Q**uæstio 6. An sit perfectissima charitas animam pro amicis ponere? De quò, *hic* q.1.

46. **Q**uæstio 7. An possit homo diligere inimicum sine gratiâ actuali, aut habituali? De quò, tom.2. dist.24. q.3.

DE CHARITATE QUANTVM AD durationem.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-PRIMÆ.

Synopsis.

*Sæpius in terris diuinum perdit amorem,
Quem tamen in Cælis perdere nescit homo.*

Sic incipit : *Illud quoque.*

Sic terminat : *Salutem optavit.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de charitate quantum ad meriti perfectionem; sed in præsentî determinat de ipsius charitatis duratione, aut existentia: ergo in earum connexionè rectè processit Magister.

2. Consequentia probatur: Prius est statuere essentiam perfectionemque rei, quàm de ipsius duratione existentiaque differere; eò quòd duratio rei semper præsupponat rem: ergo & prius erit statuere essentiam charitatis quantum ad meriti perfectionem, quàm de ipsius duratione, siuè existentia differere; sed Magister in superiori distinctione egit de charitatis meriti perfectione: ergo dum in præsentî de ipsius duratione, aut existentia determinat, rectum connexionis ordinem tenet.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, quomodo in viâ possit amitti charitas, non verò in patriâ. In secundâ verò statuit, omnem charitatis imperfectionem, quæ modò viget in viatoribus, eliminari à beatis in patriâ. In tertiâ autem, & ultimâ ostendit parte, qualiter charitas fuerit in Christo Domino in viâ secundum statum patriæ.

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis ostensione, en primum theoremata: *Charitas etsi possit amitti in viâ, tamen fide, & spe euacuatis, manet in patriâ.* Quod satis efficaciter probat Magister ex eu-

iusdam opinionis impugnatione asserentis, charitatem semel habitam ab aliquo, non posse excidere, nullumque damnandum hanc aliquando habuisse.

5. Sic huius opinionis Asseclæ eam mordicè tuentur. Primò ex Apostolo 1. Ad Corint. cap. 13. dicente: *Charitas nunquam excidit; sed ex eo quòd charitas nunquam excidat, charitas semel habita amitti non valet, nec eam damnandus aliquandò habere, aliter cum charitate posset damnari: igitur charitas semel habita nec potest amitti, nec eam damnandus aliquandò habere.*

6. Secundò ex Augustino in Psal. 103. Concion. 1. scribente: *Charitas quæ deseri potest, nunquam vera fuit: ergo charitas quæ vera est, nunquam deseri poterit: ergo charitatem veram semel habitam ab aliquo, non posse excidere, nullumque damnandum hanc aliquando habere, fateri debemus.*

7. Tertiò, eodem ex Augustino in litterâ asserente: *Charitas est fons proprius, & singularis bonorum, cui non communicat alienus: Alieni autem sunt omnes, qui sunt audituri: Non novi vos: ergo si charitas est fons aquæ vivæ, ita proprius, & singularis eum habenti, vt nemo alienus, siuè damnandus communicet illi in fine, benè colligitur, quòd charitas semel habita ab aliquo, non possit amitti, nec eam alienus, siuè damnandus aliquandò possidere.*

8. Quartò, iterùm Augustinus in 1. Epist. Ioan. tract. 8. sic de charitatis duratione sentit: *Radicata est charitas, securus esto, nihil mali procedere potest: ergo si dum charitas est radicata in aliquo, ita securus de eâ debet esse, vt nihil mali procedere possit, charitas semel habita ab homine, nunquam ab ipso deseri poterit, nec eam damnandus aliquandò habere.*

9. Quintò, Augustinus eandem Ioannis Epistolam tract. 3. expõnens, ait: *Vnctio invisibilis charitas est, quæ in quocunque fuerit, radix illi erit, quæ ardente sole arescere non potest, nutritur calore solis, non arescit: ergo si charitas est vnctio invisibilis, quæ ita radix est illi, cui inest, vt ardente sole non arescat, imò solis calore nutriatur, illa semel habita ab homine, ita erit illi radix, vt nunquam ab eo eradicari possit, nec à damnando aliquando haberi.*

10. Sextò, Divus Gregorius in Moral. lib. 10. cap. 22. sic de charitatis permanentiâ alloquitur: *Valida est, vt mors dilectio, virtuti enim mortis dilectio comparatur; quia nimirùm mentem, quam semel caperit, à dilectione mundi funditùs occidit: ergo si valida est, vt mors dilectio, quia mentem, quam semel capit, à dilectione mundi funditùs*

occidit, semel habitâ charitate ab aliquo, ab ipso nunquam evelli poterit, nec à damnando interdum possideri.

11. Septimò, idem Gregorius in Ezech. lib. 1. homil. 5. hæc clara profert eloquia : *In Sanctorum cordibus, secundum quasdam virtutes, semper manet spiritus*; sed si spiritus, sive charitas in Sanctorum cordibus semper manet, semel acceptâ charitate ab hominibus, nunquam ab eorum cordibus expungi poterit; sicut nec in damnandorum corda quandòque intrare: ergo.

12. Octavò tandem Ambrosius illustrans Apostolum 2. ad Corinth. cap. 6. affatur: *Ficta charitas est, quæ in adversitate deserit*: ergo si ficta charitas in adversitate deserit, vera charitas non poterit in adversitate infirmari; sed ex eo quòd vera charitas non possit in adversitate infirmari, semel habitâ charitate, incassum nunquam abire poterit, nec aliquandò in damnandis morari: ergo.

13. Hæc sunt præcipua fundamenta, quæ huius opinionis Patroni sedulo faciunt pro sua probabilitatis ingenti extruendâ mole. Verùm Magister in litterâ eam totis nixibus explodere pertentat. Primò, efficaci ac assidua oppositæ sententiæ propugnatione. Secundò, extremâ ac nervosâ fundamentorû, quibus innitur, eversione.

14. Probat iam primò suam opinionem Magister, nostrumque penitus tutatur assertum: *Quidam ex vastissimo hominum cœtu quandòque sunt boni, qui postmodum efficiuntur mali; & quidam quandòque sunt mali, qui postea sunt boni, ut ex ingominatis experientijs ad sensum patet*; sed contrariâ sententiâ superflite, hoc veram inconcussumque non subsisteret fundamentum; si charitas semel habitâ in viâ, dimitti non posset, aut damnandus eam nunquam habere valeret: ergo.

15. Secundò, ex divino Oraculo apud Lucam cap. 10. & Joannem cap. 6. dicente: *Quorundam nomina dicuntur esse scripta in libro vitæ, qui tamen postea abierunt retro: Dicebantur tamen esse scripta in libro vitæ, non secundum præscientiam Dei, sed solum, secundum præsentem iustitiam, sive gratiam, cui deservebant, eò quòd tunc digni fuerint illo bono, quòd habituri sunt præscripti secundum præscientiam*: ergo quia aliquot ad tempus habuerunt charitatem, quam postea amiserunt: igitur charitas etsi possit in viâ amitti, tamen fide, & spe evacuatis, manet in patriâ.

16. Sed dices: *Quòd in libro vitæ manet scriptum, id reverâ deleri non valet; cùm liber ille vitæ absolute sit immutabilis*: ergo non apparet possibile, ut qui scripti sunt in libro vitæ, postmodum

possint abire retrò, & de libro illo deleri: igitur hæc Magistri ratio adeò insufficiens videtur.

17. Respondet Magister in litterâ, quòd dupliciter valet quis in libro illo vitæ inscribi. Primò, secundùm præscientiam Dei. Secundò, solùm iuxta præsentem iustitiam, sivè gratiam, cui deservunt, eò quòd tunc digni fuerint illo bono, quod habituri sunt, præscripti secundùm præscientiam Dei. Qui enim primo modo sunt scripti in libro vitæ, nunquam ab eo deleri possunt: At, qui secundo modo scripti manent, possunt abire retrò, & de libro illo vitæ penitus expungi; quia hi solùm secundùm præsentem iustitiam sunt scripti; illi autem secundùm præscientiam Dei. Magister verò non alloquitur hic de scriptis in libro vitæ in primo sensu, sed in secundo; atque adeò eius instantia suffragatur asserto.

18. Tertio, Egregij Divi Ambrosij autoritate super cap. 9. ad Rom. sic præmunit assumptum Magister: *Quibusdam gratia data est in vitam ut Sauli, & Iudæ, & alijs discipulis, quibus Dominus dixit: Ecce nomina vestra scripta sunt in Cælis, & post abierunt retrò; sed hoc dixit Ambrosius propter iustitiam, sivè gratiam, cui deserviebant, quia boni erant: ergo quia nonnulli frequentet ante sunt mali, qui futuri sunt boni; & quandoque priùs sunt boni, qui futuri, & permanenti sunt mali; ob quòd dicuntur scribi in libro vitæ, & deleri; sed totum id consuadet, charitatem semel habitam in viâ amitti posse; & in patriâ, fide, & spe evacuatis, manere: ergo.*

19. Ulterius responder Magister ad fundamenta, in oppositum, vt eorum sententiam funditus evertat. Ad autoritatem Apostoli, dicens, eam esse exponendam de charitate secundùm eius finalem effectum; nam fides, & spes evacuabuntur in patriâ, & sola charitas in scelicissimo illo manebit statu, iuxta eundem Apostolum 1. Corinth. cap. 13; scribentem: *Charitas nunquam excidit; sivè prophetia evacuabuntur, sivè lingue cessabunt, sivè scientia destruetur. Nunc manent fides, spes, & charitas; tria hæc, maior autem horum est charitas.*

20. Ad Augustini autoritates pro oppositâ opinione adductas, etiam responder Magister in litterâ. Quòd dum dicitur, charitatem nunquam fuisse veram, quæ deseri potest, non ad essentiam charitatis dictum esse referendum, sed ad efficientiam, quia non efficit charitas, quæ deseritur, hominem verè beatum, nec illum ad verum perducit bonum; non autem affirmat, quòd charitas semel habitam in viâ nunquam possit amitti; sicut nec quòd damnandus nonnunquam eam habere potuerit. Consimiliter ad illud de fonte aquæ

vivæ, seu gratiæ, cui alieni, seu damnandi non communicant, respondet, non communicari huic fonti, seu gratiæ in fine, quia non perseverant fin aliter in ea; non quia aliquandò eam non habuerint ad tempus.

21. Ad alia diversa Sanctorum Patrum testimonia respondet vnâ voce Magister, ea fore intelligenda de perfectâ charitate, & secundùm ipsius finalem effectum, quæ semel habita amitti non valet; non de charitate incipiente, aut proficiente, quæ non est perfecta charitas. Nam exordia charitatis aliquandò crescunt, & aliquandò deficiunt. Sunt enim virtutis exordia, & profectus, & profectio; quos gradus ille discernit, qui parabolam illam, apud Marcum cap. 4. cællat: *Sic est Regnum Dei, quemadmodum si iaciat homo semen in terrâ, & dormiat, & exurgat, & semen germinet, & increseat dum nescit ille*: ergo quia perfecta charitas sic radicata est secundùm finalem ipsius effectum, vt amitti nequeat; incipiens tamen, & profecta amitti potest, & sæpè amittitur, sed dùm habetur, non sinit habentem mortaliter peccare.

22. Vnde, diabus anchoris factus Divus Augustinus lib. 50. hom. 8. id totum ad vnguem tradidit: *Quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas; simul ambæ esse non possunt; nisi vnâ radicibus evulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causâ conatur aliquis ramos incidere, si radicem non contendit evellere*: ergo si radix omnium bonorum est charitas, sicut & malorum omnium cupiditas; & simul ambæ esse non possunt; quia si cupiditas radicibus evulsa non fuerit, charitas plantari non valet; bene deducitur, quòd semel charitate perfectâ plantatâ, & radicatâ secundùm finalem eius effectum, amitti non possit, etsi incipiens, & profecta eradicari valeat.

23. Sed oppones: Maior est charitatis amor, quàm sit naturalis dilectio, eò quòd perfectiùs amantem cum amato videatur vnire; sed dilectio naturalis vnit inseparabiliter amantem cum amato, quia nullus vnquam odit quod naturaliter diligit: ergo strictiori vinculo convenit charitatis amori vnire inseparabiliter amantem cum amato, quàm dilectioni naturali: ergo qui semel charitatem habet in viâ, nunquam poterit hoc vinculo dilectionis privari.

24. Respondetur negando Consequentiam. Quia etsi charitatis amor perfectiùs vniat amantem cum amato, quàm naturalis dilectio; non indè deducitur, quòd inseparabiliùs vniat. Nam amor naturalis cum attentè respiciat ipsam propensionem naturæ, quæ est

ad vnum determinatâ , inseparabiliter vnit amantem cum amato, quia quod naturali amore diligitur, semper est amabile propter ipsius naturæ determinationem: At, quod charitatis amore diligitur, potest esse inuisum, seu odiosum propter voluntatis vertibilitatem, quæ est ad opposita secundum viâ statum; & idcirco qui charitate pollet in viâ, poterit vinculo illo dilectionis expoliari. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient.

25. PRO SECUNDE vero distinctionis partis enodatione, en secundum theorema: *Imperfectio charitatis pro statu viâ eliminabitur à beatis in patriâ.* Hoc etenim pronunciatum compressè probat Magister etiam ex cuiusdam quæsitii litterali solutione.

26. Inquirat ergo Magister in litterâ: *Si fides, spes, & scientia dicuntur evacuari in patriâ, quia ex parte sunt; cur & charitas cum etiam ex parte sit, non erit in statu illo evacuanda?* Et respondet succinctè Magister ad cunctas dubitationis partes, suamque solutionem quadâm Sapientissimi Helychij autoritate confirmare videtur.

27. Sic expendit solutionem quæsitii Magister. Primò, charitatem in viâ, in quantum est explicata, imperfecta, siuè ex parte, evacuari in patriâ, ipsamque iam omninò perfectam manere ibi quantum ad actum, & habitum. Quod ita in litterâ consuadere tentat Magister: Charitas in viâ ex parte est, siuè imperfecta, vt passim sustinent Patres; sed omne quod ex parte est, siuè imperfectum, evacuabitur in patriâ: ergo charitas, quæ modò est in viâ, cum sit explicata, & imperfecta, siuè ex parte, evacuabitur in patriâ; sed ex eo quod imperfectionis modus eliminetur ab ea, manebit omninò perfecta quantum ad actum, & habitum: ergo.

28. Rursus: Quemadmodum in viâ ex parte scimus; ita imperfectè, & ex parte diligitur; sed in patriâ omnis erit eliminanda imperfectio, perfectioque omnis addenda: ergo charitas in patriâ evacuabitur in quantum ex parte est, siuè imperfecta, & ipsi addetur perfectio: ergo remanebit in patriâ, omni eliminatâ imperfectione, quantum ad actum, & habitum, ipsa quæ modò viget in viâ.

29. Vtteriùs: Ideò confertur nobis charitas in viâ, vt diligamus Deum propter se ex toto corde, & proximum sicut nosiplos; sed Deus erit diligendus in patriâ ex toto corde propter seipsum, & proximus sicut nosipsi: ergo in patriâ remanebit charitas, vt hæc perfectissimè possint à beatis exequi munia; sed charitas in viâ ex parte est, & imperfecta: ergo necessariò in patriâ erit eva-

cuan-

cuanda, eliminandaque ab omni imperfectionis navo, vt ipsa remanente quoad actum, & habitum, valeat Deus diligi à beatis ex toto corde propter seipsum, & proximus sicut nos ipsi.

30. Tandem ex vultissimo doctissimoque Hesychio lib. 1. in Levit. cap. 2. dicente : *Charitas quidem etiam ex parte est, vt sapse Sancti docent, quia ex parte diligimus nunc ; & ideo ipsa evacuabitur in quantum ex parte est ; quia tollitur imperfectio, & addetur perfectio : ergo si charitas ex parte est, quia nunc ex parte diligimus ; & ideo ipsa evacuabitur in quantum ex parte est, quia tollitur imperfectio, & addetur perfectio, revera charitas dum perficiatur in patria, maneatque quantum ad actum, & habitum, evacuabitur ibi in quantum imperfecta, & ex parte est.*

31. Oppones primò : Sicut cessante causâ, cessat effectus ; sic evacuata causâ, evacuatur effectus ; sed fides & spes sunt charitatis causâ : ergo si fides & spes evacuantur in patria, non solum quoad actum, verum quoad ipsarum habitum, necessariò charitas erit in statu illo evacuanda, cum sit illarum effectus.

32. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quia fides & spes propriè non sunt charitatis causâ, sed præcisè dispositio quedam pro ipsius actu assequendo in statu viæ, non patriæ. In illâ verò felicissimâ beatorum sorte, visio superna disponit ad diligendum Deum omnimodâ perfectione. Undè, cum fides & spes, respectu charitatis, propriam causâ non fortiantur in viâ rationem, imò nec in patriâ dispositionis, rectè poterunt fides & spes evacuari in patriâ, ipsâ in statu illo remanente charitate.

33. Oppones secundò : Quod ordinat, & disponit ad finem alium assequendum, ipso assequuto, revera illico cessat ; sed charitas ordinat, & disponit rationalem animum ad claram, & intuitivam Dei visionem, summique boni possessionem : ergo cum hac assequatur à beatis in patriâ, charitatis habitus subito debet in ipsis cessare.

34. Responderetur negando Maiorem, & Consequentiam. Charitas enim non solum ordinat ac disponit rationalem animum ad claram, & intuitivâ Dei visionem, summique ac aterni boni possessionem ; sed etiam ad quiesciendum cum illo ; quemadmodum passim dicimus de pondere inclinante lapidem ad centrum, ibique morante cum ipso ; sicque non est opus, quod charitatis habitus cesset in patriâ, adhuc suæ ordinarionis, dispositionisque ultimo fausse assequuto fine ; cum non solum sit data, vt rationalis animus assequatur ultimum finem, sed vt moretur cum illo.

35. Secundo, etiam aliam solutionis quasi expendit partem Magister, nempe, fidem & spem, tam quoad actum, quam quoad habitum, penitus in patriam evacuandam fore. Et ratio est; quia fides & spes ita ex parte sunt, & imperfectæ, ut per novum augmentum graduale perfectionis non possint ab imperfectione evacuari: ergo necesse est, quod penitus in patriam evacuentur, non solum quoad actum, verum quoad earum habitum.

36. Sed argues primo: Sicut charitas in via ex parte est, & imperfecta; ita fides & spes in via sunt ex parte, & imperfectæ; sed charitas, etiam in via sit ex parte, & imperfecta, tamen in patriam evacuabitur quatenus ex parte est, sive quoad imperfectionem, quam nunc diligimus Deum, manebitque ibi secundum actum, & habitum: ergo quavis fides & spes sint in via ex parte, & imperfectæ, poterunt in patriam evacuari, quatenus ex parte, & imperfectæ sunt, ibique morari quoad earum actum, & habitum.

37. Respondetur ex Magistri doctrinam negando paritatem. Nam charitas etiam evacuetur in patriam, quatenus ex parte, & imperfecta est; nihilominus eius entitas perseverat absolute; quia esset imperfectio eliminatur, charitatis entitas absolute non evertitur; eo quod imperfectio illa consistat in remissione, quam pro statu isto diligimus Deum, & hæc penitus auferatur per augmentum, & intensiorem dilectionis in patriam, ipsam superstitem charitate in via: ergo non opus est, ut charitas omnino evanescat in patriam, quavis ibi evacuetur ex parte.

38. At fides & spes ita ex parte, & imperfectæ sunt, ut earum imperfectio non consistat in remissione graduali cognitionis, sed essentiali, nempe, in obscuritate, quam Deum in via cognoscimus, & expectatione certam futuram beatitudinis, quæ per augmentum graduale non auferuntur; sicque fides & spes penitus quoad entitatem evertentur in patriam, iuxta illud satis tritum Apostoli alloquium 1. Corinth. cap. 13. *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Charitas nunquam excidit.*

39. Argues secundo: Fides non solum expectat ad genus virtutis simpliciter, verum in virtutis theologicæ ordine locatur; sed virtus theologica perficit potentiam animæ secundum eius partem digniorem, imò maior ab omnibus perfectio censetur, quam quavis cardinalis virtus: ergo si status patriæ coheret cum virtutibus cardinalibus, potiori iure poterit fides virtus theologica in illa faustissima beatorum sede morari.

40. Respondetur ex ipsâ Magistri doctrinâ negando Cōsequen-
tiam. Fides enim virtus theologica, etsi perficiat animæ potentiam
secundùm eius digniorem partem, sitque virtus simpliciter, perfe-
ctiorque virtutibus cardinalibus, non indè consequitur, quòd in bea-
torum sede valeat morari. Evacuatur ergò fides in patriâ, quia non
est perfectio potentia secundùm statum patriæ, sed viæ, in quo in-
tellectus potest à veritate deflectere, in viâque captivari. Nec tenet
illud de virtutibus cardinalibus, quia præcipui actus earum perfici-
ciunt ipsas potentias secundùm utrumque statum, viæ quippè, & pa-
triæ; secus fides virtus theologica, cum solùm potentiam perficiat
secundùm statum viæ, non patriæ.

41. Argues tertio: Magis opponitur habitus fidei deformitati
peccati, quàm supernæ beatitudinis perfectionis; sed habitus fidei non
evacuatur per deformitatē peccati: ergo nec per beatitudinis super-
næ assequutionem poterit fidei habitus evacuari.

42. Respondetur, quòd si charitatis habitus accipiatur quatenus
est gratiâ informatus, plus opponitur peccato, quàm beatitudini;
quia gratia, quâ informatur habitus charitatis, tollitur per pecca-
tum, non per beatitudinem: Si verò accipiatur fides pro ipso habi-
tu inclinante inducenteque ad credendum ea quæ non videntur, tunc
plus opponitur beatitudini, quàm peccato, quia per beatitudinem
evacuatur, etsi per peccatum non auferatur; consequenterque non
urget instantia.

43. Argues quartò: Sicut verum verò non repugnat; sic lumen
lumini non opponitur; sed fidei habitus est lumen, sicut & beatitu-
do superna: igitur habitus fidei non repugnat, ut beatitudini super-
næ associetur; sed quo pacto habitus fidei, supernaque beatitudo non
repugnant associari, possunt invicem coherere: ergo habitus fidei
non est ex quo debeat evacuari in patriâ.

44. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quan-
vis enim verum verò, sive lumen lumini non opponatur, quatenus
est de naturâ luminis; tamen prout habitus fidei est tale lumen, op-
ponitur supernæ beatitudinis lumini; quia habet inseparabile ænig-
ma, quo ordinat hominem ad cognoscendum non visum; secus lu-
men supernum gloriæ: Vndè hoc adveniente lumine gloriæ, eva-
cuatur lumen habitus fidei, cum tunc non per ænigmaticam visio-
nem videat Deum beatus, sed per claram, & intuitivam visionem
illura attingat. Quamobrem, necessariò lumen illud habitus fidei
est evacuandum, eò quòd lumen aliud omninò perfectius superve-
niat,

niat, quippè lumen gloriæ, omnia alia vndequaue extinguens, & obnubilans lumina.

45. Argues quintò: Vbi verè desiderium adest, ibi spes virtus theologica proculdubiò morari valet; sed in fortunatissimâ beatorum sorte verè summum desiderium adest, iuxta illud 1. Petri cap. 1. vulgare affatum: *In quem desiderant Angeli prospicere*: igitur quòd spes virtus theologica in statu illo beatifico moretur, haud poterit inficiari.

46. Respondetur negando Consequentiam. Nam cum spe virtute theologicâ solùm desiderium obtinendi non habitum cohærere valet; secùs desiderium de continuando bonum iam possessum; cum nulla ibi sit spes, sivè expectatio non habiti. In beatorum ergò felicissimâ sorte non adest desiderium obrinendi non habitum, imò totius summi boni invenitur possessio; & ideò spes virtus theologica in statu patriæ penitùs evacuatur. Tamen desiderium de continuando bonum iam possessum compatitur in gloriâ; de quo reverà Divus Petrus in suâ affatur Epistolâ.

47. Argues sexto: Quemadmodùm infœlicissima damnatorum fors non bene cohæret cum faulstissimo beatorum statu; sic spes virtus theologica cum desperatione non compatitur: ergo quia quemadmodùm desperatio respicit damnatos; sic proportione servatâ, spes respicere debet beatos; sed necesse est desperationem locare in damnatis: ergo è contra, & spem virtutem theologicam ponere in beatis.

48. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando paritatem. Nam desperatio ideò cohæret cum damnatorum sorte, quia maxime conducit ad malorum omnium congeriem, constituens illum infantum lamentabilemque statum; at spes virtus theologica, attenta suâ formali ratione, non cohæret cum summi boni possessione, cum illa necessariò expostulet huiusmodi boni expectati absentiam; sicque non compatitur spes virtus theologica cum summâ beatorum felicitate, sicut desperatio cum extremâ damnatorum miserandâ iacturâ.

49. Tertio ostendit Magister tertiam quæsti solutionis partem, videlicet, quòd scientia destruetur in patriâ secundum actum, modum, & usum, quem modò habet in viâ; non verò secundum sui essentiam tolletur; quia charitatis, & cognitionis augmento potest scientia perfici in patriâ, quin entitativè destruat. Et ratio est; quia in viâ discursamus, intelligimus, & nostra conficimus ratiocina-

nia cum phantasmatis : ergo his eliminatis, poterit scientia viatorum perfici in patriâ absque vllò sui essentiali dispendio; ipsâque manente quoad entitatem, Cœlites per eam valent intueri Deum.

50. Sed oppones primò: Apostolum 1. Corinth. cap. 13. scribentem : *Sivè prophetiæ evacuabuntur, sivè lingua cessabunt, sivè scientia destruetur*; sed quod simpliciter destruitur, omninò evacuat: ergo si scientia destruetur in patriâ, non solum evacuabitur ibi quoad actum, modum, & usum; verum quoad habitum, & scientiam illius.

51. Respondetur negando Consequentiam. Quia Apostoli dictum benè integrum, & illæsum manet, quin beatorum scientia omninò destruetur in patriâ. Evacuatur enim secundum actum, modum, & usum, quem modò habet in viâ, & hoc intendit Apostolus; non verò secundum habitum, sive quoad eius tollitur essentiam, sed imopertius ibi perficitur, & completur; cum charitatis, & cognitionis augmento possit scientia perfici in patriâ, absque eo quòd entitative, secundum habitum destruetur, aut evacuetur.

52. Oppones secundò: Omnis scientia reverà consequitur per comparisonem causæ ad effectum, aut effectus ad causam, aut per discursum, sive ratiocinationem quandam; sed in patriâ non est scientia per comparisonem causæ ad effectum, aut effectus ad causam, aut per ratiocinationem, sive discursum: ergo quia scientia in patriâ omninò destruetur, & simpliciter evacuat quoad actum, modum, & usum, necnon & entitatem, & habitum.

53. Respondetur, præfatam non premere instantiam, cum solum probet, scientiam evacuari in patriâ secundum actum, modum, & usum, quibus modò pollet in viâ. Quia pro hoc statu discursamus, intelligimus, & nostra perficimus ratiocinia, sive discursus cum phantasmatis; at verò in patriâ hæc omnia eliminantur incommoda, ipsaque viatorum scientia perficitur, & completur absque vllâ sui essentiali iacturâ; ita, ut illâ manente quoad entitatem, & habitum, possint beati per eam Deum clarissimè intueri, quin necesse sit, ipsam evacuari, & destrui secundum entitatem, & habitum. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficient.

54. PRO TERTIÆ autem; & ultimæ distinctionis partis declaratione, en tertium theoremata : *Ordinem charitatis, quem modò beati habent: in patriâ, Christus Dominus, in quantum homo, in viatoris statu servabit.* Quod legitime deducitur ex cuiusdam affectari dubij à Magistro in textus litterâ appositi responsione.

55. Ambigit ergò Magister : *An Christus Dominus, in quantum homo,*

homo, *charitatis ordinem iam præscriptum, in viâ servaverit* ? Et pro negante parte in hunc arguit modum: Si Christus Dominus, vt homo, *charitatis ordinem servasset in viâ*, tunc omnes homines sicut seipsum dilexisset; sicque & omnes salvos fieri voluisset; sed non omnes homines salvi facti sunt: ergo aut Christus Dominus aliquid optavit, quod non est assequutum, aut *charitatis præscriptum ordinem non servavit in viâ*; sed vtrumque repugnat: ergo.

56. Respondet tamen Magister, & suâ assertum solutione firmat: Quod Christus Dominus, vt homo, *charitatis ordinem continuo servavit*, qui modò à beatis servatur in patriâ; sed non illum, qui nunc servatur in viâ, cum geminatis imperfectionibus scaturire videatur. Nam Cœlites in patriâ ita sunt divinæ voluntati addicti, vt nihil eis placeat, nisi quod Deo placet; atque ad eò illos tantum diligunt sicut seipsum, quos Deus effectivè salvare vult.

57. Consentaneè huic Magistri doctrinæ, pro exactiori instantiæ solutione, dicimus, Christum Dominum tantum electos sicut seipsum dilexisse, eorumque salutem oprasse, & solum illos salvari voluisse, quos sciebat Deum velle salvare. Vndè, Christus Dominus, in quantum homo, ordinem *charitatis, quem modò beati habent in patriâ, in viatoris statu amissim servavit*.

58. Sed dices primò: Illos tantum dilexit Christus Dominus, in quantum homo, quos voluit salvos fieri; sed ex Divo Paulo 1. ad Timoth. cap. 2. *Ipsè vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ergo non solum electos sicut seipsum dilexit; verum & reprobos, quos sciebat Deum non velle salvare.

59. Respondetur cum Magistro, iuxta ea quæ diximus lib. 1. Sent. dist. 46. Divum Paulum non sic esse expendendum, Deum velle, vt omnes homines salvi fiant, & ad agnitionem veritatis veniant; sed omnes homines, qui salvi sunt, Deo volente salvari, & ad agnitionem veritatis venire. Vel aliter, Deum velle omnes homines salvos fieri voluntate antecedente, non consequente. Similiter est dicendum de dilectione Christi Domini; quod secundum voluntatem antecedentem omnes homines diligebat, quia omnes ad salutem pervenire cupiebat, quantum est ex se: Ast secundum voluntatem consequentem, quæ merita finalia hominum respicit, non omnes diligebat, nec omnes ad salutem pervenire cupiebat, sed eos tantum, quos Deum velle salvare sciebat.

60. Dices secundò: Maior in Christo Domino, quam in nobis *spis charitas eluxit*; sed nos ex charitate diligimus non solum electos,

ctos, verum & reprobos: igitur Christus Dominus omnes ex charitate habuit diligere, tam reprobos, quam electos: ergo non recte suam absolvit distinctionem Magister, dum in illius calce sustinet, quod Christus Dominus electos tantum sicut seipsum dilexerit, eorumque salutem optaverit.

61. Respondetur negando geminam Consequentiam. Quia cum Christus Dominus, in quantum homo, servaverit in viatoris statu charitatis ordinem, quem modò beati habent in patriâ, & non illum, qui nunc servatur in viâ, eò quòd iteratis imperfectionibus scaturire videatur; solum electos, & non reprobos, sicut seipsum dilexit, eorumque salutem optavit, & illos tantum salvari voluit, quos sciebat Deum velle salvare, etsi voluntate antecedente omnes dilexerit homines, quantum est ex se, quia omnes ad salutem pervenire exoptavit. Et hæc de tertiâ, & vitimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

62. **Q**UÆSTIO 1. An charitas semel habita possit amitti? De quò, *tom. 1. dist. 17. q. 7.*

63. Quæstio 2. An gratia, & peccatum possint esse simul de potentia absoluta Dei? De quò, *tom. 1. dist. 17. q. 7.*

64. Quæstio 3. An sit possibilis creatura perseverans in gratiâ in finem usque? De quò, *tom. 1. dist. 44. q. 5.*

65. Quæstio 4. An charitas a nlla reviviscat per iustificationem sequentem cum æquali intensione? De quò, *tom. 4. p. 1. dist. 14. q. 4.*

66. Quæstio 5. Quid sit iustificatio, eiusque formalis ratio? De quò, *tom. 2. dist. 26. q. 1.*

67. Quæstio 6. An charitas habitualis sit donum aliquod creatum animæ rationali inhaerens, & à Spiritu Sancto distinctum? De quò, *tom. 1. dist. 14. q. 2.*

68. Quæstio 7. Quomodò sit exponendum illud Apostoli: *Charitas nunquam excidit?* De quò, *tom. 1. dist. 17. q. 7.*

69. Quæstio 8. An aliquis ex prædestinatis possit damnari, aut aliquis ex reprobis salvari? De quò, *tom. 1. dist. 40. q. 5.*

70. Quæstio 9. An charitas viæ, & patriæ distinguatur specie? De quò, *tom. 1. dist. 1. q. 6.*

71. Quæstio 10. An Christus Dominus optaverit, omnes homines salvos fieri? De quò, *tom. 1. dist. 45. q. 5.*

72. Quæstio 11. An fides in patriâ evacuetur? De quò, *hic dist.*
 24. q. 2.
 73. Quæstio 12. An spes evacuetur in gloriâ? De quò, *hic dist.*
 26. q. 3.

DE CHARITATE DEI, QVA DILIGIT homines.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-SECUNDÆ Synopsis.

*Non est vnus amor, licet asserat ipse Magister.
 Quo calet Omnipotens, & pius ardet homo.*

Sic incipit: *Premiſſis adijciendum est.*

Sic terminat: *Quales facturus eos erat.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de charitatis duratione; & hætenus de dilectione creata, qua Deum diligimus; sed in præſenti determinat de dilectione increata, qua Deus nos diligit: ergo in his distinctionibus non est profectum connexionis filium.
2. Conſequentia probatur: A dilectione creata ad increatam dilectionem rectus ac concinnus videtur concensus; sed Magister in superiori distinctione egit de duratione, siue charitatis existentia; & hætenus de dilectione creata, qua Deum diligimus: ergo dum in præſenti determinat de dilectione increata, qua Deus nos diligit, ordinatissimam ſervat connexionis methodum.
3. Dividitur præſens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum prima expendit Magister, qualiter eadem sit dilectio, qua nos Deum diligimus, & ipse nos diligit. In ſecunda vero ſtatuit dilectionem Dei nec magis, nec minus in ſe ſuſcipere poſſe. In tertia autem, & vltima declarat, quare Deus ſimpliciter ab æterno ipſos hæud dilexerit reprobos.
4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis oſtenſione, primum

pro-

proponitur placitum : *Secundùm Magistri principia, in primo Sentiarum Libro, distinctione decima septima discussa, eadem est dilectio, quâ nos Deum diligimus, & quâ ipse diligit nos.* Et quanvis Magister hic, & in loco adducto, à Doctoribus non teneatur, tamen pro munere nostro eius fundamenta donabimus, etli arbitrium nostrum nusquam illis sub-cribere intendamus.

5. Primò suum probat intentum Magister: Eadem est dilectio, qua Pater, Filius, & Spiritus Sanctus se diligunt, & nos, scilicet, Dei divina vsia, seu essentia; sed dilectio, qua nos diligimus Deum, secundùm Magistrum, est eadem, quâ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus se diligunt, & nos: igitur secundùm Magistri principia, eadem erit dilectio, qua nos diligimus Deum, & quâ ipse diligit nos.

6. Secundo probat assumptum Magister omnibus rationibus, quibus libro primo, distinctione decima septima refusè asseruit, & ostendit, quòd eadem sit dilectio, qua Pater, Filius, & Spiritus Sanctus se diligunt, & nos, ac ea qua nos diligimus Deum. Cùm ergò ibi dissipato calamo, præfata opinionis referantur, & refellantur fundamenta, quæ Doctores haud approbant, ideo ea consultò præ-terminimus, & ad vteriora in huius distinctionis progressu disseminata, vitrò pergitur.

7. Sed oppones: Dilectio Dei est eius divina vsia, sivè essentia: ergo Deum diligere, est Deum esse; sed Deus non est aliud à se: ergo nec aliud distinctum à se diligit Deus; sed nos sumus aliud distinctum à Deo: igitur Deus non diligit nos.

8. Respondetur, aliud esse contemplare dilectionem divinam in ordine ad se, & aliud in ordine ad nos. Divina dilectio quantum ad se, est ipsa Dei divina vsia, aut essentia, & non aliud quam Deus, præscindendo modò à distinctione inter dilectionem divinam, & essentiam. Dilectio verò divina in ordine ad nos, connotat quid temporale, & creatum, habetque respectum extrinsecum, quod est à Deo diversum, & non est Dei essentia, sed cuius divina essentia est causa; sicque valet Deus diligere nos suâ dilectione increatâ, quæ est eius divina essentia, etli nos distinguamur à Deo.

9. Sugerit hic in littera immediatè Magister, quòd quanvis divina dilectio sit immutabilis, & æterna, alium tamen magis, alium minus diligit. Et pro ipsius facilitati capti, hunc dilectionis Dei præscribit modum Magister. Deus diligit omnes creaturas, & inter cunctas, magis diligit rationales; & inter rationales creaturas, magis diligit Unigeniti sui membra, & multò magis diligit ipsum

Vnigenitum, quippè Christum Dominum, secundùm humanitatem. Hæc autem dilectionis divinæ inæqualitas, nullam ipsi adijcit mutationem; quia Deus non aliter dicitur nos inæqualiter diligere, nisi quia alios ad maiora bona, alios ad minora dilexit: alios ad meliores vsus, ad minùs bonos.

10. Quamobrem, aliquibus Augustini testimonijs præfatam dilectionis divinæ, absque vllâ sui mutatione, probat inæqualitatem Magister. Primò ex tract. 110. in Ioan. ipso Augustino scribente: *Incomprehensibilis est dilectio Dei atque immutabilis, quâ Deus in vnoquoque nostrum amat quod fecit, sicut & odit quod fecimus*: ergo si in vnoquoque nostrum amat Deus quod fecit, sicut & odit quod fecimus, sospite semper suâ immutabilitate, pari gressu poterit creaturas omnes inæqualiter diligere, absque suæ immutabilitatis iacturâ.

11. Secundò, eodem ex Augustino ibidem dicente: *Quis ergò dignè potest eloqui quantum diligit membra Vnigeniti sui, & quantum amplius Vnigenitum ipsum?* Ergo si amplius diligit Vnigenitum, quam ipsius membra, videtur, quòd non omnia æqualiter diligit Deus; sed quanvis hæc inæqualitate eas diligit, eius immutabilitas incolumis perseverat: ergo.

12. Tertio, id ipsum suadet Magister ratione deductâ ex appositis in textûs litterâ: Deus diligit bonum, quia bonum: ergo magis bonum, magis diligit; sed non omnia sunt æqualiter bona: ergo non omnia sunt à Deo æqualiter dilecta. Minor probatur: Et si Deus omnes diligit creaturas, magis diligit rationales; & inter rationales, magis diligit Vnigeniti sui membra, & multò magis ipsum Vnigenitum: ergo quia non omnia sunt æqualiter bona: ergo nec æqualiter à Deo dilecta; sed hæc dilectionis divinæ erga creaturas inæqualitas non alterat eius immutabilitatem; quia Deus non aliter dicitur inæqualiter diligere, nisi quia ad bona inæqualia eas diligit: ergo.

13. Oppones primo: Deus est omnium primum principium, & causa: ergo quia æqualiter se habet ad omnia, aliter omnium non foret principium, & causa; sed quemadmodùm Deus se habet ad omnia, sic ea diligit omnia: ergo si æqualiter se habet ad omnia, æqualiter ea diligere debet; sed dum omnia æqualiter diligit, non plùs, minùsve vnum, quàm aliud diligit: ergo quia in creaturarum vastissimo cœtu, vnum magis, quàm aliud non diligit Deus.

14. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Consequentiam. Quia etsi Deus æqualiter se habeat ad omnia, eaque vniiformiter
respi-

respiciat ex parte sui, quia vnico, & immutabili suæ dilectionis attingit; tamen non omnia creata æqualiter se habent ad Deum; quia non omnia suppari pollent perfectionis gradu, nec ad æqualia bona omnia diliguntur à Deo: Cùm ergò dilectio divina non solum exprimat quod est ex parte sui, verùm & quod se tenet ex parte effectus creati, quanvis vnica immutabili, ac æternâ dilectione omnia ex parte sui ipsius diligit Deus, non inde consequitur, ipsum creaturas omnes æqualiter diligere.

15. Oppones secundo: Eadem arbitratur dilectio, quâ Pater æternus suum diligit Filium, ac quâ Deus ipse diligit creaturam; sed dilectio, quâ Pater æternus suum diligit Filium, est omnium maxima: igitur Deus dilectione omnium maximâ diligit creaturam; sed magis, & minus coherere in summo non valent, sed duntaxat æquale: ergo quia creaturas omnes æqualiter diligit Deus, adhuc explorato earum respectu.

16. Respondetur ex ipsâ Magistri doctrinâ negando Cõsequentiã. Licet enim eadem sit censenda divina dilectio, qua Deus suum diligit Filium, ac creaturam, secundum ipsius principalis significati rationem, non tamen iuxta illius connotatum ad creaturas. Nam dùm dicimus Patrem æternum suum diligerẽ Filium, nullum reverã bonum creatum ibi indicere, sed summi, & infiniti boni communicationem exprimere intendimus: At, dùm dicimus Deum creaturas diligerẽ, sanè æqualitatem inter eas apponere tentamus, cùm alios ad maiora bona, alios ad meliores vsus, alios ad minus bonos diligit Deus.

17. Oppones tertio: Ipsa æqualitas haudubiè meditanda venit in cognitione divina erga creaturas, ac in ipsius dilectione erga illas; sed Deus ita cunctas intuetur creaturas, vt vnã magis minusve quàm aliã non cognoscat: ergo & omnes ita diligit creaturas, vt nec vnã magis, nec aliã minus diligit; sed quo pacto nec magis, nec minus vnã, quàm aliã diligit Deus, omnes diligit æqualiter: ergo.

18. Respondetur ex Magistro, instantiam solum tenere de ipso Dei diligendi actu, cùm pro eodem in Deo diligerẽ, & cognoscere vsurpari videantur; ast, respectu creaturarum non tenet, eò quòd diversum in creaturis diligerẽ, & cognoscere connotent effectum, vt ex se claret; atque ad eò non sic Deus æqualiter diligit creaturas, ac eas æquè intuetur.

19. Oppones quartò illud Ioannis cap. 3. *Sic enim Deus dilexit*

mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret; sed qui vnum pro alio confert, plùs diligit illud, pro quo confert, quàm id, quod commutat: ergo si Deus Filium suum donavit pro humani generis assequendâ salute, magis humanum genus, quàm Christum Dominum dilexisset videtur: ergo Magistri dictum reverà defuit inane, nempè, quòd Deus inter cunctas rationales creaturas, magis diligit Vnigeniti sui membra, & multò magis ipsum Vnigenitum, quippè Christum Dominum, secundùm humanam naturam, quàm ipsum genus humanum.

20. Respondetur ex Magistro negando assumptum, cùm solùm sit verum, quandò pretium ab emente omninò alienatur, & in dominium alienum transfertur; secùs dùm pretium haud alienatur ab emente, nec in alienum dominium transfertur. Vnde, etsi Christus Dominus vitam suam pro hominibus posuerit, eiusque Pater ipsum in temporalem mortem tradiderit, non tamen sine spe rehabendî illum; nec animo suam amittendî vitam Christus Dominus seipsum obrulit, sed imopotius ipsam resumendi, suâ resurrectione operatâ; sicque, cùm non plùs dilexerit genus humanum Deus, quàm suum Vnigenitum, siyè Christi Domini humanitatem, haud dubiè Magistri dictum manet ab omni iacturâ illâsum.

21. Oppones quintò: Servato debito dilectionis ordine, plùs diligit Deus se magis, quàm minùs diligentes; sed Angeli plùs, quàm homines diligunt Deum: igitur Deus plùs Angelos, quàm homines diligere habet. Minor probatur: Angeli dùm diligunt Deum, non habent à quo eorum possit retardari dilectio; secùs dùm homines ipsum diligunt Deum, vt compertum est: ergo quia Angeli plùs, quàm homines diligunt Deum: ergo si Deus magis diligit magis se diligentes, plùs Angelos, quàm homines diligere debet; atque adeò Magistri fundamentum penitùs instantiæ videtur succumbere, nempè, quòd inter rationales creaturas, magis diligit Deus Vnigeniti sui membra, quàm Angelos.

22. Respondetur, quòd licèt Minor instantiæ propositio, eiusque probatio locum habeant pro statu viæ, pro quo maiora in hominibus dilectionis Dei censentur repagula, quàm in Angelis, quia corpora dùm corrumpuntur, aggravant spiritum; tamen pro statu patriæ, vbi corpora efficiuntur spiritualia, homines reverà omnino extant impedimento expertes, omnique gratiæ fruuntur subsidio; sicque Deum ita magis diligere poterunt, vt ab eo plùs, quàm Angeli diligantur. Vnde ex hoc capite Magistri ratio non corrui-

quippe, quod plus diligit Deus Unigeniti sui membra, quam Angelos. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient.

23. PRO SECVNDÆ verò distinctionis partis examine, secundum statuitur placitum: *Charitas Dei non suscipit magis, nec minus secundum essentiam, nisi secundum efficientiam recipiat.* Quod potius explanatione quadam, quam ratione pertentat in litterâ cõsuadere Magister.

24. Sic suum primò expendit Magister placitum. Charitas enim, siuè divina dilectio, duplici in sensu meditari valet. Primò, secundum essentiam. Secundò, quoad efficientiam. Dilectio divina secundum essentiam, non recipit magis, vel minùs; secundum verò efficientiam, suscipit magis, & minùs. Ita quòd magis dilecti dicantur, quibus ex dilectione ab æterno maius bonum præparavit, & in tempore tribuit; & minùs dilecti, quibus nec tantum præparavit bonum, nec tantum in tempore tribuit: ergo quanvis dilectio divina non suscipiat magis, nec minùs secundum essentiam, valet secundum efficientiam recipere.

25. Secundò probat ratione: Dùm aliquot convertuntur, & iustificantur, tunc dicuntur incipere diligi à Deo; sed non idèd quia Deus possit quempiam novâ dilectione diligere, qui iam æternâ dilectione eos diligit: ergo solùm dicuntur incipere diligi à Deo, quia æternæ Dei dilectionis incipiunt sortiri effectum, scilicèt gratiam, vel gloriam: ergo dilectio divina etsi suscipiat magis, vel minùs secundum efficientiam, secundum essentiam non valet recipere.

26. Tertio, cum M. P. Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 16. sic roborat intentum Magister: *Absit vt Deus temporaliter aliquem diligit, quasi novâ dilectione, qua in ipso ante non erat, apud quem nec præterita transferunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes Sanctos ante mundi constitutionem dilexit, sicut & prædestinavit:* ergo quia solùm quoad efficientiam, & non quoad essentiam, poterit dilectio divina, quâ ab æterno omnes dilexit Sanctos, sicut & omnes prædestinavit, suscipere magis, vel minùs.

27. Quarto, satis appositè exemplificat rem Magister cum Augustino ibidem dicente: *Si etiam cum iratus malis dicitur, & placidus bonis, illi mutantur, & non ipse. Vt lux infirmis oculis aspera firmis lenis est, ipsorum scilicèt mutatione, non suâ; ita cum aliquis per iustificationem incipit esse amicus Dei, ipse mutatur, non Deus:* ergo dùm quidam convertuntur, & iustificantur, & tunc dicuntur incipere diligi à Deo, non idèd est quia novâ Dei dilectione diligantur, sed quia æternæ Dei dilectionis incipiunt sortiri effectum: ergo solùm in ipis erit

mutatio, non in dilectione divinâ; cum hæc duntaxat recipiat magis, vel minus secundum efficientiam, & non secundum essentiam.

28. Sed oppones primò: Nonnulli, qui modò sunt mali, incipiunt esse boni; sed Deus malos odit, & bonos diligit: ergo cum hi desinant esse mali in tempore, & in eodem incipiant esse boni, poterit Deus illos temporaliter desinare odire, & ipsos incipere temporaliter diligere: ergo iam novâ dilectione, quæ in ipso ante non erat, diligit temporaliter creaturas; ac proindè suscipit magis, & minus secundum essentiam.

29. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando præcipuum instantiæ assumptum. Nam etsi dilectio electionis creaturarum sit æterna, quemadmodum est divina voluntas, cuius est actus; tamen dilectio approbationis creaturarum potest esse ex tempore ratione connotati. Vnde dilectio divina secundum essentiam est æterna, & Deus temporaliter nullum diligit, quasi novâ dilectione, quæ in ipso ante non erat; cum apud ipsum, nec præterita transferunt, & futura iam fuerint facta: At, quantum ad creaturarum connotatum, sive quatenus dilectio divina contemplatur quoad efficientiam, non differtur, & quòd Deus temporaliter creaturas diligit, & quòd ipsa dilectio suscipiat magis, aut minus.

30. Oppones secundò Augustinum dist. 45. lib. 1. Sent. contra Manichæos dicentem: Pro eodem in Deo velle, & efficere vsurparis: ergo quia idem est velle alicui bonum, & bonum ei facere; sed Deus in tempore bona hominibus confert: igitur bonum ipsis in tempore exoptat, eosque temporaliter diligit; ac proindè iam Deus aliquem diligit quasi novâ dilectione, quæ in ipso ante non erat.

31. Respondetur, Augustinum esse exponendum de actu voluntatis Dei secundum eius essentiam; non secundum efficientiam, terminationem, aut illius connotationem; nam sic, iam Deus aliquem in tempore diligit quasi novâ efficientiâ, connotatione, aut terminatione, quæ in ipso ante non erat; secus de divinæ voluntatis actu quoad essentiam, de quo appositè Augustinus ita in textus litterarum alloquitur: *Absit vt Deus temporaliter aliquem diligit quasi novâ dilectione, quæ in ipso ante non erat, apud quem nec præterita transferunt, & futura iam facta sunt.* Cum ergò instantia genuinum Augustini non assequatur caprum, parùm hic vrgere videtur.

32. His sic prælibatis, quamprimùm indagat Magister in litterâ: *An vnus idemque homo possit à Deo magis minusve diligi vno tempore, quàm alio?* Et responder ipse Magister cum distinctione. Quòd ac-

teptâ dilectione divinâ quoad essentiam, nequit vnus idemque homo magis minùsve diligi à Deo vno tempore, quàm alio; at meditata quoad efficientiam dilectione, benè potest vnum plùs, aut minùs vno tempore, quàm alio à Deo diligi. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

33. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis intelligentiâ, tertium astruitur placitum: *Absolutè loquendo, Deus non dilexit reprobos ab æterno.* In cuius probationem non multùm moratur Magister, cum solùm quoddam exagitet dubium, & ipsius solutione illud propugnare intendat.

34. Dubitat ergò Magister: *Vtrum debeat concedi, quòd Deus ab æterno dilexerit reprobos, qui non ad vitam, sed ad mortem sunt præparati?* Et respondet negativè dubitationi Magister. Quod triplici pertentat in litterâ probare ratione.

35. Primò: Non idem, sed diversum de reprobis electisque hominibus meditari debemus; sed de electis simpliciter est concedendum, quòd eos ab æterno dilexerit Deus: ergo de reprobis simpliciter erit tenendum, quòd Deus ab æterno eos odio habuerit, & reprobaverit: igitur Deus ab æterno reprobos non dilexit, qui non ad vitam, sed ad mortem sunt præparati.

36. Secundò: Si de reprobis simpliciter foret dicendum, quòd Deus ab æterno eos dilexerit, reverà iudicaretur, eos fuisse prædestinatos; sed reprobi non sunt prædestinati: ergo quia de ipsis simpliciter non est concedendum, quòd eos ab æterno dilexerit Deus.

37. Tertiò: Ex Malachiâ cap. 1. & Apostolo ad Romanos cap. 9. dicentibus: *Iacob dilexi; Esau autem odio habui:* ergo quemadmodùm simpliciter dicitur de Iacob, quòd Deus ab æterno dilexerit eum; sic absolutè est tenendum de Esau, quòd Deus ab æterno ipsum odio habuerit, & reprobaverit: ergo quod de electis simpliciter astruitur, Deum eos ab æterno dilexisse, absolutè de reprobis non conceditur.

38. Sed oppones primò: Deus plùs diligit iustum præscitum, quàm peccatorem prædestinatum: ergo quemadmodùm de prædestinatis est simpliciter concedendum, Deum ipsos ab æterno dilexisse; sic de reprobis erit simpliciter tenendum, Deum eos ab æterno amasse. Antecedens probatur: Iusti præsciti magis diligunt Deum, quàm reprobi prædestinati, vt ex se liquet: ergo quia magis à Deo diliguntur, cum Deus magis diligat diligentes se; sed quo pacto Deus magis diligit iustum præscitum, quàm peccatorem prædestinatum, potiori iure est simpliciter concedendum, Deum illum ab

æterno dilexisse, quàm peccatorem prædestinatum amasse: ergo si Magister sustinet in litterâ, simpliciter fore concedendum, Deum ab æterno prædestinatos dilexisse, etiam & simpliciter tenendum, reprobos ab æterno amasse.

39. Respondetur, quòd etsi plùs diligit Deus iustum præscitum, quàm peccatorem prædestinatum, quantum ad statum præsentis iustitiæ, sivè dilectionem approbationis; non tamen quantum ad statum futuræ iustitiæ, sivè dilectionis electionem, quæ respicit patriam. Imò absolutè loquendo, plùs Deus diligit eum, quem prædestinat, quàm eum, quem reprobat. Quamobrem, etsi cum Magistro sit simpliciter tenendum, Deum ab æterno dilexisse prædestinatos; non tamen erit simpliciter concedendum, reprobos ab æterno amasse, sed quadàm cum adiectione, nempe, in quantum opus eius futuri erant, idest, quos, & quales ipse eos erat factururus.

40. Oppones secundò illud Sapientiæ cap. 11. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odians aliquid constituiti, aut fecisti.* Ergo si Deus omnia quæ sunt diligit, & nihil odit eorum quæ fecit; imò nec odians aliquid constituit, aut fecit; cum reverá fecerit, & constituerit reprobos, eos ab æterno dilexit: igitur absolutè, & simpliciter erit concedendum, Deum nedùm electos, sed reprobos ipsos ab æterno dilexisse.

41. Respondetur, præfatum Sapientiæ locum solùm probare, Deum quadàm dilectione generali creaturas omnes diligere, cum naturalia bona omnibus communicet creaturis; non verò quòd omnibus bona gratuita specialiter conferat. Unde, hâc speciali dilectione reprobos non diligit Deus; imopotius odio habet, cum non gratiæ, sed peccato succumbant: Tamen, inspectâ eorum naturâ, non odit, sed diligit reprobos, quia sunt quid bonum; quod haud dubiè facer intendit textus; quin ex hoc aptè valeat deduci, posse simpliciter concedi, Deum ab æterno dilexisse reprobos, quemadmodum & prædestinatos amavit.

42. Cæterùm pro distinctionis regionibus subiungit Magister, quòd licèt simpliciter non sit concedendum, Deum ab æterno reprobos dilexisse; tamen cum adiectione quadàm concedi poterit, eos dilexisse, in quantum opus eius futuri erant, idest, quos, & quales ipse eos erat factururus. Et hæc de tertiâ, & ultima distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

43. **Q**VÆSTIO 1. An Deus amet creaturas posibles? De quò, *tom. 1. dist. 45. q. 1.*
44. Quæstio 2. An Deus amet creaturas posibles liberè, aut necessariò? De quò, *tom. 1. dist. 45. q. 2.*
45. Quæstio 3. An Deus voluntate positivâ, & efficaci prædestinat materiale peccatù? De quò, *tom. 1. dist. 46. q. 4.*
46. Quæstio 4. An detur in Deo amor strictus, & specialis? De quò, *tom. 1. dist. 1. q. 3.*
47. Quæstio 5. An Deus æqualiter omnes creaturas diligat? De quò, *tom. 1. dist. 45. q. 1. & 2.*
48. Quæstio 6. An prædestinatio efficax ad gloriam sit anteprevisa merita? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 1.*
49. Quæstio 7. An detur causa reprobationis positiva? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 2.*
50. Quæstio 8. An reprobationis negativæ detur aliqua causa? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 5.*
51. Quæstio 9. An pater, & Filius se diligant Spiritu Sancto? De quò, *tom. 1. dist. 10. q. 2.*
52. Quæstio 10. An amor Dei sit æternus, & immutabilis? De quò, *tom. 1. dist. 6. q. 2.*
53. Quæstio 11. In quo consistat formaliter actus liber Dei? De quò, *tom. 1. dist. 47. q. 1.*
54. Quæstio 12. An Deus semper velit id, quod est optimum? De quò, *tom. 1. dist. 6. q. 3.*
55. Quæstio 13. An Deus possit aliquid de novo velle, quod ab æterno non voluit? De quò, *tom. 1. dist. 6. q. 2.*
56. Quæstio 14. An voluntas divina sit æterna, & immutabilis? De quò, *tom. 1. dist. 6. q. 2.*
57. Quæstio 15. An homo plus hoc tempore, quàm alio diligatur à Deo? De quò, *tom. 1. dist. 45. q. 1. & 2.*
58. Quæstio 16. An Deus ab æterno dilexerit reprobos? De quò, *tom. 1. dist. 41. q. 2. & 5.*
59. Quæstio 17. An Deus magis dilexerit genus humanum, quàm Christum Dominum? De quò D. Thomas in 3. dist. 32. q. 1. art. 5. Scotus in 3. dist. 32. q. vnic. D. Bonaventura in 3. dist. 32. art. 1. q. 2. & 3. Gabriel in 3. dist. 32. q. 1. Aretinus in 3. dist. 32. q. 1. art. 2. Alens. 1. p. q. 31. memb. 2. & 3. Durandus in 3. dist. 32. q. 1. Nicolai in 3. dist. 31. q. 2. art. 8.

60. Quæstio 18. An Christus Dominus magis dilexerit Ioan-
nem, quam Petrum? De quò, *hic* q. 17. & *tom.* 1. *dist.* 45. q. 1. & 2.

DE QVATVOR VIRTVTIBVS Cardinalibus.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-TERTIÆ

Synopsis.

*Quatuor egregias Sanctæ moderamina vitæ
Virtutes, Christum nemo habuisse negat.*

Sic incipit : *Post prædicta.*

Sic terminat : *In præmissis assignationibus.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit
Magister de dilectione increatâ, quâ Deus nos diligit; &
hactenus de virtutibus theologicis; sed in præsentî determinat de
virtutibus cardinalibus, sive politicis: igitur propriam connexionem
imbibant.

2. Consequentia probatur: Virtutes theologicæ maximè virtu-
tibus cardinalibus, sive politicis nobilitate præstant: ergo quia
prius de theologicis, quàm de cardinalibus virtutibus discutiendum
venit; sed Magister in superiori distinctione egit de dilectione in-
creatâ, quâ Deus nos diligit, omnem indè disputationis theologica-
rum virtutum lineam absolvens: ergo dum in præsentî de cardina-
lium virtutum, sive politicarum determinat essentiâ, à recto con-
nexionis tramite non deflectit.

3. Dividitur præsens distinctio in duas præcipuas partes. In
quarum primâ præscribit Magister numerum, & quidditatem car-
dinalium virtutum. In secundâ verò, & ultimâ referat modum, quo
præfate virtutes maneant in patriâ.

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis sedulâ investigatio-
ne, primum statuitur thema: *Virtutes cardinales, seu principales iure*

optimo numerum quaternarium absolunt. Quod nudâ quadâm, ac sincêrâ narratione, clypeatâ tamen M. P. Augustini autoritate, molitur consuadere Magister.

5. Primò ergò dicimus cum Magistro, quatuor esse cardinales virtutes, quæ pailsim principales vocitantur, videlicet, iustitia, fortitudo, prudentia, & temperantia; sed non est opus, vt aliæ his cardinalibus adijciantur virtutes: igitur cardinales, sive principales virtutes sub quartenario numero adæquatè comprehenduntur.

6. Sed dices primò: Atquè virtutes theologicæ assident potentij hominum, ac cardinales virtutes; sed virtutes theologicæ ob potentiarum trinitatem ternarium numerum construunt: igitur cardinales virtutes ob eandem rationem, non quaternarium, sed ternarium tantùm debent absolvere numerum.

7. Respondetur ex Magistro negando paritatem ob varium diversumque harum virtutum usum. Nam proprium theologicarum virtutum est hominem ordinare ad Deum, qui solus bonorum omnium est finis; ideòque his tribus ad Deum homo ordinatur virtutibus iuxta triplicem eiusdem potentiam: At cardinalibus virtutibus congruit ipsum ad se, & ad proximum ordinare hominem, quod per triplicem virtutem, vt claret, expediri non valet; & idcirco, alia superadditur cardinalis virtus, iustitia quippè, vt cunctum hominis ad seipsum, & proximum respectum exambiat.

8. Dices secundò: Quamplures adsunt virtutes, vt humilitas, patientia, & obedientia, quæ in virtutum nitido apprinè super eminent catu; sed in cardinalium virtutum reverâ non deprehenduntur numero: ergo quia virtutum cardinalium, sive principalium, non rectè in litterâ calculum perfecit Magister.

9. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quia præfata virtutes, & quamplures aliæ, ad quatuor cardinales, vti principaliores, reducuntur virtutes. Nam patientia ad fortitudinem, humilitas verò, & obedientia ad iustitiam ordinantur, vt sedulo illustranti constabit. Quamobrem, pro his alijsque virtutibus numerum cardinalium virtutum ingeminare, non duximus opportunum.

10. Rursus cum Augustino lib. 12. de Trinit. cap. 14. eas advinguem descripsit Magister in litterâ. Iustitia enim est virtus in subveniendis miseris: Prudentia in præcavendis insidijs: Fortitudo in perferendis molestijs: Temperantia in coercendis delectationibus pravis: igitur cardinales, seu principales virtutes quatuor duxat recenseri debent.

11. Præfatum calculum firmat Magister ex libro Sapientie cap. 8. dicente: *Sobrietatem, & prudentiam docet, iustitiam, & virtutem;* sed sobrietatem appellat temperantiam, & virtutem vocat fortitudinem: igitur quatuor solum annumerantur virtutes cardinales, seu principales, nempe, iustitia, prudentia, fortitudo, & temperantia.

12. Sed oppones primò: Iustitia crebrò distinguitur à misericordiâ, si vè potiùs misericordia est pars iustitiæ virtutis cardinalis; sed proprium misericordiæ est subvenire miseris: ergo iustitiæ virtutis cardinalis essentia non rectè describitur à Magistro cum Augustino in litterâ textûs.

13. Respondetur ex Magistri doctrinâ, ipsum cum Augustino hîc in totâ suâ amplitudine iustitiam non vîsurpasse, sed tantum secundum suum præcipuum statum, in quo, & iuxta quem Christo Domino assimilamur, scilicet in subveniendo miseris, in quâ virtute noster Redemptor mirum in modum enituit; idèdque iustitiam cardinalem virtutem non generaliter, sed per suum potissimum in miseris subveniendo descripsit statum.

14. Oppones secundò: Partes constituentes prudentiam, vt passim iustinent Doctores, sunt memoria, intelligentia, & providentia; sed ex his partibus sola providentia versatur in præcavendis insidijs: igitur descriptio prudentiæ hîc tradita à Magistro cum Augustino, integrè eius non exambit quidditatem.

15. Respondetur, quòd estò sit verum, diffinitionem prudentiæ traditam à Magistro cum Augustino, omnes non comprehendere prudentiæ partes, eò quòd in eâ non includantur memoria, & intelligentia, sed providentia tantum; tamen, cum præcipuus prudentiæ actus in præcavendis insidijs sistat, etsi non in ordine ad alios, sed ad istum præcisè actum descripserit prudentiam Magister, quantum ad difficultatis scopum eam optimè referavit.

16. Oppones tertio: Nulla adest virtus, quæ circa delectationes, & tristitias non versetur; sed fortitudinis virtus non solum versatur circa ea, quæ affligunt, verum & penes ea, quæ delectant: ergo si omnis virtus circa delectationes, & tristitias versatur, hæc virtutis fortitudinis descriptio non propriè, & solitariè aptabitur illi, sed potiùs omnibus virtutibus, vt communis deserviet.

17. Respondetur negando Consequentiam. Quia, etsi omnes virtutes circa tristitias, & delectationes versari videantur; nihilominus fortitudinis virtus specialiori modo circa eas operatur. Nam aliæ virtutes solum per modum electionis, & fugæ penes tristitias,

& delectationes agunt; virtus verò fortitudinis per modum supportationis, & tolerantia; sicque per aliquid specialissimum sui, & non commune alijs virtutibus, fortitudinem descripsit cum Augustino Magister.

18. Oppones quartò: Temperantia; virtus in coercendis delectationibus pravis maximè versatur secundum Magistrum, assiduo comite Augustino; sed Christus Dominus, imò & Adamus in statu innocentia; temperantia; virtute fuerunt adèd præditi, eaque fruebantur: ergo si in ipsi pravas non arcebat delectationes, temperantia; virtutis diffinitio non erit exacta.

19. Respondetur negando Consequentiam. Quia hæc temperantia; virtutis descriptio non fuit data ab Augustino pro statu natura; integra; sed lapsa; in quo delectationes prava; exoriuntur, & vigore ipsius refrænantur, quod reverà in temperantia; præsertim elucet virtute. Vnde, *ly coercere* in temperantia; virtutis descriptione, vel denotat quandam resistentiam respectu huiusmodi delectationum, vel omnem inordinata; delectationis absentiam, & privationem. Primum convenit hominibus in statu natura; lapsa; secundum Christo Domino, & Adamo pro statu natura; integra; atque adèd recta est temperantia; Augustini diffinitio, etsi Christus, & Adamus hæc fuerint virtute maximè præditi.

20. Vnde consentaneè ijs deducit primò Magister in littera;, has virtutes appellari cardinales, teste Divo Hieronymo, quia propter ipsas Deo unimur, & in hæc mortalitate benè vivimus, & postmodum ad æternam vitam pervenimus.

21. Sed dices: Si cardinales virtutes, ex Hieronymo in littera;, hæc rubricâ insignirentur, quia per eas quis in hæc mortalitate benè vivitur, & postmodum ad æternam pervenitur vitam, haud dubiè hocce speciosum nomen omnibus aptaretur virtutibus: ergo. Antecedens probatur: Omni virtute rectè in hæc vivitur mortalitate, omnisque virtus certa censetur via perveniendi ad patriam: ergo si cardinales virtutes aptè hoc nomen sortiuntur, quia his benè hæc in mortalitate vivitur, & post ad æternam vitam pervenitur, etiam quævis virtus hoc poterit iure optimo insigniri stemmate, cum omnis sit via perveniendi ad patriam, simulque medium rectè pro statu isto vivendi.

22. Respondetur negando Antecedens, eiusque probationem. Quia solam virtutes cardinales, & non alia; virtutes, hoc valent fortiri nomen, cum ad seipsum, & proximum, tum in agendis, tum in

patiendis, specialiter ordinent hominem. Nam dùm homo respicit arduitatem, contemplatur fortitudinem; & dùm aequitatem, iustitiam; similiter, dùm honestatem respicit, temperantiam meditatur; & dùm utilitatem, prudentiam. Cùm ergò alijs hoc non sit specialiter datum virtutibus, nisi cardinalibus, quæ reverà sunt aliarum virtutum cardines, meritò his honestantur nominibus absque ullo aliarum virtutum dispendio.

23. Secundò deducit ex apposis Magister, virtutes cardinales, seu principales in Christo Domino plenissimè fuisse, & esse, de cuius plenitudine nos omnes accepimus, iuxta illud Ioannis cap. 1. In quo habuerunt usus, & actus eosdem, quos in patriâ habent, & etiam quosdam, quos habent in viâ. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

24. PRO SECUNDÆ verò, & ultimæ distinctionis partis disquisitione, secundum proponitur thema: *Virtutes cardinales manent in patriâ, quantum ad habitum, quanquam alium ibi usum sint habitura deductum à viâ.* Quod etiam tentat probare Magister ex cuiusdam quæsti argutâ solutione.

25. Investigat ergò Magister: *Utrum hæc cardinales virtutes evacuentur in patriâ?* Et licet aliquibus videatur, quòd tres istarum virtutum non remanebunt in illâ fortunatissimâ beatorum sorte, sed solum iustitia, quæ in patriâ non evacuabitur, sed imò potius perficietur; nihilominus Magister sustinet, omnes ibi superstites fore, quanvis actibus diversis ab his, quæ sunt in viâ.

26. Quod primò quoad primam partem de iustitiæ virtute probat ex Augustino Magister lib. 14. de Trinit. cap. 9. dicente: *Et idè immortalis est omninò iustitia, nec in illâ beatitudine esse desinet; sed talis ac tanta erit, ut perfectior, & maior esse non possit:* igitur virtus cardinalis iustitiæ, non solum non cessabit in patriâ, verùm in illâ erit talis ac tanta, ut perfectior, & maior esse non possit.

27. Secundò, de duratione ac existentia aliarum virtutum in patriâ, etiam cum Augustino ibidem suadet Magister. Audi Aurelium sic alloquentem: *Fortassis & alie tres virtutes, prudentia sine ullo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnantia libidinum, erunt in illâ felicitate:* igitur nulla ex his quatuor cardinalibus virtutibus evacuabitur in patriâ, sed omnes ibi illæ consistent.

28. Tertiò, quoad secundam thematis partem, videlicet, quòd omnes remanebunt in patriâ cardinales virtutes, quanvis actibus

diversis ab illis, qui sunt in viâ, consimiliter ex Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 9. probat Magister: *Quod verò nunc agit iustitia in subveniendò miseris, quod prudentia in præcavendis insidijs, quod fortitudo in perferendis molestijs, quod temperantia in coercendis pravis delectationibus, non erit ibi omninò, ubi nihil mali erit: ergo prædictæ virtutes erunt in futuro; sed alios tunc habebunt vsus, & actus, quàm modò habent in viâ: ergo.*

29. Quartò itidem, sic ad rem egregiè scribit Venerabilis Beda in cap. 26. Exod. *Columnæ, ante quas expansum est velum, potestates Cæli sunt quatuor eximijs virtutibus præclaræ, idest, fortitudine, prudentiâ, temperantiâ, & iustitiâ, quæ aliter in Cælis servantur ab Angelis, & animabus sanctis, quàm hic à fidelibus: ergo præfata cardinales, sive politicæ virtutes, manebunt in patriâ, quantum ad habitum, quantumvis aliam ibi vsus, & actum sint habituræ.*

30. Sed oppones primò Divum Augustinum, munia propria cardinalium virtutum sic dispersim in textûs litterâ recensentem, quippè, iustitiam versari in subveniendis miserijs, prudentiam in præcavendis insidijs, fortitudinem in perferendis molestijs, & temperantiam in coercendis delectationibus pravis; sed nullum munus horum exercetur in patriâ, vt sat exploratum est omnibus: igitur cardinales virtutes non manent in patriâ.

31. Respondetur ex Magistro negando Minorem, & Consequentiam. Quia hi actus, qui passim cardinalibus virtutibus ab Augustino in litterâ ascribuntur, solum pro viatorum statu, & non pro beatorum sorte conferuntur ipsis; eò quòd cardinales virtutes alios vsus, aut actus excellentiores sibi arrogent in patriâ. Nam iustitia omnem ibi eliminabit obliquitatem, fortitudo molestiam, prudentia errorem, & temperantia libidinum repugnantiam. Unde, non opus erit, vt evacuentur in patriâ, etsi actus, ab Augustino assignatos pro statu viæ, omninò exercere non valeant.

32. Oppones secundò: Fides & spes virtutes theologicæ adeò perfectiores cunctis cardinalibus arbitratur virtutibus; sed fides & spes, etsi cardinalibus virtutibus perfectiores, non manent in patriâ, vt non semel probavimus: ergo nec cardinales virtutes manere poterunt.

33. Respondetur ex Magistro negando Consequentiam, & simile. Nam fides & spes, quanvis perfectiores sint virtutibus cardinalibus, quantum ad obiectum, ad quòd tendunt; non tamen quoad subiectum, cui assident, generaliter loquendo. Quia, cum fides sit

de non visis, & spes de non habitis, necesse est, vt evacuentur in patriâ, vbi præsentia vnâ cum obiecti possessione coheret: At vsus, siuè actus cardinalium virtutum diducti à viâ manent in patriâ, et si aliter, siuè excellentiores ipsis, nempe, omnes gloriose fortes, & iusti, prudentes, & casti. Et hæc de secundâ, & vltimâ distinctio- nis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

34. **QVÆSTIO 1.** An præter virtutes theologicas sint virtutes cardinales ponendæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 33. q. 1. art. 1. & 2. 2. q. 61. art. 5. Nicolai in 3. dist. 33. q. 2. art. 3. Philipp. à SS. Trinit. tom. 2. tract. 2. disp. 13. dub. 1. Gregor. Martinez in 2. 2. q. 62. art. 2. Bancel tom. 2. verb. virtus, q. 3.
35. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 33. q. vnic. Anton. Perez tom. 1. disp. 7. de Volunt. sect. 4. Poncius tract. 6. disp. 23. q. 4. Durand tom. 3. tract. 3. disp. 7. q. 1. Delgadillo p. 2. cap. 7. difficul. 4. dub. 12. Tamarit tract. 4. de gratiâ, q. 17. Aquila in 3. dist. 33. q. 1. Rada 3. p. controv. 15. art. 1. Cavellus in Schol. in 3. dist. 33. q. vnic.
36. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 3. p. disp. 16. sect. 1. & seqq. Vazq. 1. 2. disp. 87. cap. 1. & seqq. Bernal de incarn. disp. 30. sect. 1. §. 1. & seqq. Ex alijs D. Bonaventura in 3. dist. 33. q. 1. art. 1. Alenf. 3. p. q. 29. memb. 1. art. 4. Aureolus quodlib. 14. art. 1. Estius in 3. dist. 33. §. 1.
37. **QVÆSTIO 2.** An virtutes cardinales resideant in parte sensitivâ animæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. 2. q. 56. art. 4. & 5. & in 3. dist. 33. q. 1. art. 4. Gregor. Martinez 1. 2. q. 61. art. 4. & 5. Nicolai in 3. dist. 33. q. 2. art. 3. Bancel tom. 2. verb. virtus, q. 2.
38. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 33. q. vnic. Poncius tract. 6. disp. 23. q. 4. & 5. Anton. Perez tom. 1. disp. 7. de Volunt. sect. 4. Rada 3. p. controv. 15. art. 1. Durand tom. 3. tract. 3. disp. 7. q. 1. Aquila in 3. dist. 33. q. 1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 33. q. vnic. Gallus in 3. dist. 33. q. 1.
39. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 16. sect. 2. & seqq. Bernal de incarn. disp. 30. sect. 1. §. 1. & seqq. Vazq. 1. 2. disp. 87. cap. 2. & seqq. Ex alijs D. Bonav. in 3. dist. 33. art. 1. q. 3. Alenf. 3. p. q. 29. memb. 1. art. 4. & q. 78. memb. 3. Estius in 3. dist. 33. §. 1. & seqq. Gabriel in 3. dist. 33. q. 1. Aureolus quodlib. 14. art. 1. & seqq.
40. **QVÆSTIO 3.** An virtutes cardinales sint quatuor, aut plures? De quò, hic q. 1. & 2.
41. **QVÆSTIO 4.** An virtutes cardinales sint habitus à Deo infusi, aut acquisiti? De quò, hic q. 1. & 2.

Quæ.

42. Quæstio 5. An virtutes cardinales maneat in patriâ, aut evacuentur? De quò, *hic q.1. & 2.*

43. Quæstio 6. Quid sit virtus, quicque illius actus? De quò, *tom.2. dist.27. q.1.*

44. Quæstio 7. An dentur virtutes infusæ, & quâ certitudine coniter? De quò, *tom.2. dist.27. q.2.*

45. Quæstio 8. Quodnam sit obiectum, subiectumque virtutum infusarum? De quò, *tom.2. dist.27. q.3.*

46. Quæstio 9. An, & quomodò virtutes acquisitæ distinguantur ab infusis? De quò, *tom.2. dist.27. q.1. & 2.*

47. Quæstio 10. An virtutes propriè, & directè contrarientur vitijis, sintque connaturales? De quò, *tom.2. dist.27. q.4.*

48. Quæstio 11. An virtutes morales infusæ sint tota ratio agendi actus supernos? De quò, *tom.1. dist.17. q.1.*

49. Quæstio 12. An præter iustitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, aliæ sint principales assignandæ virtutes? De quò, *hic q.1. & 2.*

50. Quæstio 13. An Christus Dominus habuerit cardinales virtutes? De quò, *hic dist.34. q.2.*

51. Quæstio 14. Quid sit iustitia: Quid fortitudo: Quid prudentia: Quid demum temperantia? De quò, *hic q.1. & 2.*

52. Quæstio 15. An virtutes cardinales eisdem in patriâ, ac in viâ vsus habebunt? De quò, *hic q.1. & 2.*



DE SEPTEM DONIS SPIRITVS SANCTI.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-QUARTÆ

Synopsis.

*In Christo patriæ castum nituisse timorem,
Flaminis et sacri cætera dona, reor.*

Sic incipit : *Nunc de septem donis.*

Sic terminat : *Vt prædictum est.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de virtutibus cardinalibus; sed in præsentî determinat de septem Spiritûs Sancti donis: ergo satis perbellè hæ consonant distinctiones.

2. Consequentia probatur: Spiritûs Sancti dona haud dubiè arbitrantur virtutes; sed Magister in superioribus distinctionibus tam de theologicis, quàm de cardinalibus, sive politicis egit virtutibus: ergo dum in præsentî determinat de donis Spiritûs Sancti, quæ inter virtutes iure optimo recensentur, rectè processisse videtur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, septem Spiritûs Sancti dona, quæ à virtutibus haud dissident, in Christo Domino fuisse. In secundâ verò, quotuplex sit timor, & an unâ cum charitate maneat, argutè discutit, & inconcussè resolvit. In tertiâ autem, & ultimâ decernit parte, quomodò donum timoris, secundum usum patriæ, cohæreat in Christo Domino cum quovis alio timore.

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis vberiori captu, prima statuitur conclusio : *Septem Spiritûs Sancti dona, quæ à virtutibus non distinguuntur, reverà in Christo Domino extitere, & in patriâ non sunt defutura.* Pro cuius perspicuâ efficacique probatione, triplicem questionem hîc suggerit Magister, ut earum affectatâ resolutione, supra omnem probabilitatem asserti veritas magis emineat.

5. Inquirît primò Magister : *An septem Spiritûs Sancti dona sine*

vir-

virtutes? Secundò: *An omnia, aut saltem dona aliqua maneant cum beatis in patriâ?* Tertio: *Vtrum in Christo Domino hæc septem Spiritûs Sancti fuerint dona?* Primum, & secundum quæsitum attentè resolvit affirmativè Magister, videlicet, ea septem Spiritûs Sancti dona esse virtutes, & in patriâ, nedùm desitura non fore, sed imòpotiùs in Angelis, hominibusque beatis affluentissimè morari debere.

6. Quod sic digitis metitur Magister vnâ cum Divo Ambrosio lib. 1. de Spirit. SS. cap. 20. scribente: *Civitas Dei illa Hierusalem cœlestis, non meatu alicuius fluvij terrestris abluitur, sed ex vita fonte procedens Spiritûs Sancti, cuius nos brevi satiamur haustu, in illis cœlestibus spiritibus redundantius videtur effluere, pleno fervens septem virtutum spiritualium meatu: ergo non solum septem Spiritûs Sancti dona virtutes recensentur, verùm ea in cœlestibus spiritibus redundantius, quàm in nobis effluere videntur.*

7. Sed dices primò: Fortitudinis donum ad nihil in patriâ deservire videtur: igitur non omnia Spiritûs Sancti dona manent cum beatis in patriâ. Antecedens probatur: Donum fortitudinis solum confertur hominibus pro periculis molestiisque perferendis; sed in beatitudinis supernâ sede, nulla pericula, sive molestiæ in Cœlites invadere possunt: igitur fortitudinis donum nullum appositum in patriâ fortiri videtur effectum; sed ex eo quòd nullum in patriâ fortitur effectum, incassum ibi à Magistro locatur: ergo.

8. Respondetur cum Magistro negando Antecedens, & probationis Consequentiam. Nam quemadmodum in superiori distinctione dicebamus de fortitudinis cardinali virtute, quòd manet in patriâ, quanvis actu, & usu excellentiori, quo fruatur in viâ; ita de fortitudinis dono pari gressu est tenendum, ipsum manere in beatis, diverso tamen usu, & actu perfectiori, quo modò viget in viâ; sicque per illud Cœlites fortiter, & inseparabiliter Deo adhærere videntur, quin reverà possit dici, ipsum in vanum abire.

9. Dices secundò: Vbi summa adest impassibilitas, ibi nulla invenitur compassio; sed pietatis donum solitariè est datum in proximi compassionem, ut ex ipsius definitione claret: ergo cum beati summa impassibilitate polleant, omni compassione erunt expertes in patriâ: igitur pietatis donum non poterit ibi morari.

10. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quia in pietatis dono duo experiuntur munera propria. Primum, patientis compassio. Secundum, affectus quidam clementiæ erga omnem hominem gerentem imaginem Dei. Donum igitur pietatis, secundum

primum effectum, reperitur in viâ, non in patriâ, vt benè probat instantia, at, iuxta secundum effectum invenitur in patriâ, simulque in viâ, quod reverà sufficit, vt præfatum donum ibi moretur, & à beatis haud abstergetur.

11. Ad tertiam quæstionem similiter respondet affirmativè Magister, nempe, septem illa Spiritus Sancti dona in Christo Domino fuisse, & probat ex illo famigerato, etsi vulgato Isaia loco cap. 11. dicente: *Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientia, & intellectus; Spiritus consilij, & fortitudinis; Spiritus scientia, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini;* sed hîc expressè enumerat Isaïas septem Spiritus Sancti dona, suoque vaticinio firmat, ea requiescisse in Christo Domino: ergo.

12. Vndè observandum venit cum Magistro in litterâ circa præfata Isaia authoritatem, quòd si in eâ toties ingeminetur vox illa *Spiritus*, non idè est, quia plures sint Spiritus Sancti in divinâ naturâ, cum vnus tantummodò sit Dei Spiritus, suæ libertatis arbitri, omnia pro nutu voluntatis dividens singulis; sed ad præcisè designandum multiplicem esse in nobis vnus Spiritus Sancti effectum.

13. Sed oppones primò Venerabilem Bedam in textûs litterâ affirmantem, septem illa Spiritus Sancti dona, non omnia manere in patriâ. En eius verba: *Omnis timor cessabit in futuro: Caritas verò nunquam excidet:* ergo si omnis timor Domini cessabit in futuro, & timor est vnus ex septem Spiritus Sancti donis, iam non omnia Spiritus Sancti dona erunt in patriâ.

14. Secundò etiam Augustinum oppones super Psal. 5. dicentem: *Timor Domini sanctus est, magnum presidium proficientibus ad salutem, sed pervenientibus foras mittitur. Non enim timent iam amicum, cum scilicet ad id, quod repromissum est, perducti fuerint:* ergo timor Domini non erit in futuro; ac proinde nec vllum ex septem Spiritus Sancti donis modò viget in Angelis, nec in animabus sanctis.

15. Ad vtramque, tum Augustini, tum Bedæ, indiscriminatim respondet autoritatem Magister, quòd septem illa dona Spiritus Sancti, & in Angelis modò sunt, & in animabus sanctis feliciter viventibus, & in nobis erunt in futuro; sed non omnia illos habebunt vsus, sive munia illa, quæ nunc vigent in viatorum imperfectissimo statu. In hoc etenim sensu sunt expendendæ Sanctorum Patrum autoritates, quæ oppositum sonare videntur.

16. Et, vt omnis dubitatio seria procul pellatur, expendit Magister tria munera, quæ timoris dono passim adscribuntur, valetque

in nobis causare, & de quo præcipuum potest exoriri iurgium. Primò ergò filialis timor efficit timere, ne offendamus Deum, quem diligimus. Secundò, ne ab eo separemur. Tertio, facit nos ipsum revereri. Quantum igitur ad duo priora munia, non manebit donum timoris in patriâ, sed solùm quantum ad tertium, quia ibi faciet nos revereri, quandò non timebimus separari à Deo, vel ipsum offendere; cùm talis reverentia nihil aliud sit, quàm mixta cum subiectione dilectio, quæ summæ perfectioni in futuro maximè adhærebit.

17. Vterius subdit Magister in litterâ, nonnullos asservisse, timoris donum solùm secundùm effectum, & non secundùm habitum esse in Christo Domino, Angelis, animabusque sanctis in patriâ. Cui tamen singulari opinandi modo album calculum non adijcit Magister.

18. Sed oppones primò illud 1. Ioan. cap. 14. *Affectus timoris penam habet*; sed in Christo Domino, Angelis, animabusque iam in æternâ felicitate locatis, nulla est affectio pœnalis: ergo quia in his nullus est timor quantum ad affectum, & habitum, sed solùm quantum ad effectum.

19. Respondetur primò ex Magistri doctrinâ negando Consequentiam, instantiamque retorquendo. Quia, cùm quodlibet donum quantum ad sui essentiam sit excellentius, quàm quoad suum effectum; si in Christo Domino, Angelis, animabusque in Cœlo quiescentibus elucet donum timoris Domini quantum ad effectum potiori iure poterat eminere in ipsis quantum ad affectum, & habitum.

20. Respondetur secundò: Quòd in timore duplex affectus, totidemque effectus meditatatur à nobis. Primus affectus consistit in separatione mentis à malo. Secundus verò stat in semotione à summo ardore. Similiter primi timoris effectus est malum respuere. Secundi autem timoris effectus est facere Deo subiacere, ipsique obedire. Vnde, etsi geminus ascribatur affectus commorantibus in patriâ; vnus tamen horum effectuum illis tribuitur, scilicet, facere Deo subiacere, ipsique obedire.

21. Oppones secundò in nuper adductam Isaïæ authoritatem: Equè benè fuit Christus Dominus plenus dono timoris Domini, ac alijs Spiritus Sancti donis; sed solo timoris dono dicitur fuisse Christum Dominum repletum, & non alijs, iuxta illud Isaïæ: *Et replebit eum Spiritus timoris Domini*: igitur incongruè dividuntur Spiritus Sancti dona, eaque per Isaïam Christo Domino accommodari videntur.

22. Respondetur, Isaiam rectè dona Spiritûs Sancti distribuiffe, illaque Christo Domino accommodasse. Quia, cum timoris donum cuiusdam imperfectionis videatur esse, & ne aliquis dubitaret, illud in Christo Domino perfectè non habitasse, ibi verbum *replebit* potius apposuit Isaias, quam circa aliud donum. Vel quia dona præsertim Christo Domino fuerunt exhibita, vt perfectè disposeretur ad patiendum sustinendumque humilitatem passionis. Vt ergò ostenderetur veritas humilitatis Christi Domini, subiunxit Isaias, eum fuisse repletum spiritu timoris, quia timor inter cuncta dona maximè ad humilitatem confert. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

23. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis enucleatione, secunda præfigitur conclusio: *Et si timor varijs vsurpetur modis, tamen discriminatim acceptus, à charitatis consortio non arceatur.* Quam solùm tentat probare Magister ex morosâ timoris calculatione, ipsiusque refusâ explanatione, etsi quamplura alia in huius partis progressu interserere videatur.

24. Primus ergò timor est mundanus, siuè humanus, quo timeamus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi. Hic etenim timor est malus, qui in primò gradu cum mundo deseritur, & quem Dominus prohibet in Evangelio apud Lucam 12. & Matthæum cap. 10. dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

25. Secundus dicitur timor servilis, quo quis timet pœnas, & à peccatis se cohibet timore gehennæ. Et licet hic timor sit bonus, & utilis, tamen non est sufficiens ad vitam æternam assequendam. Sic de habente hunc timorem Augustinus super Psal. 127. affatur: *Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam.*

26. Tertius est timor initialis, quo quis iam amare incipit quod durum videbatur, siuè quo timeamus peccare, partim timore gehennæ, & partim timore patriæ. Hic timor haud dubiè cum charitate cõheret, quæ servilem timorem propellit.

27. Quartus dicitur timor castus, & filialis, seu amicabile, qui de amore procedit, quo, ne dilectum aliquomodò offendamus, & ab eo separemur, quis timet. Et iste permanet in sæculum sæculi, cum per omnes gradus sit fidus assiduumque comes.

28. His sic perpensis, subdit Magister in litterâ, Venerabilem

Bedam duntaxat geminum distinxisse timorem, quippè, servilem; & castum, quia sub servili initialem intellexit, & mundanum, sive humanum prætermisit: igitur quatuor extant timoris genera, quantum Beda pauciora distinguat.

29. Similiter Divus Augustinus servilem, & castum timorem apertè discernit; castum, qui cum charitate cohæret, & servilem, qui charitati non adhæret, dum locum illum Apostoli ad Romanos, cap. 8. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, &c. ex-pendens, ait: Duo hic timores insinuantur, vnus, qui est in perfectâ charitate, scilicet timor castus; alter, qui non est in charitate, scilicet servilis.*

30. Vnde subinfert Magister, quòd etsi timor servilis cum charitate non sit, tamen præparat locum charitati, eique cedit; quia nisi timor prius occuparet mentem, non esset vnde intraret charitas, quâ tamen accedente, timor expellitur, & foras mittitur, vt in simili de setâ, & filo apparet, quòd exeunte setâ filum intrat acum.

31. Id totum ad vnguem tradidit Augustinus tract. 9. in Ioan-nem, dicens: *Timor servilis quasi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quan-tùm enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa sit interior, timor pelli-tur foras. Maior charitas, minor timor; minor charitas, maior timor: ergo quia etsi timor servilis cum charitate cohærere non possit, ei ta-men locum præparat, ipsique cedit.*

32. Caterùm, pro vberiori timoris captu sic disertè dubitat Magister in litterâ. Divus Ioannes in suâ primâ Canonicâ Epistolâ, cap. 4. scribit: *Timor non est in charitate; sed perfectâ charitas foras mit-tit timorem.* Regius verò Psaltes Psal. 18. ait: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi*: igitur apertam inter ipsos contradictio-nem versari, non incongruè deducimus; nec de eorum concordia non ab re dubitamus.

33. Respondet tamen Magister, omnem ab his sacræ paginae locis hæsitationem abstergendo, eaque in vnum aptè conciliando sensum. Duplex enim, modò ad intentum, est timor. Vnus castus; alter servilis. Castus cohæret cum charitate, & manet in patriâ, sive in sæculum sæculi, & de hoc affatur David in Psalmis. Servilis au-tem charitati non adhæret, & de hoc in suâ Canonicâ alloquitur Ioannes. Vnde in his Regius Vates non se dat obvium Ioanni.

34. Quod duplici ratione, ex vtriusque timoris descriptione decerptâ, probat Magister. Sic prima proponitur: Timor servilis

est

est ille, quo quis propter pœnam timet Deum, sive à peccato se cohibet ad pœnam vitandam; sed qui propter pœnam timet Deum, sive à peccato se cohibet ad pœnam vitandam, ipsum non amat: igitur timor servilis cum charitate non cohæret.

35. Secunda sic perficitur ratio: Timor castus, filialis, seu amicabile dicitur, qui de amore procedit, quo, ne dilectum aliquo modo offendant, & ab eo separetur, quis timet; sed ita Deum timere, est ipsum Deum amare: igitur timor castus, seu amicabile iure optimo charitati adhæret.

36. Quorum etiam distinctio comprobari potest à simili de muliere vnâ adulterium devitante, ne à viro suo deprehendatur, puniaturque: Et alterâ timente adulterium committere, ne à viro, quem intimè amat, deseratur; sed dùm hæc à nobis attentè in animo meditantur, clarè percipimus, quis sit timor castus, quis servilis, & qualiter differant: ergo.

37. Tandem confert Magister timorem initialem cum casto, & servili, & servilem initialemque adinvicem. Timor initialis medium tenet inter castum, & servilem, aliquid de ambobus participans; quia peccare cavet partim horrore pœnæ, & partim amore iustitiæ, quæ etiam potest esse inchoata, quanvis non valeat esse in charitate perfectâ.

38. Rursus sic vicissim timorem servilem, & initialem comparat Magister. Uterque enim est initium sapientiæ, hoc tamen explorato discrimine, quòd servilis timor præparat locum sapientiæ, & ducit ad sapientiam, sed tamen non moratur cum eâ, imò foras exit. Initialis verò etiam dicitur initium sapientiæ, quia eam inducit, manetque cum charitate imperfectâ, sive inchoatâ sapientiâ, quem cum quis habere exorditur, sapientiam, & charitatem habere incipit, quæ ipsum foras emittit, eò quòd tunc non habeat comitem anxietatemque pœnæ.

39. Oppones primò: Magister in hâc doni timoris divisione palam se dat in obvium: igitur præsentem distinctionem non perfecit exactè. Antecedens probatur: Primò enim Magister, quatuor esse timores sustinet in litterâ his verbis: *Sciendum est quatuor esse timores, &c.* sed postmodum subiungit quinque, hâc verborum serie: *Scilicet mundanum, sive humanum, servilem, initialem, castum, vel filialem, sive amicabilem:* igitur in huius distinctionis elucubratione, aperte Magister gravi involvitur contradictione.

40. Respondetur communiter pro Magistro, quòd nullatenus ipse

ipse se dat hic in obvium. Quia timorem mundanum, & humanum pro eodem usurpavit in litterâ. Nam etsi timores diversi censentur, tamen sub vnâ eos consideravit ratione, scilicet, in quantum timoris dono opponuntur. Vnde, quanvis quatuor esse timoris genera statuat, & aliud subiungere videatur dum ea expendit, non inde contradictione laborat.

41. Oppones secundò Divum Damascenum lib. 2. de fide orthodox. cap. 15. bis tria timoris scribentem genera, scilicet, segnitiam, erubescenciam, verecundiam, admirationem, stuporem, & agoniam; sed Venerabilis Beda in litterâ duo duntaxat timoris apposuit genera, servilem quippè, & castum; Magister verò, quatuor descripsit, nempe, mundanum, sive humanum, servilem, initialem, & castum: ergo cum nullum ex apposis a Damasceno deprehendatur in Beda, & Magistri calculatione, illos in divisione timoris haud dubiè diminutè processisse videntur in litterâ.

42. Respondetur, hanc triplicem timoris divisionem exactissimam fore secundum variam ipsius acceptionem. Nam Venerabilis Beda solum consideravit timorem in quantum donum, ideòque in geminum divisit membrum, quippè, in servilem, & castum, eò quòd omne donum sit gratuitum, aut gratis datum. Magister verò, ipsum accepit timorem quatenus donum, & simul oppositum dono, & idcirco in quatuor divisit genera, nempe in mundanum, sive humanum, servilem, initialem, & castum, cum donum, & oppositum dono, sic, & non aliter valeat partiri. Damascenus tandem divisit timorem in quantum exambit donum, & oppositum dono, necnon naturæ passionem, sicque in bis tria dissectit membra, videlicet in segnitiam, erubescenciam, verecundiam, admirationem, stuporem, & agoniam. Vnde nec Beda, nec Magister in timoris divisione diminutè processere, cum in vario diversoque eum acceperint sensu.

43. Oppones tertio in Magistrum triplici decorantem nomine gratuitum, sive perfectum timorem: Timor enim castus, amicabile, & filialis triplici à Magistro insignitur nomine: ergo quia timor castus, amicabile, & filialis non est vnus, & idem timor. Consequentia probatur: Timor filialis efficit, vt filius patris indignationem; amicabile, vt amicus voluntatis dissensionem; & castus, vt sponsa timeat amplexuum separationem; sed timere patris indignationem, voluntatis dissensionem, & amplexuum separationem, non vnum, sed diversum arguit timorem: ergo ex quo Magister timorem gratuitum, sive perfectum triplici tentat insignire nomi-

nē, haud incongruē colligitur, non vnum, sed triplicem debere esse timorem gratuitum, siuē perfectum,

44. Respondetur negando Consequentiam, & Minoris probationem. Quavis enim timor gratuitus, siuē perfectus triplex sortiat nomen, non indē probatur esse triplicem, aut diversum, sed præcisē quòd tria possit exercere munia. Nam quemadmodum gratia, etsi vna sit, constituit hominem filium Dei per adoptionem, ipsumque efficit amicum, & desponsat animam in coniugium; sic similiter, etsi timor gratuitus, siuē perfectus sit vnus, efficit, vt filius timeat patris indignationem, amicus voluntatis disensionem, & sponsa amplexuum separationem, quin ob tanta diversa nomina, & munia possit quis validē ingeminare timorem. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

45. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis ostensione, tertia ponitur conclusio: *Donum timoris Domini, secundum vsum patriæ, in Christo Domino eluxit.* Quam deducit Magister ex hætenus de timore suppeditatis in distinctionis tramite; vbi probatum relinquit, donum timoris Domini, sicut & alia dona, manere in patriâ, sed ibi non habere omnem vsum, quem modò habet.

46. Quod vnicâ duntaxât ratione consuadere tentat Magister: Timor Domini in Christo Domino eluxit secundum vsum, & actum, quem modò habet in Sanctis æternâ beatitudine locatis, & habebit in futuro; sed timor Domini, qui modò viget in Sanctis æternâ beatitudine locatis, habebitque in futuro, est secundum vsum, & actum reverentiæ: igitur timor Domini, qui in Christo Domino eluxit in viâ, reverâ fait secundum vsum, & actum reverentiæ; quia non timuit separari à Deo, vel ipsum offendere; sed Deum præ omnibus reveritus est.

47. Sed dices primò: Exploratâ diffinitione tam spei virtutis theologicæ, quam doni timoris, æquè discursandum venit de timoris dono, ac de spe virtute theologicâ: ergo sicut donum timoris versatur circa futurum malum; sic spes virtus theologicâ circa bonum futurum; sed quia in patriâ nullum erit bonum futurum, sed omne præsens, spes virtus theologicâ erit ibi simpliciter evacuada: ergo quia nullum malum futurum in illo beatorum statu poterit esse, necessariò omnis timor erit ibi eliminandus.

48. Respondetur negando Antecedens, simulque Consequentiam, & simile. Nam, cum spes virtus theologicâ sit beatorum status omninò dissonans, eò quòd cum summâ bonorum omnium possessione

sione coherere non valeat, necessariò quoad omnem eius vsum debet evacuari in patriâ; secus donum timoris, quod licet in patriâ debeat cessare quantum ad aliquem vsum, quo fruitur in viâ respectu mali, non tamen quoad principalem illius, qui est revereri summam maiestatem Dei resiliendo in propriam parvitatem; atque adeò non appositè arguitur à totali cessatione spei virtutis theologice in patriâ ad omnem vsus timoris doni eliminationem etiam pro beatorum statu.

49. Dices secundò: Quemadmodum tranquillitas non adhæret timori; sic nec pax perturbationi adhæret; sed ubi summa pax viget, ibi nulla perturbatio moratur: ergo & ubi summa tranquillitas adest, ibi nullus poterit subsistere timor; sed in faustissimâ beatorum sorte summa pax, & tranquillitas invenitur: ergo quia omnis timor à loco illo exul evadit.

50. Respondetur ex doctrinâ Magistri non semel hic inculcatâ, quòd timor, quantum ad actum, & vsum separationis à Deo, offensaque in ipsum vitandâ, tollitur accedente beatitudine, ubi est summa pax, tranquillitas, & boni æterni possessio; non verò eliminatur timor quantum ad reverentiam exhibendam summæ maiestati Dei, quia reverentia ex timoris dono orta, cum summâ pace, & tranquillitate coheret.

51. Dices tertio: Si timor maneret in patriâ, maximè secundum aliquam sui differentiam; sed timoris donum secundum nullam sui differentiam manet in patriâ: ergo. Minor probatur: Triplex solummodò adest, secundum Magistrum, differentia timoris, quippe, servilis, filialis, & initialis; sed timor servilis non manet in patriâ, eò quòd expellatur à gratiâ; nec initialis, quia à charitate eliminatur perfectâ; nec filialis, quia nulla ibi timetur indignatio patris: igitur timoris donum secundum aliquam sui differentiam non manet in patriâ.

52. Respondetur ex apposis à Magistro in distinctionis progressu negando Minorem, & probationis Consequentiam. Quia etsi timor secundum omnes sui differentias non maneat in patriâ, sive quoad vsum, & actum separationis à Deo, offensaque in ipsum vitandâ; tamen quoad aliquam sui differentiam, sive vsum, aut actum manet timor filialis, nempe, secundum reverentiæ actum summæ Dei maiestati exhibendum, qui sedi beatorum absque vlla assidet repugnantia.

53. *Adhæc inquit Magister in litterâ: An timor pœnæ, qui in*
Christi-

Christo Domino eluxit, fuerit mundanus, servilis, vel initialis? Et respondet, nullum eorum in Christo Domino fuisse, quod efficaciter probat in hunc modum, capto profundo ac sedulo timoris examine.

54. Timor mundanus malus est, & in primo gradu cum mundo deseritur: Servilis verò, nec adhæret charitati inchoatæ, nec perfectæ: Initialis autem, cum charitate perfectâ cohærere non valet; sed Christus Dominus iam deseruit mundum, & charitate perfectissimâ pollet: igitur timor pœnæ, quem Christus Dominus habuit, nec fuit mundanus, nec servilis, nec initialis.

55. Quis ergò fuit timor iste, quo pœnam timuit? Profectò quidam fuit naturalis timor, seu humanus, qui omnibus hominibus naturâ inest, quo horretur mors, ac formidatur pœna. Et dicitur timor iste naturalis, non quia accesserit homini ex naturâ, secundum quòd fuit prius instituta; sed quia ex corruptâ foedatâque naturâ omnibus advenit, qui non fuit per Christum contractus, sed voluntariè pro suo arbitratu libero assumptus. Et hæc de tertiâ, & vltimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

56. **Q**VÆSTIO 1. An dona Spiritûs Sancti sint habitus infusi? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomæ 1.2. q.68. art.3. Alvarez 1.2. disp.17. q.68. art.1. Nicolai in 3. dist.34. q.1. art.1. D. Antoninus 4.p. in.10. cap.1. & 2. Ioan. à S. Thomâ 1.2. disp.18. art.1. & seqq. Gregor. Martinez 1.2. q.68. art.3. Rayner. de Pisis verb. Spiritus Sanctus, tit.2. num.1. & seqq. Cayetan. 1.2. q.68. art.3.

57. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist.34. q.unic. Poncius tract. 7. disp.26. q.7. Brancasius tom.2. lib.3. disp.6. q.4. Herincx p.3. disp.1. q.4. Aquila in 3. dist.34. q.1. Gallus in 3. dist.34. q.1. cap.1. & seqq. Cavellus in Schol in 3. dist.34. q.unic. Castillent. in Polyant. Seraph. verb. donum, cap.1. num.1. & seqq.

58. Ex Scholâ Eximâ Suarez tom.3. lib.6. cap.9. Arriaga de habitib. disp.38. sect.1. Tanner. disp.3. q.6. dub.1. Mart. Perez de incarn. disp.20. sect.2. Salas 1.2. tract.12. disp.unic. sect.1. Vazquez 1.2. disp.89. cap.2. & seqq. Valentia 1.2. disp.5. q.8. punct.1. Molina 1.2. q.68. disp.1. sect.1. & seqq.

59. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist.34. art.1. q.1. Alenf. 3.p. q.72. memb.1. & 2. Durandus in 3. dist.34. q.1. Gabriel in 3. dist.34. q.1. art.1. Abulens. in Matth. cap.5. q.81. Rocafull lib.6. append.2. cap.1. & seqq. Estius in 3. dist.34. §.2. Ochamus in 4. q.31.

litt. N. Aureolus in 3. dist. 34. quest. 1. art. 1.

60. *Quæstio 3. An dona Spiritûs Sancti fuerint in Christo Domino; & præsertim omnis timoris species? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1.2. q.68. art.6. & 2.2. q.11. art.11. Godoy in 3.p.tom.2. disp.25. §.1. & seqq. Chalvet tom.7. lib.5. q.1. cap.1. & seqq. Ioan. à S. Thomâ tom.3. q.7. disp.8. art.6. Gonetus tom.4. tract.1. disp.12. art.5. Camerarius tom.3. q.7. art.5. & 6. Gregor. Martinez 1.2.q.68. art.6. Nicolai in 3. dist.34. q.1. & 2. art.1. & seqq. Rayner. de Pisis verbo dona, cap.1. & seqq.*

61. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist.34. q.vnic. Mastrius tom.3. disp.7. q.10. art.1. & seqq. Brancasius tom.2. lib.3. disp.7. q.1. & seqq. Poncius tract.11. disp.39. q.5. & in 3. Comment. dist.13. num.101. Boyvin 2.p. cap.8. q.12. Durand tom.3. tract.4. disp.10. q.4. Delgadillo p.2. cap.7. difficul.5. dub.1. Tamarit tract. 4. de grat. q. 13. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist.34. q.vnic. Aquila in 3. dist.34 q.1. Felix de incarn. cap.12. difficul.3.*

62. *Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom.3. lib.6. cap.9. & seqq. Lugo disp.16. sect.7. Bernal disp. 31. sect. 1. Mart. Perez disp. 20. sect. 3. Rhodès tract.7. disp.3. q.3. sect.3. §.1. & seqq. Peñafiel tom.4. disp.12. sect.8. Carleton tom.2. disp.51. sect.5. Munciefla disp. 14. sect.7. Ragusa disp.77. sect.1. & seqq. Anton. Perez disp.3. cap.2. num. 63. Salas 1.2. tract.12. disp.vnic. sect.1. Valentia 1.2. disp.5. q. 8. & 9. punct.1. Vazq. 1.2. disp.89. cap.1. & seqq.*

63. *Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist.34. art.2. q.3. Alenf. 3. p. q.72. memb.1. & 2. Durand. in 3. dist.34. q.1. Aureolus in 3. dist.34. q.1. Gabriel in 3. dist.34. q.1. Eustach. à S. Paulo p.2. tract. 1. disp.6. q.4. Baudun. tract.1. q.7. art.3. Rocafull tom.2. lib. 10. sect.3. cap.1. Calpens. tom.2. tract.20. disp.5. sect.6. Estius in 3. dist.34. §.4. & 9. Baldius lib.2. quest.3. q.3. difficul.5.*

64. *Quæstio 3. An dona Spiritûs Sancti sub septenarioprehendantur numero? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1.2. q.68. art.4. Chalvet tom.7. lib.5. q.1. cap. 1. & seqq. Gregor. Martinez in 1.2. q.68. art.1. Nicolai in 3. dist.34. q.1. art.2. Godoy in 3.p. tom.2. disp.25. §.1. & seqq. Gonetus tom.4. tract.1. disp.12. art.5. Rayner. de Pisis verb. dona Spiritûs SS. cap.1. & seqq. Camerarius tom.3. q.7. art.5. & 6.*

65. *Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist.34.q.vnic. Brancasius tom.2. lib.3. disp.6. q. 1. Tamarit tract. de grat. q. 13. & seqq. Herincx 3.p. disp.1. q.4. Delgadillo 2.p. cap.7. difficul.5. dub.2. & seqq. Pon-*

cius tract. 11. disp. 39. q. 5. & in Comment. in 3. dist. 13. num. 101. & seqq. Boyvin 2. p. cap. 8. q. 12. Durand tom. 3. tract. 4. disp. 10. q. 4. Maltrius tom. 3. disp. 7. q. 10. art. 1. & seqq.

66. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 1. de grat. lib. 2. cap. 17. & seqq. Oviedus tract. 3. contror. 4. punct. 1. Arriaga de habitib. disp. 38. sect. 1. & seqq. Tannerus disp. 3. q. 6. dub. 1. Vazq. 1. 2. disp. 89. cap. 1. Mart. Perez disp. 20. sect. 1. Turrian. de fide, disp. 48. dub. 1. Muniessa disp. 14. sect. 7. Salas 1. 2. tract. 12. q. 68. disp. vnic. sect. 1. Carleton tom. 2. disp. 51. sect. 5. Rhodès tract. 7. disp. 3. q. 3. sect. 3. §. 1. & seqq. Peñafiel tom. 4. disp. 12. sect. 8.

67. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 34. art. 2. q. 1. Alensis 3. p. q. 72. memb. 1. & 2. Estius in 3. dist. 34. §. 1. Rocafull tom. 2. sect. 3. lib. 10. cap. 1. & seqq. Baldius lib. 2. quasit. 3. q. 3. difficul. 5. Caspenf. tom. 2. tract. 20. disp. 5. sect. 6. Eultach. à S. Paulo p. 2. tract. 1. disp. 6. q. 4. Baudunius tract. 1. q. 7. art. 3. & seqq. Aureolus in 3. dist. 34. q. 1. & seqq.

68. Quæstio 4. An Spiritus Sanctus super Discipulos die dominicâ venerit? De quò, *hic* q. 1. 2. & 3.

69. Quæstio 5. An timor mundanus, servilis, initialis, & filialis distinguantur specie? De quò, *hic* q. 2.

70. Quæstio 6. An dona Spiritus Sancti distinguantur à virtutibus infusis? De quò, *hic* q. 1. & 2.

71. Quæstio 7. An dona Spiritus Sancti sint in beatis? De quò, *hic* quæst. 2.

72. Quæstio 8. An dona Spiritus Sancti evacuentur in patriâ, aut maneant perfectiora? De quò, *hic* q. 2.

73. Quæstio 9. An Spiritus Sancti dona sint virtutibus priora? De quò, *hic* q. 1. 2. & 3.

74. Quæstio 10. An septem Spiritus Sancti dona æquè Angelis, ac hominibus beatis conveniant? De quò, *hic* q. 1. 2. & 3.

75. Quæstio 11. An timor, qui inter septem Spiritus Sancti annumeratur dona, evacuabitur in patriâ? De quò, *hic* q. 1. 2. & 3.

76. Quæstio 12. An omnis timoris species in mundano, servili, initiali, & filiali claudatur? De quò, *hic* q. 2.

DE DONIS SPIRITVS SANCTI in speciali.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-QUINTÆ Synopsis.

*Est distincta alijs præclara scientia donis,
Numine quàm sacro dicimus esse datum.*

Sic incipit : *Post præmissa.*

Sic terminat : *Cùm sufficiat impium.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de donis Spiritus Sancti in communi, & specialiter de timoris dono; sed in præsentî de ipsis in particulari determinat: ergo super his rectè connexionis lineam intexuit Magister.

2. Consequentia probatur: Vt de rebus in particulari aptius differere possimus, prius de ipsis in communi disputare oportet; sed Magister in præsentî distinctione differit de donis Spiritus Sancti in particulari, postquam in antecedenti de ipsis in communi, & in individuo de dono timoris egerat: igitur præscriptum disputandi ordinem, ab omnibus admissum, hic Magister observare videtur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ, donorum sapientiæ, & scientiæ quidditatem, & differentiam pro dignitate ostendit Magister. In secundâ verò, similiter discrimen inter sapientiam, & intellectum tentamine toto declarat. In tertiâ autem, & ultimâ parte, disertè arcet intellectum, & scientiam ab his, quæ hominibus à suâ naturâ insunt.

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctionis partis indagine, prima præficitur thesis: *Inter sapientiam, & scientiam, quæ Spiritus Sancti arbitrantur dona, exploratum apertumque adest discrimen.* Quam ex triplici differentiâ notabili inter ipsa dona repertâ, satis clarè etfi compressè, probat Magister.

5. **PRIMA** ergò differentia inter sapientiam, & scientiam, in
quan-

quantum sunt Spiritus Sancti dona, est, quod et si tam sapientia, quam scientia possint divinarum humanarumque rerum dici notitia; propriè tamen sapientia est cognitio divinarum rerum; scientia verò, humanarum rerum notitia.

6. Secunda differentia est, sapientiam esse pietatem, quæ passim à Græcis *theosebia* appellatur, estque Dei cultus, quo Deum cognoscimus, & amamus. Scientiam verò, esse cohibitionem quandam à malis, sive abstinere à malis, & in medio pravæ nationis prudenter conversari.

7. Tertia differentia est, quod sapientia ad supernorum contemplationem pertinet; scientia verò ad temporalium actionem, quæ temporaneis rebus benè utimur: igitur sat expressam exploratumque apparet triplex differentia genus inter sapientiam, & scientiam, quatenus inter Spiritus Sancti dona specialiter annumerantur.

8. Et nè ex proprio Magistri cerebro hæc discrimina inter sapientiam, & scientiam comminisci videantur, quosdam M.P. Augustini Magister ipse suppeditat authoritates, quibus præfatam tentat fulcire doctrinam. Sic primò scribit Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. *Philosophi disputantes de Sapientia, definiunt eam, dicentes: Sapientia est rerum divinarum, humanarumque scientia. Ego quoque utrarumque rerum cognitionem, idest, divinarum, & humanarum, & sapientiam, & scientiam dici posse non nego: ergo quanvis sapientia, & scientia, prout dona sunt Spiritus Sancti, valeant dici divinarum, humanarumque rerum notitia; propriè tamen sapientia divinarum; scientia autem est rerum humanarum cognitio.*

9. Secundò, hanc ostendit differentiam Magister ex ipso Augustino illustrante Psal. 135. dicenteque: *Distat sapientia quodammodo à scientia, testante Sancto Iob, qui quodam modo singula definiens, ait: Sapientia est pietas; scientia verò abstinere à malis; sed sapientia hæc ab Augustino accipitur pro cultu Dei, qui in illius cognitione, & amore consistit; scientia verò, pro quadam cohibitione à malis usurpatur, quæ reverà est abstinere à malis, & in medio pravæ nationis prudenter conversari: ergo cum cultus Dei, & cohibitio à malis maxime dissent, necessario sapientia, & scientia, quatenus sunt dona Spiritus Sancti, notabiliter differre debent.*

10. Tertio, etiam Divus Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 14. circa tertium differentia genus sapientia, & scientia, in quantum sunt dona Spiritus Sancti, totus versatur, dum ait: *Distat ab aeterno*

rum contemplatione actio, quâ bene utimur temporalibus rebus; & illa sapientie, hæc scientiæ deputatur: igitur clarè ex Augustino deprehendimus discrimen inter spiritum sapientiæ, & scientiæ spiritum, videlicet, quòd sapientia divinis, & æternis; scientia verò humanis, & temporalibus adscribatur rebus.

11. Sed oppones primò: Sapientia, secundùm Magistrum in litterâ, est rerum divinarum, humanarumque simul notitia; sed res divinæ, & humanæ, sive creatæ, & increatæ, summo discrimine distant: igitur nulla sapientia, quantumvis sit donum Spiritûs Sancti, poterit circa tanta ac diversa objecta versari.

12. Respondetur negando Consequentiam, Quia sapientia dupliciter usurpari valet; vel pro cognitione vniuersali rerum, quemadmodùm eam accepit Philosophus; vel pro altissimarum causarum notitiâ, prout Spiritûs Sancti dono præsertim accommodatur. Primo modo vtriusque objecti creati, & increati, divini, & humani cognitionem comprehendit; secundo verò modo solùm divinarum rerum est notitia; & in hoc sensu propriè hic à Magistro cum Augustino excipitur sapientia, estque vnum ex septem Spiritûs Sancti donis.

13. Oppones secundò: Diversa dona diversos fortiuntur actus, & vsus; sed abstinere à malis est proprius actus, & vsus doni Spiritûs Sancti timoris: igitur abstinere à malis non bene scientiæ dono aptatur in litterâ; aliter dona omnia Spiritûs Sancti quantum ad actus, & vsus immiscerentur.

14. Respondetur negando Consequentiam, & fortassè Minorem. Quia etsi abstinere à malis ascribatur dono timoris; aliter tamen ac scientiæ dono aptatur. Nam abstinere à malis privativè, sive non facere malum convenit dono timoris; at abstinere à malis non solùm privativè, verùm & positivè congruit dono scientiæ; quia hæc non tantùm est abstinere à malis, sed etiam prudenter conversari in medio nationis prævæ, & perversæ.

15. His sic atticâ eruditione à Magistro perpensis, subdit in textûs litterâ, quòd cum in Christo Domino sit res divina, & humana, de ipso necessariò habemus sapientiam, & scientiam. Sapientiam, quæ rebus divinis tribuitur; & scientiam, quæ humanis accommodatur.

16. Quod dupl. ici ex Augustini doctrinâ ratione probare videtur. Prima sic ab ipso concinnatur in litterâ: De Christo Domino legitur in Evangelio apud Ioannem cap. 1. *Verbum caro factum est; sed*

sed in *Verbo* intelligitur verus Dei Filius; & in *carne* agnoscitur verus hominis Filius: ergo quia in Christo Domino utramque rem, divinam quippè, & humanam agnoscimus; atque ad eò sapientiam, & scientiam de eo nos habere, satis compertum est.

17. Secunda etiam sic perficitur à Magistro ratio apud ipsum sacrum Ioannis Evangelium, ubi dicitur: *Vidimus plenum gratiæ, & veritatis*; sed *gratiæ* refertur ad scientiam, & *veritas* ad sapientiam; quia Christus Dominus fuit plenus gratiæ, & veritatis: ergo cum Christus Dominus sit Deus & homo, de ipso scientiam, & sapientiam habemus. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

18. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis ostensione, secunda statuitur thesis: *Inter scientiam, & intellectum Spiritus Sancti dona satis explorata adest differentia*. Cuius probatio duntaxat innititur duplici horum donorum nudo ac aperto discrimini.

19. Quorum primum est, quòd sapientia versatur circa res æternas, quippè Deum, suæque divina attributa; intellectus verò, non solum est de rebus æternis, verum de aliquibus ex tempore ortis, ut de invisibilibus, spiritualibusque creaturis; sed quo pacto sapientia circa res æternas, & intellectus circa æternas, simulque temporales, etsi spirituales, versatur, dona sapientiæ, & intellectus maximè differunt: ergo.

20. Secundum inter vnum, & aliud Spiritus Sancti donum adinventum discrimen est, quòd per intellectus donum intelligibilia capimus sine delectatione; per sapientiæ verò donum, non modò superiora intelligimus, sed etiam in cognitis delectamur; sed ex eo quòd intellectus dono res tantum apprehendamus, & sapientiæ dono de cognitis per ipsum delectemur, sapientiæ, & intellectus dona valdè distare videntur: ergo.

21. Modo Magister horum trium donorum, quippè sapientiæ, scientiæ, & intellectus, ad sensum adducit discrimen. Nam scientia prodest ad rerum temporalium rectam administrationem, & ad bonam inter malos conversationem. Intellectus verò, ad Creatoris, & creaturarum invisibilium speculationem. Sapientia tandem, ad solius æternæ veritatis contemplationem, delectationemque: igitur scientia, intelligentia, & sapientia sat ad sensum discrepare videtur.

22. Sed dices primò: Sapientia, scientia, & intellectus differunt, suntque diversa dona ex Magistro, quia scientia circa temporalia, sapientia circa æterna, & intellectus circa increata, & creata invisibilia versantur: ergo si intellectus donum est vnum, videtur

quòd

quòd non possit cir ca duo summè diversa versari.

23. Respondetur ex Magistro negando Consequentiam. Quia hæc tria Spiritus Sancti dona, penes diversa obiecta versantur; & quanvis intellectus donum sit vnum, non implicat circa increata, & creata invisibilia simul versari. Nam sapientia operatur circa æterna, secundum rationes æternas; scientia verò respicit creata, iuxta creatas rationes; intellectus tamen occupatur in Creatoris, & creaturarum simul contemplatione; & licet summè diversa videantur obiecta, semper illa attingit ob rationes æternas, ad quarum contemplationem etiam per creaturas elevatur intellectus. Vnde, etsi plura ac diversa sint obiecta, vnum tamen est intellectus donum, manetque constitutum infra sapientiam, & supra scientiam.

24. Dices secundò ex hæc nùs disseminatis in litterâ textus: *Dono sapientiæ cognoscimus æterna, & scientiæ dono temporalia: ergo aut his duobus habitis donis superfluit intellectus donum; aut illud præfertim non versatur circa Creatoris, & creaturarum contemplationem.*

25. Respondetur negando Consequentiam. Licet enim donum sapientiæ ordinetur ad cognitionem Creatoris, & scientiæ donum ad creaturæ notitiam, non inde intellectus donum superfluit, etiam si in Creatoris, & creaturæ contemplationem versetur. Quia donum sapientiæ ordinatur ad Deum, suæque attributa, secundum rationes æternas, quæ sunt via ad gustum, & experimentalem cognitionem divinæ suavitatis; intellectus verò donum versatur circa ipsa obiecta, quatenus sunt via ad cognitionem veritatis. Similiter donum scientiæ ordinatur ad cognitionem creaturarum, tum sensibilium, tum spiritualium; intellectus autem donum solum circa creaturas spirituales operatur. Vnde discrimen inter hæc Spiritus Sancti dona fat ex dictis apparet. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

26. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis enucleatione, tertia præfigitur thesis: *Intellectus, & scientia, in quantum Spiritus Sancti dona dicuntur, non sunt illa, quæ insunt homini à naturâ.* Quam gemino probat ratiocinio Magister, dum dona superna cum naturalibus confert in litterâ donis.

27. Primò: Intellectus, & scientia, quatenus sunt dona Spiritus Sancti, animabus fidelium infunduntur per gratiam, vt per ea rectè vivant; sed intellectus, & scientia, vt sunt dona, quæ insunt hominibus à naturâ, ipsis à Deo conferuntur ex solitario creationis beneficio: igitur intellectus, & scientia, in quantum sunt Spiritus

Sancti

Sancti dona, alia ab intellectu, & scientiâ debent censerî dona, quæ naturaliter insunt animabus hominum.

28. Secundò: Per intellectum, & scientiam, quæ Spiritûs Sancti dicuntur dona, naturalia reformantur atque adiuvantur; quia intellectus naturalis hominis peccato obtenebratus, per spiritum intelligentiæ, sive supernum intellectûs donum, reformatur atque adiuvatur ad intelligendum. Et per virtutem illam, sive sapientiæ donum etiam iuvatur atque erigitur mentis ratio ad contemplationem, & delectationem aternæ veritatis: igitur intellectus, & scientia, de quibus hæc agitur in litterâ, non sunt dona illa, quæ naturaliter insunt hominibus.

29. Rursûs, pro huius distinctionis regionibus subiungit Magister, quòd per donum sapientiæ, de quo agimus modò, non debemus intelligere illam sapientiam, quæ est Deus, sed eam, quæ hominis est sapientia, & quâ homo ipse sapit; quæ tamen non incongruè valet dici Dei sapientia, non quia eâ sit Deus sapiens, sed quia à Deo elargitur; quemadmodum dicitur iustitia Dei, quam Deus hominibus confert, dum iustificat impios.

30. Quod luculenter tradidit Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. his verbis: *Non est illa sapientia Dei, quæ Deus est, sed hominis sapientia: Veruntamen quæ secundum Deum est, ac verus, & præcipuus cultus eius est. Si ergò colat meus hominis Deum, cuius ab eo capax facta est, & cuius esse particeps potest, sapiens ipsa fit, & non suâ luce, sed summæ illius lucis participatione sapiens fit.* Hactenus Augustinus. Et hæc de tertiâ, & vicinâ distinctionis parte, dicta sint satis.

QVÆSTIONES.

31. **Q**VÆSTIO I. In quo essentialiter consistat actus doni Scientiæ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 9. art. 2. & in 3. dist. 35. q. 2. art. 3. Nicolai in 3. dist. 35. q. 2. art. 1. & seqq. Gregor. Martinez 1. 2. q. 68. art. 3. & seqq. Cayetan. 1. 2. q. 68. art. 3. & seqq. Ioan. à S. Thomâ 1. 2. disp. 18. art. 1. & seqq.

32. Ex Subili Scholâ Scotus in 3. dist. 34. q. vnic. & dist. 35. q. vnic. Brancasius tom. 2. lib. 3. disp. 7. q. 10. Poncius tract. 7. disp. 26. q. 7. Delgadillo p. 2. cap. 7. diff. ul. 5. dub. 4. Gallus in 3. dist. 35. q. 1. cap. 1. Herincx 3. p. disp. 1. q. 1. & seqq. Aquila in 3. dist. 35. q. 1.

33. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 3. lib. 6. cap. 1. & seqq. Arriaga de habitib. disp. 38. sect. 5. & seqq. Mart. Perez de incarn. disp. 20. sect. 1. Tannerus disp. 3. q. 6. dub. 1. & seqq. Salas 1. 2. tract. 12. disp.

unic. sect. 1. & seqq. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 29. q. 5. Vazq. 1. 2. disp. 89. cap. 1. & seqq.

34. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. *dist. 35. q. 2. art. 1. Alenf. 1. p. q. 40. memb. 1. Gabriel in 3. dist. 35. q. 1. Aureolus in 3. dist. 35. q. 1. Ertius in 3. dist. 35. §. 1. & seqq. Ochamus in 4. q. 3. lit. N. & seqq. Rocafull lib. 6. append. 2. cap. 1. & seqq. Abulens. in *Matth. cap. 5. q. 81. & seqq. Durand. in 3. dist. 35. q. 1.**

35. Quæstio 2. In quo donum Intellectus essentialiter consistat? De quò, *hic q. 1.*

36. Quæstio 3. In quo doni Consilij essentia stet? De quò, *hic q. 1.*

37. Quæstio 4. In quo Fortitudinis donum consistat? De quò, *hic q. 1.*

38. Quæstio 5. In quo stet principalius doni pietatis actus? De quò, *hic q. 1.*

39. Quæstio 6. An dona Spiritus Sancti sint ab ipso distincta? De quò, *tom. 1. dist. 14. q. 2.*

40. Quæstio 7. An Sapiencia, quæ est donum Dei, sit ipsemet Deus? De quò, *tom. 1. dist. 14. q. 2.*

41. Quæstio 8. An ratio doni propriè, & solitariè conveniat Spiritui Sancto? De quò, *tom. 1. dist. 11. q. 6.*

42. Quæstio 9. Quomodo Sapiencia, Scientia, & Intelligentia inter se differant? De quò, *hic q. 1.*

43. Quæstio 10. An Sapiencia ad solius æternæ veritatis contemplationem deserviat? De quò, *hic q. 1.*

44. Quæstio 11. An Intelligentia non solum Creatoris; verum in creaturarum invisibilium speculationem detur? De quò, *hic q. 1.*

45. Quæstio 12. An Scientia versetur in rectam temporalium rerum administrationem? De quò, *hic q. 1.*

46. Et omnes quæstiones superioris distinctionis possunt hæc congruentissimè ad limam vocari.



DE CONNEXIONE VIRTUTVM.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-SEXTÆ

Synopsis.

Iunguntur valido virtutum germina nexu.

Iam periere omnes, si perit una tibi.

Sic incipit : *Solet etiam quæri.*

Sic terminat : *Dilectio Dei, & proximi.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de donis Spiritûs Sancti in particulari, eorumque vicissim comparatione; sed in præsentî determinat de connexionè virtutum, quæ non separantur : igitur hæc distinctio rectè consonat superiori.

2. Consequentia probatur : Postquàm Magister in antecedenti distinctiõne egit de Spiritûs Sancti donis in particulari, eorumque invicem comparatione, necnon in alijs superioribus de virtutibus, tum theologicis, tum cardinalibus, valdè consentaneum erat rationi, ut de ipsarum connexionè quandòque differeret, eò quòd connexio eas necessariò præsupponat: ergo cum Magister iam de virtutibus, habitibus supèrnis, donisque Spiritûs Sancti determinaverit, ante, rectè procedit agendo modò de virtutum connexionè, quæ separari non valent.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ declarat Magister, qualiter virtutes inter se ipsas connexionem servant. In secundâ verò expendit, an inæqualiter à nobis virtutes participantur. In tertiâ autem, & ultimâ statuit, omnia decalogi præcepta ad duo tantùm referri.

4. **PRO PRIMÆ** igitur distinctiõnis partis solerti discussione, en primum theorema: *Ita virtutes invicem sunt connexæ, ut qui unam habuerit, habeat omnes; & omnibus careat, qui caret una.* Quod ex cuiusdam quasi solutiõne probat Magister in litterâ.

5. Indagat ergò Magister in litterâ: *Vtrum virtutes ita sint sibi coniunctæ, vt qui vnâ habuerit, habeat omnes?* Et respondet affirmatiuè, probatque aliquibus Sanctorum Patrum expressis testimonijs, quæ suggerit in textûs litterâ.

6. Primò ex Divo Hieronymo Comment. ad cap. 56. Isaia dicente: *Omnes virtutes sibi hærent, vt qui vnâ caruerit, omnibus careat. Qui ergò vnâ habet, omnes habet:* ergo si ita sunt connexæ virtutes, vt qui vnâ caruerit, omnibus careat, & qui vnâ habuerit, omnes habeat, bene colligitur, tantum fore inter ipsas connexionis vinculum, vel quòd omnes cohæreant, vel pereant omnes.

7. Secundò: Quia charitas, ita est omnium virtutum mater, vt in quocunque ipsa sit, & cuncti filij eius, siuè virtutes rectè fore credantur; sed ex eo quòd virtutes ita sint cum charitate connexæ, quemadmodùm filij cum matre, qui vnâ habet, omnes habet; & qui vnâ caret, omnibus caret: ergo.

8. Tertio ex M. P. Augustino tract. de laude charit. sic scribente: *Vbi charitas est, quid est, quòd possit deesse? Vbi autem non est, quid est, quòd possit prodesse?* Ergo si vbi est charitas, nihil potest deesse; & vbi non est charitas, nihil valet prodesse; satis apertè ex Augustino deducitur, quòd virtutes ita sunt sibi coniunctæ, vt qui vnâ habuerit, omnes habeat; & qui vnâ caruerit, omnibus careat.

9. Quarto, hoc ratiocinio assumptum probat Magister: Plenitudo legis, & omnium virtutum mater est charitas; vt ex iteratis factæ paginæ habetur locis: ergo qui charitatem habet, omnes virtutes habet: ergo quantò magis sit charitas in homine, tantò magis erit virtute præditus; & e contra, quantò minùs fuerit charitas in homine, tantò minùs erit virtus in eo, & tantò magis vitium: ergo quia vbicunque sit charitas, ibi virtutes omnes in ipsam coire videntur; & vbi illa non adest, omnes desiderantur.

10. Sed oppones primò in Diui Augustini autoritatem: *Vbi est charitas, nihil ibi deesse potest:* ergo qui charitate pollet, nihil ipsi deficiet ad salutem; sed cui nihil deficit ad salutem, solâ superflite charitate in illo, cæteræ virtutes valdè superuacaneæ arbitrantur ipsi: igitur virtutes omnes non sunt charitati connexæ.

11. Respondetur ex Magistro, Diuum Augustinum sic esse expendum, quòd vbi est charitas, nihil deest ex his, quæ ad salutem sunt necessaria; non verò quòd habenti charitatem, nihil absolute deficiat, quòd ad salutem necessariò non pertinet. Nam qui habet charitatem, habet vnde possit legem implere, & consequenter

virtutes omnes, quæ conferunt ad ipsius impletionem, cum quibus inseparabiliter connexionem seruat.

12. Oppones secundò: Quammodùm vinculo indissolubili omnes virtutes charitati adhærent, quæ ad salutem, & legis impletionem necessariò conferunt; sic & omnes aliæ virtutes cuiuslibet virtuti adhærent: ergo idem tenendum erit de connexionione omnium virtutum cum charitate, ac de compage omnium virtutum cum qualibet aliâ virtute.

13. Respondetur ex ipsâ Magistri doctrinâ negando Consequentiam, & simile. Quia charitas non solum omnibus alijs virtutibus, quæ ad salutem, & legis impletionem necessariò conferunt, adhæret; sed etiam est talis connexionis principium, eò quòd sit vinculum perfectionis, & quòdam modo omnium bonorum sit mater, quod cuiuslibet virtuti, imò & nulli iure optimo ascribi valet: atque eòdè ineptè arguitur à connexionione charitatis cum omnibus virtutibus ad connexionem cuiuslibet virtutis ad alias.

14. Oppones tertio: Christus Dominus, alijsque Cœlites beatitudine supernâ perfuertes haud dubiè charitate potiuntur; sed Christus Dominus, alijsque Cœlites virtutibus fidei & spei carent, vt supra distinctione vigesimâ tertiâ, & sextâ dicebamus: ergo non est opus, vt qui vnâ virtutem habet, habeat omnes; nec qui vnâ caret, omnibus debeat carere virtutibus.

15. Respondetur iuxta Magistri doctrinam negando Consequentiam. Quia virtutes fidei, & spei ob earum imperfectionem sibi annexam non coherent cum beatorum perfectissimo statu; idèdèque et si in patriâ sit semper superstes charitas in Christo Domino, alijsque Cœlicolis; tamen fidei, & spei virtutes ipsi adhærete non valent. Vnde virtutum connexio cum charitate, non idcirco deturbatur, eò quòd in statu viæ alijs annectatur virtutibus, & loco ipsarum in patriâ, dotes eius respondententes cum alijs virtutibus, quæ ibi manent, connexionem seruent.

16. Oppones quarto: Reprobi dùm in Dei gratiâ sunt constituti, reuera pluribus scant virtutibus; sed mirâ perseverantiæ non gaudent virtute, aliter saluarentur omnes, iuxta sacrum illud Matthæi dictum, cap. 10. *Qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit*: igitur virtutes omnes nec sunt charitati connexæ, nec qui vnâ habet, omnibus debet necessariò pollere.

17. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Minoris suppositum, & simul Consequentiam, Quia perseverantiâ, quæ boni in finem

nem vsque continuatio dicitur, non est virtus, nec alijs virtutibus necessario adheret, sed potius est quid consequens omnium virtutum statum. Quamobrem, dum reprobi sunt in gratiâ, omnes virtutes in ipso manent charitati connexæ, quanvis in finem vsque non perfeverent.

18. Oppones quintò: Sic comparatur habitus ad habitum, quemadmodum actus ad actum; sed nulla est necessitas, vt virtutum actus alternis connectantur, cum vnus sine alio perfici, & exerceri valeat: ergo nec quòd virtutum habitus sint necessario connexi: ergo theorema Magistri non tenet, quòd virtutes ita sint invicem connexæ, vt qui vnâ habuerit, habeat omnes, & omnibus careat, qui caret vnâ.

19. Respondetur negando Maiorem, & Consequentiam. Quia productio actuum est voluntaria, dependetque à libero arbitrij vsu, sicque valet voluntas in vnum, & non in alium exerceri actum; at habituum infusio in hominum animas, solitariè desamitur ex Dei beneplacito sic illos elargiente, qui vnum sine alio animabus non confert; ac proindè comparatio actus ad actum cum comparatione habitus ad habitum non benè consonat.

20. Oppones sextò: Dona Spiritus Sancti sunt virtutes, vt supra expendimus distinctione trigessimâ quartâ; sed Spiritus Sancti dona invicem non sunt necessario connexa: ergo nec virtutum habitus debent in necessariam connexionem venire. Minor probatur ex Apostolo 1. Corinth. cap. 12. scribente: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu, &c.* sed Deus hæc sua distribuit dona secundum diversitatem personarum: ergo quia non opus est, quòd Spiritus Sancti dona in vnâ eademque animâ sint invicem necessario connexa; sed dona Spiritus Sancti sunt virtutes: igitur virtutes præfatam non debent connexionem servare.

21. Respondetur negando Minorem, & probationis Consequentiam. Nam Spiritus Sancti dona etsi mutuo sint connexa; tantâ tamen non pollent connexionem, quantâ virtutes fruuntur. Ad auctoritatem Apostoli passim respondetur, ipsam exponendam fore de donis gratiæ gratis datæ, non verò de donis gratiæ gratum facientis; & ideo nulla est necessitas, vt dona illa in vnâ eademque animâ invicem connectantur.

22. Si autem donorum distributio hîc tradita ab Apostolo foret de donis gratiæ gratum facientis, locus reverà esset exponendus de

ipforum vsu, qui rarò, aut nunquàm, penes omnia illa dona, in vno reperitur homine: sicque connexionem necessariam in hoc videntur non tenere sensu; attamen eam servare fatemur quantum ad illorum originem, radicem, sivè principium, eò quòd informantur à gratià, dùm hæc infunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Vnde instantia non vrget, etiamsi Spiritus Sancti dona sint virtutes. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

23. PRO SECUNDE verò distinctionis partis assiduâ indagatione, en secundum theorema: *Omnes virtutes non solum sunt connexæ, verum & in homine pares.* Cuius præcipua probatio reverà desumitur ex cuiusdam dubitationis resolutione, quam hic ad litteram adducit Magister.

24. Sic ambigitur modò à Magistro: *An habens omnes virtutes, eas equaliter, vel inæqualiter habeat?* Et ante ipsius resolutionem, quandam defensantem præmittit opinionem Magister, scilicet, alias magis alias minùs ab hominibus haberi virtutes; cui obvius est Magister in litterâ

25. Tamen in illius subsidium, hanc producit rationem, eique accommodam solutionem præbet. In Sanctissimo Iob patientia maximè epuit; in David humilitas; in Moysè mansuetudo; & in Abraam fides; ergo quia virtutes aliæ magis, aliæ minùs ab hominibus habentur; sed hoc verum non esset, si qui in vnâ excellit, in omnibus excelleret virtutibus; ergo.

26. Consentaneè his, subiungunt huius opinionis Affectæ, aliquem per vnâ virtutem magis posse mereri, quam per aliam, cum vnâ plenius possideant, quam aliam; licet tamen per nullam magis possint mereri, quam per charitatem, quæ omnes virtutes producit, estque omnium quasi principium, & mater.

27. Magister tamen alijs aliter opinantibus adhæret in litterâ, nempe, omnes virtutes & similes, & pares esse in quocunque homine sint; vt qui in vnâ alteri par extiterit, in omnibus eidem æqualis sit. Quod expressâ Augustini autoritate firmat Magister in litterâ.

28. Sic effatur Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 4. *Virtutes, quæ sunt in animo humano, quavis alio & alio modo singula intelligantur, nullo modo tamen separantur abinvicem, vt quicunque fuerint æquales, verbi gratiâ, in fortitudine, æquales sint & prudentiâ, & iustitiâ, & temperantiâ: ergo non solum connexæ sunt virtutes, verum & sunt æquales, ita vt vnâ intensâ, & reliquæ proportionaliter intendantur; vt qui*
pares

pares sunt in aliquâ virtute, in alijs quoque pares esse probentur.

29. Sed si quis opponeret, sicque in Augustinum obiurgaret: Possunt quidam esse in fortitudine pares; sed potest vnus alios prudentiâ præstare: ergo quanvis quidam sint in fortitudine pares, poterunt tamen in prudentiâ, iustitiâ, temperantiâ, alijsque virtutibus esse inæquales.

30. Respondet tamen Augustinus efficaciter in litterâ negando Minorem, & Consequentiam. Et pro exactiori instantiæ solutione, eius adducimus verba: *Si enim dixeris æquales esse istos in fortitudine, sed illum præstare prudentiâ; sequitur, vt huius fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quia est illius fortitudo prudentior. Atque ita de cæteris virtutibus inuenies, si omnes eadem consideratione percurras.* Et hæc Aurelij aurea eloquia pro argumenti solutione sint satis.

31. Modò respondet Magister ad oppositæ opinionis fundamentum, quippè, quòd in nonnullis præsertim enituit aliqua virtus, vt in Iob patientiâ, in David humilitas, &c. esse intelligendum, non in quantum ad habitum virtutis, sed quantum ad vsum eius, quantum scilicet, vnus magis exequitur actum vnus virtutis, quam alterius. Vel per comparisonem ad alios homines venit exponendum, & non per comparisonem ad alias virtutes, quasi singuli singulas has virtutes intensius habuerint.

32. Hanc solutionem sic præmunit Magister in litterâ fretus Augustini testimonio Epist. 29. dicente: *Potest & aliquam non habere virtutem, cum tamen simul omnes & pariter habeat quantum ad mentis habitum, vel essentiam cuiusque. In actu verò aliam magis, aliam minus habet, aliam etiam non habet; vt vir iustus vtens coniugio, non habet continentiam in actu, quam tamen habet in habitu: ergo licet quoad vsum actumque exteriorem vnus habeat maiorem virtutem, quam alius, vel vna appareat intensior aliâ, quia vnus magis exequitur, siuè exerceat in actum vnus virtutis, quam alterius; tamen quoad habitum in animo existentem, omnes virtutes sunt pares.*

33. Sed dices primò: Sicut maiori bono maius malum opponitur; sic maiori malo maius bonum se dat in obvium; sed peccata opposita virtutibus non imbibunt æqualitatem, eò quòd vnum crebrò sit maius alio: ergo nec virtutes omnes gratuite valent in homine æqualitatem fortiri, cum vna sit maior aliâ.

34. Responderetur permisâ modò Maiori, negando Consequentiam. Nam alio ex capite desumitur æqualitas virtutum in homine, ac vitiorum inæqualitas. Virtutes enim suam sibi à gratiâ arrogant

æqua-

æqualitatem, ratione cuius, quod opponitur vni virtuti, per consequens opponitur omnibus, quod necessariò æqualitatem expostulat: Vitia verò, seu peccata inæqualitatem mutant à maioris, vel minoris boni privatione; & idèd vnum peccatum dicitur excedere aliud; cum ergò privatio boni non possit esse in peccatis omnibus æqualis, necessariò inter vitia, siue peccata constituenda est inæqualitas.

35. Dices secundò: Quemadmodum vna virtus potest à pluribus participari hominibus; sic vnus homo potest plures possidere virtutes; sed vna virtus à pluribus hominibus potest participari inæqualiter; ergo & plures virtutes ab vno inæqualiter possideri homine.

36. Respondetur ex Magistri doctrinà negando Minorem, & Consequentiam. Quia etsi vna virtus à pluribus hominibus possit inæqualiter participari quantum ad eius usum, quatenus scilicet vnus magis exequitur actum illius virtutis, quam alius; tamen quantum ad virtutis habitum, non potest inæqualiter à pluribus participari, quia vna in omnibus est radix, siue gratia, per quam est acceptatio; vnaque charitas, per quam est meriti perfectio, à quibus desumitur omnium virtutum æqualitas.

37. Tandem, etsi obiter, inquit Magister cum Augustino in littera: *An peccata dicantur paria, quemadmodum virtutes pares dicuntur?* Et respondet negativè cum ipso Augustino, probatque duplici illius gravissimo testimonio. Primum his sic suppeditat verbis Epist. 29. *Quia etsi verum sit, eum, qui habet vnam, omnes virtutes habere, & eum, qui vnam non habet, nullam habere; non sic peccata sunt paria, quia ubi virtus nulla est, nihil rectum est:* ergo quia de æqualitate virtutum ad peccatorum æqualitatem nullum est simile.

38. Secundum clariùs proponit Augustinus ibidem, hanc sub certâ verborum serie: *Cur ergò non dicantur paria peccata? Fortè quia magis facit contra charitatem qui graviùs peccat, minùs qui leviùs. Nemo enim peccat, nisi adversùs illam faciendò, quæ est plenitudo legis. Idèd rectè dicitur: Qui offenderit in vno, factus est omnium reus, idest, contra charitatem facit, in qua pendent omnia, lex scilicet, & propheta:* ergo quanvis in virtutibus sit æqualitas approbanda, hoc non adigit, vt eam in peccatis admittamus.

39. Sed oppones: Peccatum nihil est; sed in his, quæ nihil sunt, vnum non est maius alio: igitur vnum peccatum non poterit esse maius alio: sed ex eo quòd vnum non sit maius alio, vnum peccatum non valet excellere aliud; ergo necessariò erit approbanda æquali-

tas in peccatis, quemadmodum eam cum Magistro in virtutibus commendamus.

40. Respondetur communiter instantiæ ex alibi appositis de privatione, quòd peccatum etsi nihil sit positivum, tamen est aliquid privativum. Vnde ratione maioris, & minoris boni, cuius est privatio, vnum peccatum dicitur excedere aliud; itaque in peccatis non est admittenda æqualitas, quanvis in virtutibus cum Magistro concedatur. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

41. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis investigatione, en tertium theorema: *Cuncta decalogi præcepta ad Dei, & proximi dilectionem reducuntur, per eamque perfectè adimplentur.* Quod etiam tentat suadere Magister, solâ quadâm subtili adhibitâ solutione ad quoddam dubium exagitatam ab ipso.

42. Sic in litterâ proponitur à Magistro: *Quomodo in duobus præceptis de Dei, & proximi dilectione tota lex pendet, & propheta, si in ipsâ lege, & Prophetis multa continentur in re præcepta, que iam cessarunt, & cessare non debuissent, sicut nec charitas cessat?* In cuius explanationem totus versatur Magister vsque ad distinctionis calcem.

43. Respondet tamen Magister. Primò: Præcepta moralia veteris legis, & in Prophetis contenta, vt circuncisio, cœremonia sacrificiorum, & alia huiusmodi, in futurorum figurâ imposita fuisse, idèo clarescente veritate cessare debuerunt vt vmbra. Secundò: Ipsa cœremonialia mandata, secundum spiritualem intellectum, quem continent, & omnia alia moralia præcepta ad charitatem referri debere. Tertio: Omnia decalogi præcepta ad decem, & hæc ad duo tantum reduci mandata, nempe ad Dei, & proximi dilectionem.

44. Quòd ergò decem illa decalogi præcepta ad duo referantur, multiplici Augustini autoritate ostendit Magister in litterâ. Primò ex tract. de laud. charit. vbi sic scribit Augustinus: *Totam magnitudinem, & amplitudinem divinorum eloquiorum possidet charitas, quæ Deum, proximumque diligimus, quæ radix est omnium bonorum.* Vnde veritas ait: *In his duobus mandatis vniversa lex pendet, & propheta:* ergo si in his duobus mandatis de Dei, & proximi dilectione, vniversa lex pender, & propheta, omnia decalogi præcepta ad hæc duo referri debent.

45. Secundò ex Enchir. cap. vlt. dicente: *Tunc enim, & præcepta, & consilia rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum:* ergo si præcepta consiliaque rectè fiunt, cum ad diligendum Deum, & proximum propter Deum referuntur, bene colliguntur,

gitur,

gitur, quòd omnia decalogi præcepta ad duo solitariè reducuntur, quippè ad dilectionem Dei, & proximi propter Deum.

46. Tertio ex Epist. 144. & lib. 1. de doct. christ. cap. 35. ita alloquente: *Inimicus enim iustitiæ est, qui pœna timore non peccat: Amicus verò iustitiæ, qui eius amore non peccat. Omnium ergo hæc summa est, ut intelligatur legis, & omnium divinarum scripturarum plenitudo esse dilectio Dei, & proximi: ergo si legis, omniumque scripturarum plenitudo est dilectio Dei, & proximi propter Deum, reverà tota lex scripturaque tota in his duobus clauditur præceptis de dilectione Dei, & proximi propter Deum.*

47. Sed oppones primò: Omnia decalogi præcepta per charitatem perfectè adimplentur: ergo potius ea omnia habent ad charitatem, quàm ad Dei, & proximi propter Deum dilectionem reduci.

48. Respondetur negando Consequentiam. Nam aliud adimpleri, & reduci aliud sonare videntur. Omnia enim præcepta decalogi per charitatem perfectè adimplentur, quia ipsa est virtutum omnium vinculum, omnisque meritòri operis principium, finis, & forma; at cuncta decalogi præcepta ad Dei, & proximi dilectionem reducuntur, quia in his duobus mandatis univèrsa lex pendet, & prophete, eò quòd omnia præcepta, & consilia rectè perficiantur, dum ad diligendum Deum, & proximū propter Deum referuntur.

49. Oppones secundò ex Magistri litterà: Omnium reverà summa, omniumque divinarum scripturarum plenitudo est Dei, & proximi dilectio: ergo quia in sacrà paginà nihil aliud continetur, quàm charitatis præscriptum; atque adeò solūm circa illud divina Scriptura versari, & de nullo alio pertractare debet.

50. Respondetur ex ipsius Magistri litteræ contextu, ea Magistrum protulisse verba, quia omnia que in sacrà pertractantur paginà, in Dei, & proximi dilectione causaliter continentur, quia tota divina Scriptura finaliter ordinatur ad Dei, & proximi dilectionem. Cæterum, ipsius Scripturæ sacræ amplitudo non innititur integraliter charitati, cum plures aliæ ibi referantur virtutes, quæ variæ ac distinctæ à charitate iure optimo arbitrantur. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

Q U E S T I O N E S.

51. Q U E S T I O I. An & quam virtutes inter se connexionem servent Ex Angelicâ Scholâ D. Thomæ 1. 2. q. 68. art. 5. &

in 3. dist. 36. q. 1. art. 2. Gregor. Martinez in 1. 2. q. 65. art. 1. Nicolai in 3. dist. 36. q. 1. art. 2. Philipp. à SS. Trinit. tom. 2. tract. 2. disp. 3. dub. 5. Salmant. tom. 4. q. 71. disp. 1. dub. 1. Arauxo 1. 2. q. 71. dub. 2. Camerarius tom. 2. q. 118. & seqq.

52. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 26. q. 1. Brancasius tom. 2. lib. 3. disp. 7. q. 6. Rada 3. p. contr. 15. art. 3. & 4. Herincx p. 3. disp. 1. q. 6. Cavellus in Schol. in 3. dist. 36. q. vnic. Aquila in 3. dist. 36. q. 1. Gallus in 3. dist. 36. q. 1. cap. 1. & seqq. Poncius tract. 6. disp. 22. q. 3. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. virtus, cap. 4. num. 1. & seqq.

53. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 4. disp. 3. sect. 8. & tom. 5. de fide, disp. 7. sect. 4. Arriaga de habitib. disp. 36. sect. 2. subsect. 1. Vazquez 1. 2. disp. 88. cap. 2. & 3. Tanner. q. 6. dub. 1. Rhodès tract. 6. disp. 5. q. 1. sect. 4. §. 1. Carleton tom. 1. disp. 97. sect. 7. Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 6. q. 11. Azor lib. 3. cap. 29.

54. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 36. art. 1. q. 3. Alensis 4. p. q. 65. memb. 3. art. 3. & q. 98. memb. 3. art. 3. Gabriel in 3. dist. 36. q. 1. Ochamus in 3. q. 12. art. 3. Estius in 3. dist. 36. §. 1. Aureolus in 3. dist. 36. q. 1. art. 1. & seqq. Bonæspei tom. 4. tract. 2. disp. 6. dub. 1. & seqq. Baudun. de peccat. q. 15. art. 1. & seqq.

55. Quæstio 2. An vitia, & virtutes inter se connectantur? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. dist. 36. q. 1. art. 5. Curiel 1. 2. q. 73. art. 1. Gregor. Martinez in 1. 2. q. 71. art. 1. Nicolai in 3. dist. 36. q. 1. art. 5. Godoy tract. 3. de peccat. disp. 15. §. 1. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 7. art. 1. & seqq. Alvarez de auxil. disp. 122. Philipp. à SS. Trinit. tom. 2. tract. 2. disp. 4. dub. 1. & seqq.

56. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 14. q. 1. & in 2. dist. 35. q. vnic. Poncius in Comment. in 2. dist. 35. num. 93. Durand tom. 2. tract. 4. disp. 4. q. 1. & tom. 3. tract. 3. disp. 7. q. 6. Merinero de peccat. disp. 5. q. 1. Aquila in 3. dist. 36. q. 1. Rada 3. p. contr. 15. art. 3. & 4. Cavellus in Schol. in 2. dist. 35. q. vnic. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. virtus, num. 4. & seqq.

57. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 3. sect. 8. & tom. 5. de fide, disp. 7. sect. 4. Arriaga de habitib. disp. 39. sect. 6. & disp. 43. de peccat. sect. 6. Baldellus lib. 2. disp. 1. num. 3. & seqq. Rhodès tract. 6. disp. 5. q. 1. sect. 4. §. 2. Coninch in 3. p. disp. 1. de pœnit. num. 30. & seqq. Carleton tom. 1. disp. 98. sect. 1. & seqq. Gordonus tom. 1. q. 10. cap. 2. Ripalda tom. 2. lib. 6. disp. 131. sect. 2. Oviedus tract. 6. contr. 1. punct. 3.

58. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 36. q. 3. art. 1. Baudun.

de peccat. q. 17. art. 1. Estius in 3. dist. 36. §. 4. Lorca de peccat. 2. 2. disp. 33. num. 4. Aguirre lib. 2. cap. 8. Bonaspei tom. 4. tract. 2. disp. 7. dub. 3. Alenf. 4. p. q. 65. memb. 3. art. 3. Gabriel in 3. dist. 36. q. 1. Aureolus in 2. dist. 35. q. 1. & in 3. dist. 36. q. 1.

59. Quæstio 3. An dona Spiritûs Sancti sint connexa? De quò, hic quæst. 1.

60. Quæstio 4. An in virtutibus politicis sit connexio? De quò, hic quæst. 1.

61. Quæstio 5. An virtutes propriè, & directè contrariantur vitij? De quò, tom. 2. dist. 27. q. 4.

62. Quæstio 6. An cum gratiâ sanctificante cohæreant in Christo Domino omnes virtutes infusæ? De quò, hic dist. 34. q. 2.

63. Quæstio 7. An charitas sit forma virtutum, donorumque Spiritûs Sancti? De quò, hic dist. 34. q. 2.

64. Quæstio 8. An, & quomodò virtutes acquisitæ distinguantur ab infusis? De quò, tom. 2. dist. 27. q. 1. 2. & 3.

65. Quæstio 9. An qui vnam possidet virtutem, omnes alias possideat? De quò, hic q. 1.

66. Quæstio 10. An qui vno laborat vitio, omnibus alijs abundet? De quò, hic q. 2.

67. Quæstio 11. An omnes virtutes sint numero, & intensione pares in hominum animabus? De quò, hic q. 1. & in 2. dist. 35. q. 1. & seqq.

68. Quæstio 12. An omnia peccata sint paria? De quò, tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 2.

69. Quæstio 13. An possit remitti vnum peccatum mortale sine alio ex naturâ rei? De quò, tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1.

70. Quæstio 14. An eadem sit dilectio, quâ diligimus Deum, & proximum? De quò, hic dist. 27. q. 2.



DE DECEM PRÆCEPTIS DECALOGI.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ SEPTIMÆ.

Synopsis.

*Nihil præcepta iubent tabulis conscripta duabus,
Quàm tibi perpetuus ritè colatur amor.*

Sic incipit : *Sed iam distributio decalogi.*

Sic terminat : *Quæ nec citò explicari potest.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de virtutum, earumque actuum indissolubili connexionis vinculo ; sed in præsentî determinat de decem decalogi præceptis, sive de operibus mandatorum, per quæ in virtutum actibus dirigimur : igitur ordinatissimam methodum servant.

2. Consequentia probatur : Per opera mandatorum in decem decalogi præceptis conteata, in cunctis virtutum dirigimur actibus ; ergo si Magister postquàm de virtutum, earumque actuum indissolubili connexionis vinculo in superiori distinctione egit, determinat in præsentî de decem decalogi præceptis, sive de operibus mandatorum, per quæ in omnibus virtutum dirigimur actibus, non inconcinne procedit ; aliter explanatio virtutum ad ipso Magistro traditâ ; reverâ acephala ac confusa foret.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ validè statuit, decem duntaxat esse mandata decalogi. In secundâ verò ostendit, tria primæ tabulæ præcepta hominem ad Dei dilectionem ordinare. In tertiâ autem, & ultimâ sustinet parte, septem alia secundæ tabulæ præcepta ad proximi dilectionem etiam hominem ordinare.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis declaratione, primum Magister apponit assertum : *Bis quinque decalogi præcepta, in duabus tabulis contenta, nobis à Deo per Moysen tradita fuere.* Quod equidem probat Magister, dum nonnulla præmittit de decem decalogi præceptis in communi, & illius etymologiam aperit.

5. Primò ergò dicimus cum Magistro, distributionem decalogi, quæ in duobus mandatis, scilicet, de Dei & proximi dilectione continetur, & peragitur, sic à nobis meditandam fore. Habet enim decalogus decem præcepta, quæ sunt decachordum Psalterium, sive decem chordarum Psalterium, de quo meminit Regius Vates Psal. 32. *In Psalterio decem chordarum psallam tibi*: ergo quia cuncta decalogi mandata sub denario perstringuntur numero.

6. Secundò, vnà cum Magistro observamus, decem illa decalogi præcepta hæc esse ordinatissimâ distribuenda serie, vt tria, quæ in primâ tabulâ extant, pertineant ad Deum, videlicet, ad cognitionem dilectionemque Trinitatis; septem verò, quæ in secundâ tabulâ inscribuntur, ad proximi dilectionem ordinentur: igitur Magistri præceptorum decalogi observato calculo, nec plura, nec pauciora, quàm decem, eius divina mandata debuerunt esse.

7. Sed oppones primò: Peccans lethaliter seipsum occidit; sed in occisione, nõ solum prohibetur homicidium corporale, sed etiam spirituale; non tantùm operis, sed etiam cordis: ergo in occisionis prohibitione omnia prohibentur peccata; atque adeo non opus erit, tot ac tanta in decalogo ingeminare mandata.

8. Respondetur negando Consequentiam. Quia in præcepto decalogi de occisionis prohibitione solum deordinatio potentiz irascibilis prohibetur, quæ in actu interiori, vel ad exteriorem actum aliquomodo ordinari debet. Quamobrem, etsi prohibeatur ibi homicidium cordis, & operis, non tamen omnia prohibentur peccata; sicque pro alijs flagitijs cavendis, animumque hominis compescendum, alia sunt indecalogo præscribenda mandata.

9. Oppones secundò: Dùm ordinatè operamur, prius meditari debemus id, quod est via ad aliud, quàm illud, ad quod ducit; sed præcepta decalogi ad proximi dilectionem ordinata, sunt via ad præcepta, quæ ordinant hominem ad dilectionem Dei: igitur præcepta in secundâ tabulâ scripta à Deo, nobisque per Moysem data, potiori iure in primâ deberent exarari tabulâ: ergo in distributione mandatorum decalogi per primam, & secundam tabulam inordinatissimus deprehenditur ordo.

10. Respondetur negando Consequentiam. Quia etsi impletio mandatorum secundæ tabulæ præcedat in executione perfectam præceptorum primæ tabulæ impletioem, eò quod prius illa, quàm hæc, vt perfectè impleantur, debeant executioni mandari; nihilominus in intentione prius primæ, quàm secundæ tabulæ exequi debe-

mus mandata; cùm præceptorum series potiùs penes ordinem dignitatis, quàm nostræ executionis attendatur; ac proindè præfixus decalogi mandatorum ordo rectè extat ordinatus.

11. Oppones tertio ex illo ad Romanos cap. 13. satis vulgato loco, ubi scribitur: *Qui diligit proximum, legem implevit*: ergo quia in proximi de dilectione præscripto, tota deprehenditur lex; sed ex eo quòd lex tota in proximi de dilectione deprehendatur præcepto, incasum mandata decalogi in denarium vsque ingeminantur numerum: igitur præscripta decalogi sub pauciori numero, quàm denario veniunt constituenda.

12. Respondetur, quòd licèt in præscripto de proximi dilectione, ea omnia quæ ad proximum in communi conferant, contineantur; nihilominus vnum non sufficit decalogi præceptum, cùm plura alia sint necessaria, vt per ea individualiter speciales deordinationes detegantur. Vndè, quemadmodum vnitas generis nec eliminat multitudinem specierum; nec finis vnitas excludit multipliciter mediorum, quæ sunt ad finem; ita nec vnitas mandati de proximi dilectione propter Deum poterit multitudinem mandatorum ad proximum iure optimo arce.

13. Oppones quarto: Plus sunt homines debitores Deo, quàm proximo: ergo quia plura debent esse mandata, quæ ordinant hominem ad Deum, quàm quæ ipsam referunt ad proximum; sed præcepta decalogi, quæ ordinant hominem ad proximum, sunt septem: ergo & quæ ipsum referunt ad Deum debent esse plusquàm septem. Modò sic; sed præcepta decalogi spectantia ad Deum sunt tria: ergo quia non bene, & ordinatè nobis à Deo per Moysen tradita extant.

14. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando primam, & vltimam Consequentiam. Nam ordo præscriptus mandatorum decalogi haud dubiè rectus ac concinnus vndique apparet. Et licèt plus Deo, quàm proximo homines sint debitores, non indè deducitur, plura debere esse mandata, quæ ordinant hominem ad Deum, quàm quæ ipsum referunt ad proximum. Primò; quia omnia quæ debentur Deo, ordinantur ipsi secundum vitam contemplativam, in quâ vnitas maximè elucet; ad proximum verò, secundum vitam referuntur activam, in quâ rerum ingeminata versatur varietas; sicque ad plura erga proximum directè, quàm ad Deum tenemur præcepta. Secundò; quia pleraque sunt flagitia, quibus directè homo succumbit culpæ penes proximum, ac quibus directè Deum lacessere tentat. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

15. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis enucleatione, secundum parat assertum Magister : *Quomodo tria prima tabula precepta ordinant hominem ad Deum ; sic septem secunda tabula mandata ipsum ordinant ad proximum propter Deum.* Quod etiam probat Magister ex nudâ primæ tabulæ mandatorum descriptione.

16. Primum primæ tabulæ decalogi præceptum sic memorat Magister in litterâ : *Non habebis Deos alienos : Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c.* Hoc etenim præceptum in geminum divisit Origenes exponens illud cap. 20. Exodi, & 5. Deuteronomij, maximum, & apertum inter idolum, & similitudinem apponens discrimen.

17. Nam idolum est id, quod nihil habet simile sui; similitudo verò, quod habet speciem alicuius rei, quæ in Cælo, vel in terra est. In cuius explanationem hocce præfigit exemplar Origenes: Si quis in auro, vel argento, vel aliâ re effingat speciem serpentis, vel avis, vel alterius rei, ipsamque statuatur ad adorandum, reverà non idolum, sed similitudinem construit.

18. Qui verò effingat speciem, quam non novit oculus, sed animus sibi efformavit, ut si quis humanis membris caput canis, vel arietis construat, vel in vno habitu hominis duas facies, non similitudinem, sed idolum extruit; quia excudit quod non habet aliquid simile sui: Vnde Apostolus 1. Corinth. cap. 8. scripsit : *Quod idolum nihil est in mundo:* igitur idolum, & similitudo maximè inter se discrepare videntur; consequenterque primum decalogi præceptum verè diductum ab Origene extat.

19. Augustinus verò lib. Quæst. super Exod. q. 71. è regione sentit, asseritque, vnam, & non geminum esse præceptum, quod his exprimitur verbis: *Non habebis Deos alienos : Illud verò quod additur : Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem,* potiùs est plenior ipsius præcepti explicatio de prohibitione cultûs figmenti, sive idoli, aut similitudinis alicuius rei, quàm novum distinctumque mandatum.

20. Verùm cum Augustini sententia plausibilior sit Origenis opinione, auctoritatem Apostoli, quam hic pro se allegat, nempe, *Idolum nihil est in mundo,* ipse Augustinus exponit, dicens, Apostolum velle dicere, formam idoli non esse inter creaturas mundi computandam; quia licet materiam idoli creaverit Deus; formam tamen eius hominum stultitia edidit; ideòque idolum nihil est, quia eius forma per Verbum Dei facta non est.

21. Quod sic exemplificat Augustinus in litterâ : Eò quòd peccatum non sit factum per Verbum, iuxta illud Ioannis cap. 1. *Et sine ipso factum est nihil, &c.* peccatum est nihil, & nihil faciunt homines dum peccant : ergo & idolum nihil erit in mundo ; quia etsi Deus eius creaverit materiam ; stultitia tamen hominum eius effinxit formam, & per Verbum Dei formata non est.

22. Sed oppones in Augustinum cum Magistro in litterâ : Divus Augustinus tract. 1. in Ioan. scribit : *Omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium facta est per Verbum;* sed forma idoli, secundum Augustinum, nihil est, quia per Verbum facta non est : igitur Augustinus obvius sibi est.

23. Respondet primò Magister, secundum singularem quorundam opinandi modum, nullam in Augustini doctrinâ contradictionem deprehendis ; quia etsi forma idoli, in quantum est forma, sit à Deo ; tamen in quantum posita est forma idoli ad adorandum, non est à Deo ; cum sic potius sit perversitas, & stultitia creaturæ, quam creatura ; quemadmodum peccatum, in quantum peccatum, non est à Deo, nec creatura, sed nihil, sive creaturæ defectus.

24. Cui appositè subiungit in textu Maximi Doctorum Hieronymi auctoritatem Magister, Epist. 57. ad Damasum scribentis : *Quod ex Deo non est, qui solus verè est, non esse dicitur. Ideoque peccatum, quod nos à vero esse abducit, nihil esse, vel non esse dicitur :* ergo sicut peccatum, in quantum peccatum, nihil esse dicitur, quia ex Deo non est, qui solus verè est ; ita forma idoli, in quantum posita est ad adorandum, nihil esse dicitur, quia ex Deo non est, qui solus verè est.

25. Respondet secundò Magister in gratiam Divi Augustini, iuxta aliorum captum, distinguendo Maiorem discursus propositionem : Omnis forma, secundum Augustinum, est à Deo ; forma, quæ naturaliter habet esse, est verum ; forma, quæ naturaliter non habet esse, est falsum. Forma enim idoli non habet esse naturaliter, quia naturæ iustitiæ non servit. Id ergò naturaliter esse dicitur, quod simplici naturæ iustitiæ, quæ Deus est, militat, non resultat, & naturam creatam non vitiat : Cùmque forma idoli veræ iustitiæ, quæ Deus est, non assimiletur, & naturam creatam vitiet ; non poterit naturaliter habere esse, nec a Deo esse, sed erit nihil, & naturæ defectus.

26. Secundum primæ tabulæ decalogi præceptum sic recenset Magister : *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Quod sonare videtur secundum litteram ; Non iurabis pro nihilo per nomen Dei. Vel iuxta*

allegoricum sensum prohibetur hic Christus esse creatura, ita ut sit genuinus præcepti sensus: *Non assumes, id est, non putes Christum Dei Filium esse creaturam*; quia omnis creatura est vanitati subiecta, & Christus Dominus est æqualis Patri secundum divinitatem.

27. Sed oppones primò in hanc litteralem secundi decalogi præcepti à Magistro adhibitam expositionem: Sic expendit Magister hocce secundum primæ tabulæ mandatum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum, sic, inquam: Non iurabis pro nihilo per nomen Dei*; sed hoc reverà ad quintum præceptum secundæ tabulæ expectat, ubi prohibetur periurium: ergo aut vnum ex his mandatis iam abiit in vanum, aut Magistri expositio aberrat à ianuâ.

28. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Quia in falso testimonio duo sunt necessariò observanda. Vnum, quod est iniuriosum summæ veritati, quæ in falsum testimonium adducitur; & aliud, quo fit iniuriæ proximo, qui ex falso testimonio damnificatur. Vnde, ratione primi prohibetur periurium in secundo primæ tabulæ præcepto; & virtute secundi in quinto secundæ tabulæ præscripto. Quamobrem, nec vllum ex his decalogi mandatis erit deciduum, nec Magistri interpretamentum de secundo primæ tabulæ mandato expungendum.

29. Oppones secundò in eiusdem præcepti allegoricam expositionem à Magistro traditam: In hoc secundo primæ tabulæ mandato allegoricè præcipitur, ut non putes Christum Dei Filium esse creaturam; sed circa Filium Dei multimodè contingere valet, quempiam errare posse, quemadmodum Arius, Sabellius, alijque errarunt hæretici: ergo cum non omnes effraenes vesanæque hic prohibeantur hæreses, quæ in Filium Dei vafre, & impudenter machinari possunt, allegorica huius præcepti expositio à Magistro data, insufficientis censi debet.

30. Respondetur negando Consequentiam. Quia cum præfatæ Magistri de secundo primæ tabulæ præcepto expositio sit per allegoriam tradita, ut ipse in textis litterâ pleno fatetur ore, in prohibitione illius lubrici errati de assertionem Filij Dei esse creaturam, intelligitur, omnia alia devia implicitaque errata circa ipsum Filium Dei fore prohibita; quin opus sit, Magistri expositionem respuere.

31. Tertium, & vltimum decalogi primæ tabulæ præceptum his proponit Magister verbis: *Memento, ut diem sabbati sanctifices*. Vbi secundum litteralem sensum præcipitur nobis sabbati observantia.

Allegoricè tamen iubetur abſtinentia à vitijs fienda pro futurâ quieſte, vt Dei contemplationem à Spiritu Sancto expectemus. Et ſubdit à Spiritu Sancto expectemus; non quia Spiritus Sanctus eam operetur ſine Patre & Filio; ſed quia peccatorum remiſſio ſpecialiter Spiritui Sancto adſcribitur, cum ipſe ſit ſpiritus adoptionis filiorum, & Patris, & Filij amor, connexio, & communitas.

32. Ex his deducit Magiſter in litterâ pro huius ſecundæ diſtinctionis partis coronide, hæc tria primæ tabulæ præcepta ordinatiſimè tribus diuinis aptari perſonis, hoc tamen debito ac cordato ordine. Primum Patri; quia cum ſit de vno Deo colendo, pertinet ad Patrem, in quo elucet vnitas, & authoritas. Secundum Filio, in quo eſt cœqualitas. Tertium Spiritui Sancto, in quo eſt vtriuſque amor, & communitas. Et hæc de ſecundâ diſtinctionis parte ſufficiant.

33. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ diſtinctionis partis enodatione, tertiam ſtatuit Magiſter aſſertum: *Septem præcepta ad proximi dilectionem ordinata, à Deo ſcripta, & nobis per Moysen tradita, profectò in ſecundâ decalogi continentur tabulâ.* Quod ſimiliter, ac nuper appoſitum, probat Magiſter ex eorum quippè duplici enumeratione, quanvis hic de quinque ſolum agere videatur, prætermittendo aliorum diſcuſſionem ad vltimam vſque huius libri diſtinctionem.

34. Primum ſecundæ tabulæ præceptum ad proximi dilectionem expectans, ſic in litterâ refert Magiſter: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longævus ſuper terram, ſcilicet, viventium.* Vbi præcipitur, quòd parentes ita ſunt honorandi, vt eis debita reverentia exhibeatur, & neceſſaria miniſtrentur: ergo quemadmodum primum primæ tabulæ præceptum ad Patrem Cœleſtem refertur; ſic & primum ſecundæ tabulæ mandatum ad carnalem, ſivè terrenum referatur patrem.

35. Secundum ſic inſcribitur à Magiſtro: *Non occides.* Et quanvis ſecundùm litteram, ſivè Moſaycam legem, actus exterior homicidij prohibeatur; ſecundùm ſpiritum verò, ſivè legem evangelicam, etiam actus interior, ſivè voluntas occidendi prohibetur. Vnde, profundè hic diſcuſſabat Magiſter, dum in textûs litterâ dixit, quòd huic mandato ſecundùm litteram ſit ſuperadditio in Evangelio; non quia novum aliquid præcipiatur, ſed quia intellectus prædicti mandati explicatur, dum non tantùm datur intelligi prohiberi perpetracionem homicidij in opere, ſed etiam offenſam in corde, offenſionem in ſigno, & expreſſionem in verbo, vt ad litteram colligitur ex Matthæi capite quinto.

36. Tertium ita proponitur à Magistro secunda tabula mandatum: *Non mœchaberis*, idest, ne cuilibet misceraris, excepto cœdere matrimonij. Nomine ergò mœchiæ, secundum Augustinum in lib. *Quæst. sup. Exod. q. 71.* omnis concubitus illicitus, illorum quoque membrorum non legitimus vsus prohibitus debet censerī.

37. Quartum præceptum sic apud Magistri litteram habetur: *Non furtum facies*. Vbi sacrilegium, & rapina omnis prohibetur. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed furti nomine, bene intelligi voluit omnem illicitam vsurpationem rei alienæ. Sacrilegium tribus modis committitur, quando scilicet, sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro auferitur. Sacrum verò dicitur, quicquid est divino cultui mancipatum, vt Ecclesia, vel res Ecclesiæ.

38. Hic etiam, secundum Magistrum, vsura prohibetur, quæ sub rapinâ continetur. De illâ sic Hieronymus, & Augustinus Classici, & Clarissimi Ecclesiæ Doctores alloquuntur. Hieronymus vnâ cum Augustino lib. 6. in Ezechielem, cap. 18. ita de vsurâ sentit: *Vsuras querere, vel fraudare, aut rapere nihil interest. Comoda fratri tuo, & accipe quod dedisti, & nihil superfluum queras; quia superabundantia in vsurâ computatur. Est enim vsura, vt ait Augustinus, cum plus exigit in iniuriâ, vel qualibet re, quam acceperit.* Iterum, & expressius Hieronymus vbi supra, q. 3. *Putant aliqui vsuram vocari superabundantiam, scilicet, quicquid est, si ab eo quod dederit plus est, notentur hæc verba, vt si in hieme decem modios, & in messe quindecim recipiamus.* Hactenus Divus Hieronymus.

39. Rursus inquirat Magister pro præsentis præcepti plenissimo captu: *An Hebræi commiserint furtum, res Ægyptiorum secum asportando?* Et respondet sic ipse sententialiter in litterâ: *Dicimus eos, qui vt parerent Deo iubenti, illud fecerunt, non fecisse furtum, nec omnino peccasse.* Quam resolutionem autoritate, & ratione Divi Augustini haud anfractè probat Magister.

40. Primò, Augustini testimonio in Exod. cap. 11. q. 39. dicente: *Israëlita non furtum fecerunt, sed Deo iubente, ministerium præbuerunt. Hoc enim Deus iussit, qui legem dedit:* ergo si iubente Deo, qui legem dedit Hebræis, hi vasa aurea, & argentea, vestesque pretiosas ab Ægyptijs asportarunt, profertò nec furtum commiserunt, nec omnino peccarunt, sed Dei ministerium impleverunt.

41. Secundò, eiusdem Augustini ibidem suadet Magister ratio: *Minister iudicis sine peccato occidit, quem lex præcipit occidi;* sed

sed si minister hoc spontè faceret, proculdubio homicida esset, etiam si eum occideret, quem sciret à iudice occidendum: ergo & Hebræi sine peccato, furtique notâ, bene potuerunt supellestilia Ægyptiorum asportare secùm, quia non sponte, sed divino iussu fecerunt.

42. Sed oppones ex Magistro: Bonos Hebræos in exuviarum Ægyptiorum opimarum alienatione, etiam peccasse videtur, quia naturalem legem, cui concordat Evangelium, & lex moralis præceptionis, eos transgressisse, diffiteri non valet. Hæc etenim est naturalis lex, quam in hominum cordibus Veritas inscripsit divina: *Quod tibi non vis fieri, alijs non feceris*; ergo Hebræi facientes alijs quod nolebant sibi fieri, hanc legem prævaricari videntur: ergo non solum in exuviarum Ægyptiorum alienatione à lege naturali deviarunt Hebræi; verùm turpi rapinæ rubricâ iure optimo sunt insigniendî.

43. Respondet tamen Magister in litterâ, Hebræos bonos, tam à peccato, læsioneque naturalis legis, quam à furti cœdâ absolvendo notâ. Quia Ægyptiorum supellestilia solum iussu Dei secùm asportasse videntur. Illud de lege naturali inscriptum in cordibus hominum à Veritate divinâ, nempe: *Quod tibi non vis fieri, &c.* subintelligendum est ibi, *iniuste*; ut non alteri, scilicet iniuste, facias quod tibi non vis fieri; alioquin huius naturalis legis foret prævaricator iudex, dum punit reum, nolens id tale sibi fieri. Ita etiam & illud Domini verbum, apud Matth. cap. 7. *Omnia ergò quacunquè vultis, ut facia ut vobis homines; & vos facite illis, &c.* accipiendum est de bonis, quæ nobis invicem exhibere debemus.

44. Quintum tandem mandatum sic in litterâ textûs præfigit Magister: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hoc etenim mandato, crimen mendacij, & periurij prohibetur. Sed dubitat hic Magister: *Vtrum, prohibitum sit omne mendacium?* Respondet tamen his verbis: *Quidam dicunt, illud tantum prohiberi, quod obest, & non prodest ei cui dicitur, tale enim est adversus proximum; ut idèò videatur hoc addidisse Scriptura. Sed de mendacio magna quæstio est, quæ nec citò explicari potest.* Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

45. **Q**VÆSTIO 1. An primum primæ tabulæ decalogi præceptum specialiter pertineat ad Patrem, secundum ad Filium,

lium, & tertium ad Spiritum Sanctum? De quò, *hic* q. 2.

46. Quæstio 2. An cuncta decalogi præcepta, tam primæ, quàm secundæ tabulæ sint à Deo dispensabilia? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. Cayetan. 1. 2. q. 100. art. 8. Prado de legib. cap. 3. q. 2. §. 4. Sotus lib. 2. de iust. q. 3. art. 8. Sylvius 1. 2. q. 100. art. 8. Montefin. disp. 26. de legib. diff. 3. Nicolai in 3. dist. 37. q. 1. art. 6. Reding tom. 2. q. 15. de legib. divin. art. 2. controu. 3. Rayner. de Pisis tom. 2. verb. decalogus, cap. 1. & seqq. Gonetus tom. 3. disp. 3. de leg. art. 3.

47. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 37. q. vnic. Benjumea tract. 4. disp. 2. q. 6. art. 1. Poncius tract. 6. disp. 25. q. 3. Maffrius de legib. disp. 11. Pitygianus in 3. dist. 37. q. vnic. Faber in 3. dist. 37. q. 48. de restit. cap. 5. Nijffe in 3. dist. 37. q. 2. conclus. 2. Rada 3. p. controu. 16. art. 1. Corduba lib. 3. q. 10. propos. 3. Lychetus in 3. dist. 37. q. vnic. Cavellus in Schol. in 3. dist. 37. q. vnic. Herincx p. 2. tract. 3. disp. 1. q. 4. Marchant tom. 2. tract. 1. tit. 2. q. 1. & seqq. & tit. 7. q. 3.

48. Ex Scholâ Eximiâ Suarez lib. 2. de legib. cap. 15. & seqq. Salas tract. 14. disp. 5. sect. 9. Vazq. disp. 179. cap. 2. Arriaga de legib. disp. 8. sect. 2. Giballinus tom. 1. lib. 3. cap. 3. consec. 5. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 6. & lib. 7. disp. 8. Amicus tom. 5. disp. 4. de legib. natural. sect. 3. Palao tom. 1. tract. 3. de dispens. disp. 6. punct. 2. & 3. Præpositus 1. 2. q. 49. dub. 4. Beccan. tract. 3. cap. 3. q. 4. num. 5. Azor tom. 1. lib. 6. cap. 1.

49. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 37. q. 1. & seqq. Caramuel tom. 3. Theolog. Moral. lib. 2. disp. 6. à num. 1160. & seqq. Aversa q. 94. sect. 3. Ochamus in 2. q. 19. Eustach. à S. Paulo p. 2. tract. 4. disp. 3. q. 7. Baudun. de legib. q. 28. art. 2. Rocafull in praxi per totum. Basil. Ponze lib. 8. cap. 2. Bonaspei tom. 4. tract. 3. disp. 4. dub. 2. Gabriel in 3. dist. 37. q. 1. art. 2. Durandus in 3. dist. 37. q. 4. Abulens. in Exot. cap. 20. q. 35. D. Bernardus lib. de præcep. dispens. cap. 7. Verde q. 1. §. 1. num. 33. Estius in 3. dist. 37. §. 1. & seqq.

50. Quæstio 3. An omnia peccata sint mala, quia prohibita; an prohibita, quia mala? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 153. art. 3. & q. 154. art. 11. Curiel 1. 2. q. 21. art. 6. & 7. dub. 2. Palacius 1. 2. q. 21. disp. 3. Conradus 1. 2. q. 21. art. 6. Sotus de iust. lib. 1. q. 3. art. 8. Cayetan. 1. 2. q. 100. art. 8. Medina 1. 2. q. 95. art. 2. Nicolai in 3. dist. 37. q. 1. art. 7.

51. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 37. q. vnic. Maffrius de legib. disp. 11. q. 1. art. 1. & seqq. Rada 3. p. controu. 16. art. 1. & seqq.

Rubion in 3. dist. 37. q. 1. art. 2. Villalobos lib. 6. cap. 9. num. 32. Macedo in 2. collat. 9. diff. 2. Corduba lib. 3. q. 10. Faber de pœnit. dist. 14. q. 1. disp. 1. num. 109. Marchant tom. 2. tract. 2. tit. 2. q. 1. Cavellus in Schol. in 3. dist. 37. q. vnic. Aquila in 3. dist. 37. q. 1.

52. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de actib. human. tract. 3. disp. 7. sect. 1. Amicus tom. 3. disp. 17. sect. 6. Vazq. 1. 2. disp. 97. cap. 4. Carleton tom. 1. disp. 101. sect. 1. & 2. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 17. Azor 3. p. lib. 3. cap. 23. Lessius lib. 4. de inst. cap. 3. dub. 14. Layman lib. 3. sect. 4. num. 15. Reginald. lib. 22. num. 40. Raynaud. de virt. & vitij lib. 6. sect. 2. cap. 8. num. 153. Arriaga 1. 2. disp. 47. num. 21. Baldellus tom. 1. lib. 3. disp. 13.

53. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 37. q. 1. & seqq. Carra-muel tom. 3. Theolog. moral. lib. 2. num. 1019. Ochamus in 2. q. 19. Gabriel in 3. dist. 37. q. vnic. art. 2. Bonæspei tom. 4. disp. 2. tract. 2. dub. 4. Estius in 3. dist. 37. §. 1. & seqq. Verde q. 1. §. 2. num. 9. Ioan. Bofsius tit. 12. §. 1. Abulens. in Matth. cap. 5. q. 184. Sayrus lib. 8. cap. 5. num. 7. Trullench. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. Rocafull lib. 1. tract. 1. cap. 1. & seqq.

54. Quæstio 4. Quòt ex præceptis decalogi sint affirmativa, quòt verò negativa? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas. 1. 2. q. 100. art. 5. & in 3. dist. 37. q. 1. art. 2. Gonetus de legib. disp. 11. art. 3. Nicolai in 3. dist. 37. q. 1. art. 2. & 3. Reding tom. 2. q. 15. de lege divin. art. 3. contror. 2. Curiel 1. 2. q. 21. art. 6. Cayetan. 2. 2. q. 153. art. 3. Medina 1. 2. q. 95. art. 2. Conradus p. 2. q. 21. art. 6.

55. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 37. q. vnic. Maftrius de legib. disp. 11. q. 1. art. 1. & seqq. Rada 3. p. contror. 16. art. 1. & seqq. Marchant tom. 2. tract. 2. tit. 2. q. 1. Aquila in 3. dist. 37. q. 1. Macedo in 2. collat. 9. diff. 2. Villalobos lib. 6. cap. 9. num. 32. Cavellus in Schol. in 3. dist. 37. q. vnic. Gallus in 3. dist. 37. cap. 1. & seqq.

56. Ex Scholâ Eximiâ Suarez de legib. disp. 7. cap. 1. & seqq. Amicus de legib. tom. 3. disp. 17. sect. 1. & seqq. Arriaga de legib. disp. 9. sect. 5. Carleton tom. 1. disp. 101. sect. 1. & seqq. Baldellus tom. 1. lib. 3. disp. 13. Azor p. 3. lib. 3. cap. 23. Vazq. 1. 2. disp. 97. cap. 4. Reginald. lib. 22. num. 40. Lessius lib. 4. de inst. cap. 3. dub. 14.

57. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 37. art. 2. q. 1. Alens. 3. p. q. 29. memb. 2. art. 2. Baudun. de legib. q. 40. art. vnic. dub. 1. Carra-muel tom. 3. Theolog. moral. lib. 2. num. 1163. Estius in 3. dist. 37. §. 2. & 5. Malleus tom. 2. pag. 8. & seqq. Rocafull lib. 1. tract. 1. cap. 1. & seqq. Trullench lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. Ochamus in 2. q. 19. Bonæspei tom. 4. disp. 2. tract. 2. dub. 4.

58. Quæstio 5. An homo iustus, eò quòd iustus, non teneatur ad observantiam Dei, & Ecclesiæ mandatorum? De quò, *tom. 2. dist. 24. q. 3.*

59. Quæstio 6. An præcepta decalogi sint benè ordinata? De quò, *hic q. 1. 2. & 3.*

60. Quæstio 7. An præcepta decalogi debeant esse plura, vel pauciora, quàm decem? De quò, *hic q. 3.*

61. Quæstio 8. An decalogi præcepta obligent semper, & ad semper? De quò, *hic q. 3.*

62. Quæstio 9. Quid prohibeatur primo, aut secundo decalogi primæ tabulæ præcepto? De quò, *hic q. 1. 2. & 3.*

63. Quæstio 10. Quid in alijs secundæ tabulæ prohibeatur præceptis? De quò, *hic q. 1. 2. & 3.*

64. Quæstio 11. An tria primæ tabulæ præcepta ad Dei, & septem secundæ tabulæ ad proximi dilectionem pertineant? De quò, *hic quæst. 3.*

65. Quæstio 12. An peccans lethaliter fruatur seipso tanquàm ultimo fine? De quò, *tom. 1. dist. 1. q. 8.*

66. Quæstio 13. An Deus possit esse causa peccati? De quò, *tom. 1. dist. 29. q. 4.*

67. Quæstio 14. An Deus voluntate positivâ, & efficaci prædestinat materiale peccati? De quò, *tom. 1. dist. 46. q. 4.*

68. Quæstio 15. In quo consistat formalis malitia peccati? De quò, *tom. 2. dist. 34. q. 1.*

69. Quæstio 16. An peccatum pro formali dicat quid positivum, aut negativum? De quò, *hic dist. 34. q. 1.*

70. Quæstio 17. An forma idoli sit immediatè à Deo? De quò, *tom. 1. dist. 37. q. 5.*



DE DIFFINITIONE MENDACII, EIVSQUE
multiplicitate.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-OCTAVÆ
Synopsis.

*Impia se pandunt octo mendacia rami,
Crimine, quæ semper corda ferire solent.*

Sic incipit : *Sciendum tamen.*

Sic terminat : *A mendacio excusatur Iacob.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister octo de præceptis decalogi, tam in primâ, quam in secundâ tabulâ inscriptis; sed in præsentî determinat de peccatis, quæ in octavo prohibentur præcepto : igitur à recto connexionis tramite hæc haud deviant distinctiones.

2. **C**onsequentiâ probatur: Tunc leges iustè conduntur, ritequè divulgantur, dum eas ad populum legislatores ferunt, & quæ ipsarum vigore prohibentur, ibi inferuntur, & annotantur; sed Magister in superiori distinctione egit de legibus divinis, sive octo de præceptis decalogi, quæ Moyses, uti leges, & ut Minister Dei, ad populum tulit: ergo si in præsentî inscribit, & annotat Magister peccata, quæ in octavo decalogi prohibentur præcepto, rectè ac ordinatè procedit.

3. Dividitur præsentis distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ adnotat Magister varia ac diversa mendaciorum genera. In secundâ verò essentiam mendacij aperit. In tertiâ autem, & ultimâ statuit, omne mendacium esse peccatum.

4. **P**RO PRIMÆ igitur distinctionis partis investigatione, prima proponitur thesis: *Octo exant mendaciorum genera, quæ tantò sunt graviora, quantò magis, vel minus accedunt ad primum mendacij genus.* Quam solùm probat Magister, & mendaciorum omnia recensendo genera, & quandam pro ipsorum captu, etsi compressam, explanationem adhibendo.

5. Primò enim dividit mendacium Magister in tria præcipua genera, ad quæ octo alia mendaciorum minùs principalia revocantur genera. Quorum primum dicitur *officiosum*, scilicet, quod pro salute, vel commodo fit alicuius, non malitiâ, sed pietate dictum. qualiter obstetrices Pharaoni sunt mentitæ, & Rahab Ierichontina Exploratoribus Israel.

6. Secundum mendacij genus dicitur *iocosum*, fitque causâ solatij, & ioco, quod reverà non fallit, sed scitur causâ ioci fuisse dictum. Tertium genus mendacij appellatur *perniciosum*, quod ex malignitate, & duplicitate, sivè animo nocendi procedit. Hoc enim mendacij genus cunctis alijs valdè est cavendum.

7. Hæc tamen duo priora mendacij genera, quanvis levia sint, non idcirco sine culpâ veniali fiunt. Quòd autem Dominus obstetricibus, & ipsi Rahab benefecisse legatur, hoc non operabatur propter mendacium, sed ob misericordiam populo Dei exhibitam. Neque verò idcirco hoc de alijs peccatis in consequentiam trahendum est, ita, vt per misericordiam, & pietatem velit quis ab illis excusari; quemadmodum nullus debet furari diviti, vt det eleemosynam pauperi.

8. Id totum egregiè suâ perstringit Augustinus doctrinâ lib. contra mendacium, cap. 15. & in Enchir. cap. 22. his expressis verbis: *Forſitan ſicut obſtetrices non remuneratæ ſunt, quia mentitæ ſunt, ſed quia infantes liberaverunt, & propter hanc miſericordiam veniale fuit peccatum, non tamen nullum; ſic Rahab liberata eſt propter liberationem Exploratorum, pro quâ fuit veniale peccatum. Sed ne putet quiſque in cæteris peccatis, ſi propter liberationem hominum fiant, ita poſſe concedi veniam. Multa enim mala deteſtanda talem ſequuntur errorem: ergo.*

9. Hic animadvertit Magister, perfectis viris non esse licitum mentiri, adhuc pro alicuius tuendâ temporali vitâ, nè pro corpore alterius animam suam venialiter occidant. Licet autem eis verum tacere, & æquivocis diſſimulare verbis, sed non falſum dicere; vt ſi quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat; quando non adest obligatio referendi verum; & occultatio alicui prodeſſe poteſt; ſed non falſum dicat.

10. Sed oppones: Nullum rectæ divisionis membrum traditur per id quod accidit ipſi; ſed dùm mendacium officioſum dicitur eſſe illud, quod pro ſalute, aut commodo alicuius fit, hoc reverà accidit ipſi; cùm mendacium non bonum, ſed imò malum ab omnibus arbitretur; igitur hæc prima mendacij ſpecies tradita à Magiſtro

cum Augustino à recto diuisionis tramite declinare videtur.

11. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Consequen-
tiam. Quia est mendacio officioso de sui generis ratione accidat
posse prodesse alicui, cum sit malum; nihilominus cum in morali-
bus intentio apponat nomen operibus, ex ipsâ intentione valet con-
ditio illa fieri essentialis mendacio, ita, vt veram ac rigorosam
mendacij construat speciem.

12. Pollea Magister cum Divo Augustino lib. de mendac. ad
Consentium, cap. 14. & seqq. octo mendaciorum discernit gradus,
vt innotescat omnibus, quod mendacium sit veniale, & quod mor-
tale, quanvis hi posteriores apponendi mendaciorum gradus ad tres
priores sine omnino revocandi.

13. Primum, & omnium capitale mendacium, longè que fu-
giendum est, quod fit in doctrinâ fidei, aut religionis, ad quod nulla
causa quisquam debet adduci. Secundum est, quod nulli prodest,
sed alicui obest. Tertium est, quod alicui prodest, & alicui obest.
Quartum, quod solâ mētendi fallendique libidine, & delectatione fit.

14. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suauiloquio. Sex-
tum, quod nulli obest, sed alicui prodest, quantum ad præservatio-
nem à rebus iniuste tollendis. Septimum, quod nulli obest, sed ali-
cui prodest, quantum ad præsertionem à mortē corporali. Octa-
vum, & vltimum est, quod nulli obest, sed alicui prodest, quantum
ad præsertionem ab immunditiâ corporali.

15. Pro cuius faciliiori captu, etsi in alieno choro pedem po-
nere aliquibus videatur, adducimus hic ad litteram Seraphici Do-
ctoris explanationem mendaciorum diuisionis, quâ profunda Ma-
gistri mens apprimè illustratur. En tanti Magistri expressa eloquia:
*Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod cum mendacium habeat
pro formali, & complemento intentionem fallendi, secundum intentionem
ipsius mentientis habet in species diversificari.*

16. *Mentiens autem, aut intendit prodesse, aut delectare, aut ledere.
Secundum quod intendit prodesse, est mendacium officiosum; secundum quod
intendit delectare, est mendacium iocosum; & secundum quod intendit lade-
re, est mendacium perniciosum. Ledere autem potest aliquis dupliciter, vel
damno temporali, & damno spiritali. Et si ledit damno temporali, hoc po-
test esse dupliciter. Aut simpliciter ledit; aut ita ledit vnum, quod alicui
prodest; & secundum hoc sunt tres differentie mendacij perniciosi.*

17. *Quarum vna consistit in eo genere mendacij, quo quis mentitur in
doctrinâ religionis; & hoc quidem facit ad nocumentum boni spiritalis.*

scilicet

scilicet fidei. *Alia differentia consistit in hoc, ut mendacium simpliciter obest. Tertia verò differentia in hoc, quòd mendacium non simpliciter obest, sed alicui prodest, alicui obest. Si verò quis mentitur, ut deleat, sic est mendacium iocosum. Et hoc potest esse dupliciter. Aut ut deleat alterum; & sic est mendacium simpliciter iocosum: Aut ut deleat semetipsum in mentiendis; & sic est mendacium libidinosum. Si verò quis mentitur, ut profit alteri; aut mentitur ut profit in rebus; & sic est una differentia mendacij officiosi: Aut ut profit in salute, & vita corporis; & sic est alia: Aut ut profit in sanctitate, & castitate mentis; & sic est tertia. Hactenus Bonaventura.*

18. Ex his deducit primò Magister, quòd in omnibus prædictis mendaciorum generibus attentè veniunt contemplandi gradus, quantum ad gravitatem, secundum quòd magis, vel minus ad primum mendacij genus accedunt. Secundò subinfert, tria priora horum octo mendaciorum genera ad perniciosum, duo verò media ad iocosum; & tria tandem posteriora ad officiosum iure optimo revocari mendacium.

19. Sed dices: *Quavis quis non solum proferat Christum Dominum non fecisse flagellum de funiculis, omnesque vendentes è templo eiecisse, summam suam profundè meditatam patientiam; verum & simul crimine falso suum tentet taxare proximum, ex quo in mortis damnationem deveniat; revera gravius in hoc, quam in illo delinquere videtur; sed primum pertinet erratum ad primum mendacij genus, & secundum ad secundum ordinatur: igitur primum mendacij genus non erit omnium gravissimum, cum secundum primum excedat.*

20. Respondetur negando Consequentiam. Nam appositum mendacium, aliaque huiusmodi, non est summum in doctrinam fidei, & religionis; sed dum quis ex certam scientiam, animo, aut malitiam improbat veritatem, ut fidem catholicam bonosque mores evertat. Vade, cum in adducto mendacio id contingere non videatur, etsi ad primum mendacij ordinetur genus, non inde alia mendacia alterius speciei gravitate excedit. Et hæc de primam distinctionis parte sufficient.

21. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis discussione, secunda statuitur thesis, *Illud proprie dicitur mendacium, dum quis intentione fallendi dicit falsum.* Cuius probatio duntaxat desumitur quadam ex Augustini autoritate, differentiæque notabili adinventam in littera textus inter mentiri, & mendacium dicere.

22. Primò probat intentum Magister, comite Augustino lib. contra mendac. ad Consentium, cap. 12. dicenteque: *Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi.* Ergo vt mendacium subsistat, necesse est, vt falsum proferatur, & cum intentione fallendi, ita, vt vnum dicatur ore, & aliud sentiatur corde. Hoc enim malum est proprium mentientis, aliud habere clausum in corde, & aliud promptum in lingua.

23. Secundo probat Magister assumptum ex notabili exploratoque discrimine, inter mentiri, & mendacium dicere, etiam ab Augustino excogitato. Mentiri enim est loqui contra id, quod quis animo sentit, siuè illud sit verum, siuè falsum; sed mendacium dicere, est falsa significatio vocis cum intentione fallendi, ita vt vnum dicatur ore, & aliud sentiatur corde: ergo ex hoc aperto discrimine inter mentiri, & mendacium dicere, non incongruè deducitur, illud propriè esse mendacium, dum quis intentione fallendi dicit falsum.

24. Tertio, in vberiolem asserti probationem subinfert Magister, quòd omnis, qui mendacium loquitur, mentitur; sed non omnis, qui mentitur, mendacium loquitur; quia quandoque verum est, quod loquitur ille, qui mentitur, & ita non dicit mendacium, quia non loquitur falsum: Similiter, etiam dum aliquis falsum loquitur, potest esse verax; sed mentitur, quia loquitur contra quod animo sentit, idest, voluntate fallendi: ergo si omnis, qui mendacium loquitur, mentitur; & non omnis, qui mentitur, mendacium loquitur, bene colligitur, illud propriè esse mendacium, dum quis intentione fallendi loquitur falsum.

25. Hanc suam præmunit doctrinam Magister autoritate Diui Augustini in Enchir. cap. 18. sic venulè ad rem alloquentis: *Nemo sane mentiens iudicandus est, qui dicit falsum quod putat verum; quia quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non ergò mendacij arguendus est, qui falsa incautus credit, ac pro veris habet. Poriusque è contrario ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet, non verum dicit; quia non quod sentit dicit, quantum verum intenditur esse quod dicit. Nec ille liber est a mendacio, qui ore nesciens loquitur verum, sciens autem voluntate mentitur: ergo cum ex his Augustini verbis clarè omnibus innotescat, quòd omnis, qui mendacium loquitur, mentitur; & non omnis, qui mentitur, mendacium loquitur, facile quidditas mendacij deprehenditur.*

26. His reverà excitatur hic Magister ad indagandum in litterâ textus; *Si Iudeus dicat Christum esse Deum, cum non ita sentiat animo,*

verum

interdum loquatur mendacium? Et respondet, Iudæum tunc non loqui mendacium, etsi mentiri videatur; quia quanvis corde non credat verum esse quod loquitur; tamen, quia verum est quod loquitur, non dicit mendacium, eò quòd mendacium sit dùm profertur falsum intentione fallendi: At tunc mentitur Iudæus, quia loquitur contra mentem, quippè, contra id quod credit.

27. Sed oppones in descriptionem mēdacij traditam ab Augustino: Sic mendacium descripsit Augustinus: Falsa significatio vocis cum intentione fallendi; sed qui mentitur mendacio officioso, non intendit fallere, sed prodesse; & qui iocoso mentitur mendacio, similiter non intendit fallere, nisi se delectare: ergo quia hæc Augustini de mendacio descriptio non convenit omni mendacio; atque adeò ut insufficientis erit ab omnibus reiicienda.

28. Respondetur ex Magistri doctrinâ negando Minorem, & Consequentiam. Quia etsi præfata mendacij descriptio principalius conveniat mendacio pernicioso; nihilominus officioso, & iocoso aliquomòdò congruit mendacio. Nam ly verbum *fallendi* in definitione mendacij appositum ab Augustino, non solum importat decipere, sed etiam falsum dicere, quod reverà omni mendacio convenit. Falsum enim loqui exterius, quodammodò fallere est, dùm quis id loquitur, quod potest alium ad falsitatem deducere, & deducendo ad falsitatem, ipsum fallere, & decipere; sicque descriptio Augustinai de mendacio, uti congruentissima, ab omnibus excipitur, & commendatur. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

29. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis examine, tertiâ præfigitur thesis: *Univèrsaliter loquendo, omne mendacium est peccatum, vnum tamen altero gravius.* Quam etiam probat Magister ostendendo mendacij gravitatem ex graduum gravitate in peccando, & alia his in ipsius explanationem adiiciendo.

30. Quòd ergò omne mendacium univèrsaliter loquendo sit peccatum, probat primò Magister ex Augustino in Enchir. cap. 18. dicente: *Mihi videtur omne mendacium esse peccatum. Sed multum interest quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur;* sed ex eo quòd multum sit attendendum quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur, non solum cum Augustino probatur omne mendacium esse peccatum; verùm & vnum altero gravius: ergo.

31. Secundò, eodem ex Augustino ibidem sic alloquente, probat intentum Magister: *Non enim sic peccat qui consulendi, ut qui nocendi voluntate mentitur; nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in di-*

verso itinere mittit, quantum qui viam vita mentiendo depravat; sed his verbis clarè ostendit Augustinus, & omne mendacium esse peccatum, & vnum altero gravius, ipsiusque gravitatem ex graduum gravitate in peccando arrogari: ergo.

32. Tertio: Quia mendacium suam sibi asciscit rationem peccati ex hoc, quòd homo illud loqui teneatur, quòd animo gerit; sed non omnia, quæ in animo gerit homo, sunt in gravitate æqualia, sed alia magis, alia minus gravitate pollent, vt ex se claret: ergo quanvis omne mendacium sit peccatum, tamen vnum alio gravius censetur, iuxta gravitatem rei, quam homo in animo gerit, & eam loqui tenetur.

33. Quarto, ampliùs suadet assumptum Magister: Verba non ideo sunt instituta, vt per ea homines invicem fallant; sed vt per ea in alterius notitiam suas cogitationes ferant; sed verbis vt ad fallaciam, sivè contra eorum institutionem, est peccatum: ergo cùm in omni mendacio verbis vtamur ad fallaciam, sivè contra eorum institutionem, omne mendacium erit peccatum, & vnum altero gravius, iuxta gravitatem materiæ in quâ peccamus.

34. Quintò tandem suadet Magister: Etsi possimus alicui ali-quandò prodesse mendacio, non inde est putandum, vllum mendacium non esse peccatum: ergo quia omne mendacium est peccatum. Antecedens probat Magister: Possimus enim furando, & adulterando alicui prodesse; & tamen furari, & mœchari peccatum est: ergo licèt mendacio possimus alicui quandòque prodesse, non inde est putandum, vllum mendacium non esse peccatum: ergo quia omne mendacium est peccatum; atque adeò iuxta gravitatem materiæ in peccando, & vnum esse altero gravius, meritò diffiteri non valet.

35. Subdit insuper consentaneè his primò Magister in litterâ, quòd estò omne mendacium sit peccatum, non tamen omne est mortale, sed illud solummodò quod fit ex malignitate, & perniciosum appellatur. De hoc etenim solo mendacio exponi videntur loca illa sacrae pagine Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Sapientia cap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Ergo quanvis omne mendacium sit peccatum, non tamen omne vt lethale erit habendum; sed solummodò illud quod ex malignitate procedit, & perniciosum ab omnibus iure optimo vocitatur.

36. Secundo, non incongruè de sequelâ peccati, quæ est error, determinat hic Magister. Sustinet ergò, quòd errare in fide, sivè in his, quæ ad nostram salutem conferunt, magnum, & enorme esse

pec:

peccatum, & timendum periculum: At errare tantum in rebus, quæ ad curiositatem pertinent, non esse peccatum, vel potius minimum atque levissimum esse, propugnat Magister.

37. Tertio subiungit Magister, quod licet error maximam curam sit cavendus non solum in maioribus, verum & in minoribus rebus; non tamen consequitur, ut assidue erret quisquis aliquid nescit, sed qui se existimat scire quod nescit; cum sic falsum pro vero approbare videatur, quod erroris est proprium. Et quanvis illud univ ersaliter requiratur ad omnem errorem, tamen multum refert in quibus erratur; nam in aliquibus errare, est periculosum; in alijs verò est melius errare, quam non errare, quia nonnullis errare quoadque profuit, sed in via pedum, non in via morum.

38. Postremo pro distinctionis calce sic ambigit Magister in littera: *An Iacob mentitus fuerit patri suo, dicens se esse Esau?* Cui breviter cum Augustino respondet Magister in textu, quod non fuit mendacium, sed mysterium illud dictum Iacob. Hæc sunt expressa Augustini verba in Genes. cap. 27. *Quod Iacob matre fecit auctore, ut falleret patrem, si diligenter attendatur, videtur non esse mendacium, sed mysterium. Intendebat enim matri obedire, quæ per Spiritum noverat mysterium. Et ideo propter familiare consilium Spiritus Sancti, quod mater acceperat, à mendacio excusatur Iacob.* Hactenus Augustinus.

39. Sed oppones primo in Augustinum; Iacob in his quæ protulit, falsum dixit cum intentione fallendi patrem suum Isaac; sed illud proprie est mendacium, dum quis intentione fallendi dicit falsum: ergo videtur quod Iacob simpliciter fuerit mentitus. Maior probatur: Dum Iacob ad patrem suum loquebatur, sanè intendebat significare quod ipse esset Esau, ut verba sacre Scripturæ sonant; sed reverà Iacob non erat Esau: ergo quia falsum dixit cum intentione fallendi patrem suum Isaac; ac proinde Iacob simpliciter fuit mentitus.

40. Respondetur pro Augustino negando Maiorem, eiusque probationem. Quia Iacob non intendebat dicere se esse Esau quantum ad proprietatem personæ, sed quantum ad dignitatem progenituræ, & benedictionis, quam sibi à Deo vendicaverat. Unde à mendacio excusatur Iacob, & quantum ad id, quod verbo dixit, & quantum ad id, quod facto fuit operatus, eò quod verbo dixerit, & facto simulaverit se esse Esau. Primo enim excusatur quantum ad id, quod protulit verbo, quia non intendebat patrem fallere, sed dirigere. Secundo, similiter excusatur quantum ad id, quod facto

fuit operatus, quia factum illud figuram præferebat futurorum, iuxta ineluctabilem factæ paginæ auctoritatem, sanctitatem Iacob commendantem, dicentemque, eum fuisse virum simplicem, non dolosum.

41. Oppones secundò in ipsum Augustinum: Si Iacob simpliciter non foret mentitus, dum dixit patri suo se esse Esau filium suum, maximè ob familiare Spiritus Sancti consilium, quod Rebecca mater sua acceperat, ipsiusque speciale erga filium suum præceptum; sed mendacium ita censetur ex naturâ suâ malum, ut nec per se, nec per dispensationem aliquam valeat fieri bonum: igitur Iacob nec arcano Spiritus Sancti consilio, nec arctato Rebeckæ mandato potuit à mendacio excusari.

42. Respondetur ex Augustini, ipsiusque Magistri doctrinâ negando instantiæ suppositum. Quia Iacob in his quæ patri suo protulit, nec mendacium perpetravit, nec simpliciter fuit mentitus. Nam estò vnum prætenderet, aliud tamen præfigurabat; & Spiritus Sanctus illud, quod representabatur, principaliter intendebat, & Rebecca imperans, & Iacob obediens. Quamobrem, cum nullum ibi à Iacob fuerit commissum mendacium, instantia non urget de Spiritus Sancti dispensatione mendacij, & salubri Rebeckæ erga filium suum mandato. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

43. **Q**VÆSTIO 1. An, & quomodò amphibologia sit prohibita? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q. 109. art. 1. Cayetan. 2.2. q. 89. art. 7. Sotus de iust. lib. 8. q. 1. art. 7. Sylvius 2. 2. q. 89. art. 3. Prado tom. 2. cap. 32. q. 4. §. 2. Raph. la Torre 2.2. tom. 2. q. 98. dub. 3. disp. 4. Ledesma tom. 2. summ. tract. 8. cap. 24. Bañez 2. 2. q. 69. art. 2. Candidus disquis. 26. art. 3. dub. 1. Anton. à Spiritu SS. lib. consult. variar. consult. 23.

44. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 39. q. vnic. Arbiol de fide, tom. 1. disp. 4. art. 1. Sendin tract. 7. controuv. 5. sect. 2. §. 1. Matrius disp. 11. q. 9. art. 1. num. 174. Castillo de Velasco tract. de fide, disp. 4. q. 3. Villalobos tom. 2. tract. 36. de iuram. difficul. 6. Corduba in Summ. q. 65. Rodriguez tom. 1. Summ. cap. 29. conclus. 4.

45. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. de relig. tract. 5. lib. 3. cap. 11. Palao disp. 1. de iuram. punct. 7. Sanchez lib. 3. cap. 7. num. 1. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 9. Valentia 2.2. disp. 5. q. 3. punct. 2. Coninch de fide, disp. 10. dub. 3. conclus. 1. Raynaud. in Apolog. pro Lessio. Lugo

de fide, disp. 4. sect. 5. Ripalda de fide, disp. 4. num. 68. Dicastillo tom. 1. tract. de iuram. disp. 2. dub. 12. §. 1. Carleton tom. 2. disp. 24. sect. 1. & seqq. Filliucius tom. 2. tract. 25. cap. 1. q. 1. & seqq. Gordonus tom. 6. q. 6. cap. 7. num. 21. Honoratus Fabri tom. 1. cap. 38.

46. Ex Alijs Malletus tom. 2. pag. 40. Leander tom. 2. disp. 45. §. 2. q. 9. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 15. num. 13. Bonaspei tract. 2. de fide, disp. 2. dub. 3. Verde q. 11. num. 529. Bonacina disp. 4. q. 1. punct. 12. Bassus verb. restrictio mentis, num. 1. & seqq. Diana p. 3. tract. 6. resol. 30. Thom. Hurtado p. 2. tract. 7. cap. 4. §. 1. Lorca de fide, disp. 9. memb. 2. & seqq.

47. Quæstio 2. An omne mendacium sit peccatum, & quale? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 110. art. 4. & in 3. dist. 38. q. 1. art. 4. Camerarius tom. 2. q. 110. art. 3. Prado tom. 2. cap. 32. q. 4. §. 4. Bancel tom. 2. verb. mendacium, q. 1. & seqq. Nicolai in 3. dist. 38. q. 1. art. 3. Rayner. de Pisis tom. 2. verb. mendac. cap. 1. & seqq.

48. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 38. q. 1. Matrius disp. 111. q. 9. art. 1. Lanterius de fide, disp. 11. differ. 1. propos. vnic. Herincx p. 3. tract. 2. disp. 10. q. 4. Cavellus in Schol. in 3. dist. 38. q. vnic. Aquila in 3. dist. 38. q. 1. Mairon in 3. dist. 38. q. 1. Bordonus tom. 1. cap. 8. num. 175. Marchant tom. 2. tract. 9. tit. 3. q. 1. & seqq. Castillent. in Polyant. Seraph. verb. mendac. num. 1. & seqq. Portellus verb. mendacium, num. 1. & seqq.

49. Ex Scholâ Eximiâ Suarez 1. 2. q. 100. disp. 1. cap. 1. & seqq. Vazq. 1. 2. disp. 68. & 69. cap. 1. & seqq. Giballius tom. 1. lib. 3. cap. 3. conseltar. 4. Delrio lib. 5. disquis. magic. sect. 5. Gordonus tom. 2. q. 11. cap. 11. num. 39. Fagandez tom. 2. lib. 8. cap. 5.

50. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 38. art. 1. q. 3. Alensis 2. p. q. 139. memb. 2. 3. & 4. & 3. p. q. 37. memb. 5. Gabriel in 3. dist. 38. q. 1. Aureolus in 3. dist. 38. q. 1. Caramuel tom. 1. theolog. regul. precep. 8. num. 125. Estius in 3. dist. 38. §. 1. & seqq. Balthaf. Conradus lib. 1. cap. 1. & seqq.

51. Quæstio 3. An, & quæ sit divisio mendacij? De quò, hic q. 2.

52. Quæstio 4. An omne mendacium sit mortale vis perfectis? De quò, hic q. 2.

53. Quæstio 5. An esse falsum sit essentiale omni mendacio? De quò, hic q. 2.

54. Quæstio 6. An liceat alicui mentiri pro alterius vitæ temporalis conservacione? De quò, hic q. 2.

55. Quæstio 7. An, sicut fas est homini verum aliquandò tace-

- 1340 LIBRI TERTII SENTENTIARVM
re; sic liceat ipsi aliquandò falsum proferre? De quò, *hic quest. 2.*
56. Quæstio 8. An octo tantùm sint mendaciorum genera? De
quò, *hic q. 2.*
57. Quæstio 9. An sit proprium mentientis, aliud habere clau-
sum in corde, & aliud promptum in linguâ? De quò, *hic q. 1. & 2.*
58. Quæstio 10. An omnis qui mentitur, mendacium dicat? De
quò, *hic q. 1. & 2.*
59. Quæstio 11. An de omni mendacio sit exponendum illud
Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium?* De quò, *hic q. 1. & 2.*
-

DE PERIURIO.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-NONÆ

Synopsis.

*Qui iuramentis mendacia dicta tuetur,
Is periurio animam polluit ore suam.*

Sic incipit : *Nunc de periurio videamus.*

Sic terminat : *Et suam.*

1. **C**ONNECTIVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit
Magister de omni mendaciorum genere; sed in præsentî
determinat de periurio, quod est mendacium iuramento firmatum:
igitur hæc distinctiones non incongruè sonare videntur.

2. Consequentia probatur: Non exactè intenderet Magister de
omni mendaciorum genere disserere, si de periurio, sive mendacio
iuramento firmato non ageret; sed Magister in superiori distin-
ctione intendit disserere de omni mendaciorum genere: ergo dum
in præsentî de periurio, sive mendacio iuramento firmato determi-
nat, non solum de omni mendaciorum genere agere, verùm totam
mendaciorum telam suo subtili acumine texere, videtur.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In qua-
rum primâ declarat Magister, quid sit periurium. In secundâ verò
statuit, qualiter iurare non semper censeatur illicitum. In tertiâ
autem, & ultimâ tenet, quòd perfectis viris iurare per creaturas
quandòque sit licitum.

PRO

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis enodatione, primum proponitur theorema: *Et si omne mendacium iuramento firmatum sit periurium; non tamen omne periurium est mendacium.* Quod succinctè quoad utramque theorematís partem probat Magister in litterâ.

5. Primò, quantum ad primâ partem sic suum suadet intentum Magister: Ita passim ab omnibus diffinitur periurium: Mendacium iuramento firmatum; sed hæc diffinitio omni consonat periurio, ut sedulo iustrantibus præfatam diffinitionem constabit: igitur omne mendacium iuramento firmatum est periurium.

6. Secundò, quoad secundam partem, nempe, quòd omne periurium non sit mendacium, etiam probat Magister, dum tres periurij statuit differentias in litterâ. Quarum prima est, dum aliquis scienter aliquod falsum firmat iuramento, animo fallendi, quod tamen putat esse falsum. Secunda est, dum aliquis temerè firmat aliquod falsum iuramento, quod tamen putat esse verum. Hæc reverà geminæ peierandi differentię nunquam possunt sine mendacio operari.

7. Tertia periurij differentia est, dum aliquis firmat aliquod verum iuramento, quòd tamen putat esse falsum. Hic etenim peierandi modus fit sine mendacio, cum ibi non iuretur falsum; non tamè est immunis à peccato, eò quòd nõ sit appõsita debita iurandi cautela, quippè, ut bene discutiatur, res super quam quis iurare præsumit: igitur non omne periurium est mendacium, et si omne mendacium iuramento firmatum sit periurium.

8. Præfatam Magistri doctrinam suâ ad longum præmunis auctoritate Augustinus lib. de verb. Apost. serm. 28. dicente: *Homines falsum iurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur; aut putat homo verum esse quod falsum est, & temerè iurat; aut scit, vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat, & nihilominus cum scelere iurat.* Ille autem qui existimans verum quod falsum est, iurat non videtur periurus, quia non est mens eius rea; & idè nec lingua: Imò mens eius rea est, dum iurare præsumit, quod perspicuè verum non deprehendit: igitur his tribus periurij modis clarè ostendit Augustinus, quòd et si omne mendacium iuramento firmatum sit periurium, non tamen omne periurium sit mendacium.

9. Sed, ut magis perspicua hæc doctrina appareat, in illam sic primò obijcit Magister: Satis pro comperto habetur, quòd non peieret, qui verum, quod falsum existimat, iuramento firmat, quia verum iurat, & etiam verbis non abutitur, eò quòd illud iuret, quod significat: ergo quia non omne mendacium etiam iuramento firmatum est periurium.

Res-

10. Respondet tamen Magister in litterá, quòd non tantùm qui falsum iurat; sed etiam qui verum iurat, quod falsum esse existimat, peierat; quia loqui contra mentem cum attestazione iuramenti periurium est, sivè illud sit verum, quod dicitur, sivè falsum; sicque omne mendacium iuramento firmatum est, & dicitur periuriũ.

11. Objicit secundò Magister in eandem doctrinam: Qui falsum iurat, haud dubiè peierat: ergo videtur rationi consonum, quòd omnis, qui iuramento promittit aliquid, quod postea non adimplet, illicò iurando periurus sit, cum tunc falsum iuret, & falsum iurans peierat: igitur videtur, quòd omne periurium sit mendacium.

12. Respondet Magister in litterá, quòd taliter iurans non incurrit periurium, quia non omnis, qui iurat quod falsum est, ex quo iurat, periorus est, ut in argumenti casu, de quo agimus; sed ex quo propositum mutat, vel terminum transgreditur, iuratio talis sit periurium reatu; atque adeò nunquàm probatur, omne periurium esse mendacium, etsi omne mendacium iuramento firmatum periurium esse videatur. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

13. PRO SECUNDÆ verò distinctionis partis indagine, secundum statuitur theorema: *Quemadmodum iurare non semper est licitum; nec iurare semper est illicitum.* Huius theorematibus probatio cuidam duntaxat solutioni gravissimi dubij in textus litterá apppositi inniri videtur.

14. Dubitat ergò Magister: *An iurare sit malum, vel illicitum?* Et respondet cum distinctione, ipsum his verbis expendendo dubium. Quòd sicut iurare falsum est grande peccatum; sic iurare sine necessitate nequit fieri sine peccato; ut si quis per iuramentum firmaret, Deum non esse Omnipotentem, sivè rerum omnium Creatorem, talis falsum iuraret, & per consequens gravissimum perpetraret peccatum.

15. Ast iurare ex necessitate super aliquo licito, nempè, vel ad asserendum alicuius innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod est in illorum proventum, malum non est, cum sit ipsis necessarium: ergo quia iurare nec semper est licitum, nec semper malum, aut illicitum.

16. Id ipsum confirmat Magister Divi Augustini autoritate lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 30. dicente: *Iuramentum faciendum est in necessarijs, cum pigri sint homines credere, quod eis est utile. Iuratio non est bona, non tamen mala cum necessaria, id est, non appetenda,*

sicut

sicut bona; nec tamen fugienda, tanquam mala, cum sit necessaria: igitur iurare quandòque est bonum, & licitum; quandòque malum, & illicitum.

17. Amplius roborat intentum Magister per Apostolum cap. 1. ad Romanos scribentem: *Testis est mihi Deus*; sed Apostolus novit præceptum Domini de non iurando, & tamen iuravit: ergo quia ex se iuramentum non est prohibitum: ergo solum iurare prohibetur vel cupiditate, vel delectatione iurandi; consequenterque iurare non semper erit licitum, nec illicitum semper.

18. Sed oppones illud Christi Domini apud Matthæum cap. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omninò*: ergo si iuxta Christi Domini præscriptum non licet nobis omninò iurare, nunquam erit bonum, & licitum; imò illicitum, & malum iurare.

19. Respondet Magister in litterâ, Christum Dominum suo hîc tantum præcepisse mandato, ne quispiam sicut bonum appetat iuramentum, & assiduitate iurandi ruat in periculum; non verò iuramentum absolute prohibuit, si causa ipsum cohonestantes adsint, ut ex fundamentis in theorematis subsidium appositis claret. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

20. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis declaratione, tertium astruitur theoremata: *Quavis iurare per creaturas sit prohibitum imperfectis; per ipsas tamen iurare licitum est perfectis*. Vnicum ac præcipuum huius theorematis probationis fundamentum capimus ex sex quæstionum, quas hîc in litterâ suggerit Magister, fusâ ac argutâ solutione.

21. Primum ergò quæsitum sic in textûs litterâ apparet: *Utrum liceat iurare per creaturas?* Et pro negante parte arguit primò Magister, ut suum postmodum facilius possit referare nutum: Iuxta illud Deuteronom 10 cap. 6. *Reddes autem Domino iuramenta tua*. Et Matthæi cap. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omninò; neque per Cælum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum iuraveris*: igitur per creaturas iurare omnibus est prohibitum.

22. Respondet Magister, quòd Iudæis, si vè imperfectis concessum fuit per Creatorem, & non per creaturas iurare; Sanctis verò, si vè viris perfectis per creaturas non est prohibitum iurare; eò quod in creaturis sciunt Creatorem venerari: ergo quavis iurare per creaturas sit prohibitum imperfectis; per ipsas tamen iurare licitum est perfectis.

23. Quod confirmare videtur Magister ex illo Genesis cap. 42.

ubi Ioseph per salutem Pharaonis iuravit, Dei iudicium in eo veneraturus: igitur viris perfectis licitum erat per creaturas iurare, quia in ipsis Creatorem venerabantur. Vnde Christus Dominus duplici de causâ prohibuit per creaturas iurare. Prima est, ne aliquid divinum in eis crederetur, pro quo ipsis reverentia deberetur. Secunda, ne iurans falsum per creaturas, crederet se non peccare; seu ne iurantes per creaturas putarent, se non teneri ad iuramenti impletionem.

24. Secundum quæsitum ita in litterâ proponitur à Magistro: *An iuramentum per Deum sit magis obligatorium, quàm per creaturas?* Et respondet, quòd qui per Deum iurat, magis tenetur, quàm qui per Evangelium, vel per creaturas iurat. Quod ratione, & auctoritate Divi Chrysoctomi suadet Magister.

25. Primò ratione: Magis tenetur implere iuramentum, qui iurat per eum, per quem facta sunt omnia, quàm qui iurat per eum, per quem omnia facta non sunt; sed per Deum omnia sunt facta, & non per Evangelium, aut creaturam: ergo iuramentum per Deum magis obligat, quàm per Evangelium, aut creaturam.

26. Secundò, auctoritate Divi Chrysoctomi homil. 54. apud Imperfectum, sic scribentis, simulque obiectioni cuidam respondentis: *Sunt Scripturæ sacræ propter Deum factæ sunt, non Deus propter Scripturas; ita & creaturæ factæ sunt propter Deum: etgo si quemadmodum Evangelium, sive Scripturæ sacræ propter Deum factæ sunt, & non Deus propter Scripturas, aut Evangelium; sic creaturæ factæ sunt propter Deum, & non Deus propter creaturas, satis colligitur, gravius fore iurare per Deum, quàm per Evangelium, aut creaturas; ac proindè iurans per eas, minùs obligatur, quàm iurans per Deum.*

27. Sed oppones primò: Qui iurat per creaturam, reverà iurat per Deum; cùm non intendat creaturam, sed Creatorem ipsum adducere in testem: ergo quia idem est per creaturam, ac per Creatorem iurare; sed quo pacto idem est per creaturam, ac per Creatorem iurare, iuramentum per Deum non valet plus constringere, quàm per Creatorem: igitur resolutio quæsitæ appositæ à Magistro in litterâ vnâ cum Chrysoctomi auctoritate nihil probat.

28. Respondetur cum Magistro negando Minorem, & Consequentiam. Nam licèt dùm quis iurat per creaturam, intentio præsertim feratur in Deum; hoc solummodò est habitualiter, non actualiter; at, dùm iurat per Deum, ipsum actù, & habitù advocat in testem: Cùm ergò intentio actualis adeò sit habituali amplior,

etiam obligatio, ipsiusque transgressio censenda erit maior; sicque iuramentum per Deum plius obligat, quam per creaturam operatum.

29. Oppones secundò: Maioris ponderis ab omnibus arbitrat, plura insimul, quam vnum, despiciere bona; sed qui iurat per creaturam, si peierat, despicit creaturam vnà cum Creatore; qui verò per Deum iurat, etiam si peieret, solum Creatorem respicit: igitur iuramentum per creaturam exhibitum, plius constringit hominem, quam iuramentum per Deum factum.

30. Respondetur ex Magistri doctrinà negando Maiorem, & Consequentiam. Quia, cum creatura respectu Creatoris vti nihil habeatur, nihil indè perfectionis supra divinam supremamque excellentiam addere potest; atque adeò nec contemptus creaturæ supra Creatoris contemptum, quia non plius in creaturâ, quam in seipso despiciatur Deus; sicque grauius iurare per Deum, quam per Evangelium, aut creaturas, meritò autumatur.

31. Consentaneè his modò subiungit Magister in litterâ: Quid sit iurare per Deum; quid verò per creaturas. Iurare enim per Deum, est Deum adhibere testem illius rei, super quam iuratur per Deum: Iurare verò per creaturam, est Creatorem eius testem suum obligare. Quemadmodum iuravit Apostolus ad Romanos, cap. 1. dicens: *Testis est mihi Deus*, ac si diceret: *Per Deum ita est.*

32. Quod reuerà perspicuè tradidit Augustinus lib. de verbis Apost. serm. 28. scribens: *Ridiculum est putare hoc, si dicas, per Deum, iuras; si verò dicas, testis est mihi Deus, non iuras. Quid est enim per Deum, nisi testis est mihi Deus? Aut quid est, testis est Deus, nisi per Deum. Quid est autem iurare, nisi ius Deo reddere, quando per Deum iuras? Ius scilicet veritatis, & non falsitatis. Iurare verò per quamlibet creaturam, est Creatorem eius testem adhibere. Igitur pro dignitate expendit Augustinus, quid sit iurare per Deum, quid verò per creaturas.*

33. Vnde ex his appositis, duo legitimè deducit cum Augustino Magister. Primum, qui per lapidem iurat falsum, periurus est, quia non per lapidem iurat, sed per eius Creatorem. En Augustini verba lib. de serm. Domini in monte, serm. 28. *Ecce dico Charitati vestræ: Et qui per lapidem iurat falsum, periurus est; quia non lapidem, qui non audit, sed eius Creatorem adhibet testem: ergo.*

34. Secundum quod cum Augustino deducit Magister est, quoddam esse iuramenti gravissimum genus, quippè, quod sit per execrationem, vt dum homo dicit, si illud feci, illud patiar, vel illud

contingat filijs meis. Audi modò Augustinam ibidem dicentem: *Cùm quis ait : Per salutem meam , salutem suam Deo obligat. Cùm dicit: Per filios meos , oppignerat eos Deo , vt hoc eveniat in caput eorum , quod exit de ore ipsius; si verum, verum; si falsum, falsum: igitur gravissimum iuramenti genus arbitratur, quod per execrationem fit.*

35. Tertium queritum sic in litterà suggerit Magister : *An per falsos deos iurans infidelis , peccet?* Et respondet iuxta proprium Augustini nutum Magister, quòd si infideles iurant falsum per falsos deos, dupliciter profectò peccare videntur. Primò; quia iurant, per quos iurare non debent. Secundò; quia iurant contra fidem, quam servare tenentur. Hæc sunt Aurelij expressa eloquia Epist. 154. ad Publicolam scribentis : *Te prius considerare volo , verum si quispiam per falsos deos iuraverit , & fidem non servaverit , non tibi videtur bis peccasse ? Bis vni que peccavit; quia iuravit , per quos non debuit , & contra pollicitam fidem fecit , quod non debuit: ergo.*

36. Ex his etiam duo subinfert Magister iuxta appositam questionem. Primum, quòd qui vitur fide illius , quem constat iurasse per falsos deos, idque non ad malum, sed ad bonum , non peccato illius se sociat, qui per dæmonia iuravit ; sed bono pacto eius , quo fidem servavit. Secundum, quòd sine dubitatione minus malum est per falsos deos iurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod iuratur magis sanctum est, tantò magis est pœnale periurium.

37. Sed dices in Augustinum : *Gravius peccatum est idolatria, quam periurium, si ve sit verum, si ve falsum; cùm idolatra dùm iurat , tentet ex animo idolatriam patrare , eò quòd idolum honoret per ipsum iurando: ergo videtur quòd minus malum sit, per Deum verum fallaciter , quam veraciter per falsos deos iurare : igitur Augustini testimonium non suffragatur asserto.*

38. Respondetur in gratiam Augustini negando Consequentiã. Quia in iuramento, quo quis per falsos deos iurat , duo præfertim contemplanda veniunt, quippè, id quod asseritur , & id per quod asseritur. Primum, si ve meditando id , quod asseritur , minus malum est per falsos deos veraciter iurare, quam per Deum verum fallaciter; quia hîc asseritur falsum, & ibi verum affirmatur, in quo reverà sensu Augustinus in textùs litterà affatur. Secundum verò, si ve respiciendo id per quod iuratur, gravius maiusque malum est iurare verum per falsos deos, quam falsum per Deum verum, vt ex terminis claret, & cui Augustinus refragari non habet.

39. Quartum quæsitum his perficit verbis Magister: *An iuramentum incautum, vel inhonestâ conditione factum, sit executioni mandandum?* Et respondet ipse Magister in litterâ, iuramenta incauta, sive in malum exitum vergentia, non fore observanda, sed imò mutanda, ita, vt qui illa non mutaret, peccaret dupliciter. Primò, quia iniuste iuravit. Secundò, quia facit, quod non debet.

40. Quod aliquibus Patrum testimonijs probat Magister. Primò ex Ambrosio lib. 22. Offic. q. 4. & 5. dicente: *Est contra officium Dei, nonnunquam promissum solvere sacramentum, vt Herodes fecit: igitur iuramentum incautum, seu quod in peiorem exitum vergit, potius est mutandum, quàm implendum.*

41. Secundò ex Divo Isidoro lib. 2. de summo bono, cap. 32. Scribente: *In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum: Quod incautè novisti, ne facias; impia est promissio, quæ scelere adimpletur: ergo si in malis promissis rescindenda est fides, & in turpi voto mutandum decretum, eò quòd impia sit promissio, quæ scelere adimpletur, iuramentum, quod vergit in deteriozem exitum, nunquam erit executioni præstandum.*

42. Tertio ex Venerabili Bedâ hom. 44. sic alloquente: *Si quid nos incautiùs iurare contigerit, quod observatum, peiorem vergat in exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum noverimus: ergo si salubriori consilio mutandum est, quod nos incautiùs iurare contingit, cum observatum, peiorem vergat in exitum, bene colligitur, præfata iuramenta potius mutanda, quàm implenda fore.*

43. Quarto probat Magister ex illo egregio memorandoque facinore, de quo meminit 1. Reg. cap. 25. vbi iuravit David per Deum occidere Nabal virum stultum ac despiciatum; sed ad primam intercessionem Abigail feminae prudentis remisit minas, revocavit ensen in vaginam; nec aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Quod expendens Augustinus in litterâ, ait: *Quòd David iuramentum per sanguinis effusionem non implevit, maior pietas fuit. Iuravit David temerè, sed non implevit iurationem maiori pietate: igitur ex his testimonijs satis clarè sequentia deduci videntur, nempe, quædam iuramenta non esse servanda; & qui iurat, gravissimè peccat. Cum autem mutat, benè facit. Qui verò non mutat, dupliciter reus fit; & quia iniuste iuravit; & quia fecit, quod non debet.*

44. Cæterùm, prædicta doctrina sic ad normam advocari valet. Primò, quòd iuramentum sit illicitum tripliciter; aut quia iurat quis quod in se est vitiosum, vt adulterium, vel homicidium; &

sic tale iuramentum non est implendum: Vel dùm quis iurat quod in se non est vitiosum, sed per accidens; vt si quis post votum castitatis, iuret aliquam accipere in vxorem: Vel dùm quis iurat aliquid omittere, quod in se est bonum, quippè, non dare elemosynam.

45. Quintum quæsitum sic inscribit Magister: *An sit periurus, qui non facit quod incautè iuravit?* Et respondet affirmatiuè, rationemque assignat, nempe, quia non seruat quod iuravit, eò quòd teneatur illud mutare, vt nuper dicebamus. Et quia iuravit iniustum, illicò reus efficitur, sicut ille qui peierat: igitur iurans incautè, merito debet appellari periurus.

46. Vnde subinfert Magister, quòd qualitercunque iuretur, iuramentum ad recipientis, & non iurantis intentionem semper refertur. Atque adeò qui falsò iuramentum præstat, gemino ex capite peccat. Primò, quia nomen Dei in vanum assumit. Secundo, quia proximum dolo capere tentat.

47. Sextum, & vltimum quæsitum hâc rubricâ apposuit Magister in litterâ: *An peccet ille, qui alium iurare cogit?* Et respondet cum distinctione. Quòd si nescit eum iuraturum falsum, non peccat, quoniam hoc solùm fit, vt fides seruetur de re super quam iuratur; & idè non est peccatum, sed humana tentatio. Si autem scit eum iuraturum falsum, & tamen compellit eum iurare, homicida est, & gravissimum peccatum huddubiè perpetrare videtur.

48. Hoc etenim, non pro suo arbitratu, sed ex Augustini nutu lib. de verb. Apost. serm. 28. tradidit Magister. En eius verba: *Qui exigit iuramentum, multùm interest si nescit iurare falsum, an scit. Si enim nescit, & idè dicit iura mihi, vt fides ei sit, non est peccatum; tamen humana tentatio est. Si tamen scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicida est. Idem Augustinus his pergit in vberiore probationem verbis: Qui provocat hominem ad iurationem, & scit eum falsum iurare, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam: Imò duas animas, & eius, quem iurare provocavit, & suam. Huc usque Aurelius.*

49. Tandem de modo, uormâ, & solemnitate iurandi agit Magister, & subdit, quòd debet fieri à ieiunis, nisi necessitas aliter cogeret. Quod ex Concilio Aurelianensi ad litteram decerpit Magister sub hâc ordinatissimâ verborum serie: *Sancta Synodus decrevit, nisi pro pace faciendâ, vt omnes fideles ieiuni ad Sacramenta accedant:* ergo quia iuramenta, ex Concilio, hâc debent præstari formâ.

50. Sed dices: Nulla ratio, siuè cordata congruentia adigit, vt

iuramentum tantâ sit solemnitate præstandum, quòd circa ipsum forma sit observanda ieiunij, cum nullum reverâ sit iuramentum opus privilegiatum, eò quòd perfectos imperfectosque ex æquò comprehendat homines: igitur incongruè iuramento hanc adijcit solemnitatem Magister.

51. Respondetur pro Magistro ex ipsius Aurelianensis Concilij contextu negando Antecedens, & Consequentiam. Nam sufficiens ratio, ac cordata congruentia ad sensum apparet, ut hæc in iuramentis præstandis sit solemnitas ieiunij servanda; quia cum homo post cibum, & potum sit proclivis ad multiloquium, facilius in periurium labere posset; ideoque ad tantum fugandum periculum, præfata ieiunij solemnitas fuit per Concilium prudentissimè ordinata. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

52. **Q**VÆSTIO I. An sit licitum iurare per Deum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q. 89. art. 2. & in 3. dist. 39. q. 1. art. 2. Sotus de iust. lib. 8. q. 1. art. 3. Sylvius 2.2. q. 89. art. 2. Cammerinus tom. 2. q. 89. art. 2. Prado tom. 2. cap. 32. q. 1. §. 1. Bancel tom. 2. verb. iuramentum, q. 3. Nicolai in 3. dist. 39. q. 1. art. 3. Rayner. de Pisis tom. 2. verb. iuramentum, cap. 1. & seqq. Acacius verb. iuram. resol. 151.

53. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 39. q. vnic. Maltrius disp. II. q. 3. art. 2. Poncius tract. append. disp. 60. q. 7. Pitygianus in 3. dist. 39. q. vnic. art. 2. Aquila in 3. dist. 39. q. vnic. Rada 3. p. controv. 17. art. 1. Castro contra hæres. verb. iuram. Cottonius lib. 1. controv. 11. cap. 1. Marchant tom. 2. tract. 3. tit. 3. q. 2. dub. 1. & seqq. Cavellus in Schol. dist. 39.

54. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 4. Gordonus tom. 2. q. 6. cap. 2. Palao p. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 4. Dicastillo tom. 1. disp. 2. dub. 1. & seqq. Sanchez lib. 3. cap. 4. Toletus in Summ. lib. 4. cap. 21. Fillucius tract. 25. cap. 2. q. 3. Layman lib. 4. tract. 3. cap. 3. Azor p. 1. lib. 11. cap. 2. q. 3. Escobar lib. 3. de iuram. cap. 5. num. 6.

55. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 39. art. 2. q. 1. Rocafull in praxi, lib. 1. sect. 1. & seqq. Bassæus verb. iuram. 3. Bonacina disp. 4. q. 1. punct. 3. Sayrus in Clau. Regiâ, lib. 5. cap. 3. num. 7. Bonæspei disp. 6. dub. 1. Estius in 3. dist. 39. §. 3. & 7. Malletus tom. 2. pag. 38. Leander tom. 2. tract. 1. disp. 3. q. 18.

56. Quæstio 2. An iuramentum coactum obliget? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q.89. art.7. Scotus lib.8. de iustitiâ, q. 1. art. 7. Sylvester 2.2. q.89. art.7. q.7. Bancel tom.2. verb. iuramentum, q. 18. Palacius in 4. dist.39. disp.vnic. Nicolai in 3. dist.39. q.1. art. 6. Camerinus tom.2. q.89. art.1. & seqq. Rayner. de Pisis tom.2. verb. iuram. cap.1. & seqq. Acacius verb. iuram. resol.151. & seqq.

57. Ex Subtilli Scholâ Scotus in 3. dist.39. q. vnic. num.9. & seqq. Maltrius disp.11. de legibus, q.3. art.2. Poncius tract. append. disp.60. q.7. Rada 3.p. controu.15. art.2. Rodriguez in Summ. tom.2. cap.93. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. iuram. à num.1. & seqq. Portellus verb. iuram. num.1. & seqq. Cottonius lib.1. controu.11. cap.1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist.39. q. vnic.

58. Ex Scholâ Eximîâ Suarez lib.1. de voto, cap.8. & tom.2. de relig. lib.3. de iuram. cap.2. & seqq. Castro Palao p.3. tract.14. disp. 2. de iuram. punct.2. & seqq. Sanchez lib.4. de Matrim. disp. 20. q.1. Molina tom.1. de iust. tract. 2. disp. 149. Dicatillo tom.1. tract. de iuram. disp.3. dub.13. Lessius lib.2. cap.42. dub.6. Azor tom.1. lib.11. cap.7. q.2. Layman lib.4. tract.3. cap.1. num.2. Vazquez 1. 2. disp. 174. cap.5. Reginal. lib.18. num.62. Saâ verb. iuram. num.11. Filliucius tom.2. tract. 25. cap.6. q.9. Gordonus tom.2. q.6. cap.12. Escobar tom.4. lib.29. sect.1. cap.3.

59. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist.39. q.2. Malletus tom.2. pag.40. Bonacina tom.2. disp.4. q.1. punct.9. Basilius Ponze lib.12. de Spons. cap.8. Bassæus verb. iuram. 2. Bonæspei disp.6. dub.1. Estius in 3. dist.39. §.7. & seqq. Sayrus in Clavi Regiâ, lib.5. cap.3. num.7. & seqq. Leander tom.2. tract.1. disp.1. q.18. & seqq.

60. Quæstio 3. An iurans ex consuetudine peccet mortaliter? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q.98. art.3. Arauxo 1.2. q.71. art. 5. Bancel tom.2. verb. iuram. q.8. Greg. Martinez 1.2. q.71. art.4. Raphael la Torre tom.2. in 2.2. q.89. art.3. disp.3. Prado tom.2. cap. 32. q.8. §. 2. Rayner. de Pisis tom.2. verb. iuram. cap. 1. & seqq. Petrus Ledefina tom.2. summ. tract.11. cap.5. dub.5. Sylvius 2. 2. q. 98. art.3. Medina lib.1. cap.14. §.4.

61. Ex Subtilli Scholâ Scotus in 3. dist. 39. q. vnic. Poncius tract. append. disp. 60. q. 7. Maltrius de legib. disp. 11. q. 3. art. 2. & seqq. Rodriguez tom.1. cap.192. num.11. Angles p.2. q. vnic. de voto, art. 1. difficul.3. Cottonius lib.1. controu.11. cap.1. & seqq. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. iuram. num.1. & seqq. Aquila in 3. dist. 39. q. vnic. Portellus verb. iuram. num. 1. & seqq.

62. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *lib. 3. de iuram. cap. 6. & 8. Palao p. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 9. Filiucius tom. 2. tract. 25. cap. 10. num. 315. Gordonus tom. 2. q. 6. cap. 6. Fagundez tom. 1. lib. 2. cap. 8. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3. Azof tom. 1. lib. 4. cap. 3. q. 3. Vazq. disp. 49. cap. 2. Escobar tom. 4. lib. 29. sect. 1. cap. 5. Dicastillo tom. 1. disp. 2. dub. 9. Sanchez *lib. 3. de Matrim. cap. 5. Reginal. lib. 18. num. 87. Layman lib. 1. tract. 2. cap. 3.**

63. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. *dist. 39. q. 1. & seqq. Diana 1. p. resol. 55. Caspens. tom. 2. tract. 12. disp. 3. num. 54. Bonacina tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 13. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 20. Vega in summ. cap. 16. casu 14. Ioan. Sanchez in selectis. disp. 20. num. 5. Bonæspei disp. 6. dub. 3. Malletus tom. 2. pag. 41.*

64. Quæstio 4. An obliget iuramentum absque animo se obligandi? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 3. *dist. 39. q. 1. art. 3. D. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 5. casu 5. Cayetan. 2. 2. q. 88. art. 2. Candidus tom. 2. disquis. 26. art. 2. dub. 4. Sylvius 2. 2. q. 89. art. 7. Camerinus tom. 2. q. 89. art. 7. Prado tom. 2. cap. 32. q. 4. §. 1. Sylvest. verb. iuram. q. 19. Raph. de la Torre 2. 2. disp. 11. art. 7. conclus. 3. Bancel tom. 2. verb. iuram. q. 15. Nicolai in 3. dist. 39. q. 1. art. 7.*

65. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. *dist. 39. q. vnic. Matrius de legib. disp. 11. q. 3. art. 2. num. 53. Faber disp. 47. cap. 14. Poncius disp. 54. q. 2. Villalob. tom. 2. tract. 36. difficul. 6. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. iuram. num. 7. & seqq. Portellus verb. iuram. num. 1. & seqq. Herincx 3. p. tract. 2. disp. 6. q. 4. Cottonius lib. 1. controv. 1. cap. 1. & seqq. Marchant tom. 2. tract. 3. tit. 3. q. 2. Cavellus in Schol. in 3. dist. 39. q. vnic.*

66. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *tom. 2. de relig. lib. 2. cap. 29. Lugo de contrat. disp. 22. sect. 4. Dicastillo tom. 1. disp. 2. dub. 11. Palao 3. p. tract. 3. disp. 2. punct. 2. Filiucius tom. 2. tract. 25. cap. 6. q. 3. & seqq. & cap. 12. q. 3. & 4. Gordonus tom. 2. q. 6. cap. 9. Escobar tom. 4. lib. 29. cap. 2. sect. 1. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 7. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 6. Molina tom. 2. disp. 352. Fagundez tom. 1. lib. 2. cap. 11.*

67. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. *dist. 39. q. 1. art. 3. Bonacina disp. 4. q. 1. punct. 7. Rocafull lib. 1. sect. 4. cap. 1. & seqq. Bassus verb. iuram. 2. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 10. Covarrubias de pactis, 1. p. §. 5. num. 2. Bonæspei disp. 6. dub. 4. Malletus tom. 2. pag. 39. Leander tom. 2. tract. 1. disp. 1. q. 16.*

68. Quæstio 5. Quid sit iuramentum, & quòd illius species? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 2. Candidus tom. 2. in
dis-

*disquis. disq. 26. art. 1. dub. 1. Camerinus tom. 2. q. 89. art. 1. Rayner. de Pisis verb. iuram. num. 7. & seqq. Prado tom. 2. cap. 32. q. 1. §. 1. & seqq. Sotus lib. 8. q. 1. art. 1. Raph. de la Torre 2. 2. q. 89. art. 1. Bancel tom. 2. verb. iuram. q. 1. Nicolai in 3. dist. 39. q. 1. art. 1. Aca-
cius tom. 2. verb. iuram. Lezana tom. 2. verb. iuram. cap. 1. & seqq.*

69. Ex Subtili Scholâ Scorus in 3. dist. 39. q. vnic. Mastrius disp. 11. q. 3. art. 2. Poncius tract. append. disp. 60. q. 7. & 8. Rada 3. p. controv. 17. art. 1. Herincx 3. p. tract. 2. disp. 6. q. 1. Castillent. in Polyantb. Seraph. verb. iuram. num. 1. & seqq. Portellus verb. iuram. num. 1. & seqq. Villalob. tom. 2. tract. 36. diff. 1. & seqq. Cottonius lib. 1. controv. 11. cap. 1. Marchant tom. 2. tract. 3. tit. 1. q. 1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 39. q. vnic. Aquila in 3. dist. 39. q. 1. & seqq.

70. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. de relig. tract. 4. lib. 1. cap. 12. Palao 3. p. tract. 14. disp. 1. punct. 1. & seqq. Gordonus tom. 2. q. 6. cap. 1. Fagundez tom. 1. lib. 2. cap. 1. Escobar tom. 4. lib. 29. sect. 1. cap. 1. Dicastillo tom. 1. disp. 1. dub. 1. & 2. Filliucius tract. 25. cap. 2. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 7. Sanchez de Matrim. lib. 3. cap. 1. num. 1. Layman lib. 4. tract. 3. cap. 4. Reginal. lib. 18. num. 31. Toletus lib. 4. cap. 20. Lefsius lib. 2. cap. 42. dub. 2.

71. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 39. art. 1. q. 1. Bonacina tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 1. Rocafull in praxi, lib. 1. sect. 1. cap. 1. & seqq. Bassæus verb. iuram. num. 1. & seqq. Marchantius in resol. pastor. cap. 2. q. 3. Bonæspei disp. 6. dub. 2. Estius in 3. dist. 39. §. 1. & seqq. Malletus tom. 2. pag. 37. Leander tom. 2. disp. 1. q. 1. Balthaf. Conradus de Mendacijs, cap. 1. & seqq.

72. Quæstio 6. An omne periurium sit peccatum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 3. & in 4. dist. 39. art. 9. Camerinus tom. 2. q. 98. art. 3. Prado tom. 2. cap. 32. q. 8. §. 1. Cayetanus verb. periurium, cap. 1. Raph. la Torre 2. 2. q. 98. disp. 1. art. 3. D. Antoninus 2. p. tract. 10. cap. 4. Sotus lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. dub. 1. Bancel tom. 2. verb. periurium, q. 4. Rayner. de Pisis tom. 3. cap. 1. verb. periurium, num. 1. & seqq. Nicolai in 3. dist. 39. q. 1. art. 9.

73. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 39. q. vnic. Mastrius de legib. disp. 11. q. 9. art. 2. Herincx p. 3. tract. 2. disp. 6. q. 5. Castillent. in Polyantb. Seraph. verb. periurium, num. 1. & seqq. Aquila in 3. dist. 36. q. 1. art. 2. Portellus verb. periurium, num. 1. & seqq. Cottonius lib. 1. controv. 12. cap. 1. & seqq. Cavellus in Schol. in 3. dist. 39. q. vnic. Rada 3. p. controv. 18. art. 1. & seqq.

74. Ex Scholâ Eximiâ Suarez lib. 3. de iuram. cap. 20. Escobar
tom.

tom. 4. lib. 29. sect. 1. cap. 7. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 2. Palao
 p. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 6. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 12. q. 6. Lessius
 lib. 2. de iust. cap. 24. dub. 14. Fillucius tom. 2. tract. 25. cap. 10. num.
 300. Dicastillo tom. 1. disp. 2. dub. 6. Toletus lib. 4. cap. 21. Sanchez
 lib. 3. cap. 4. num. 16.

75. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist. 39. art. 1. q. 2. Bassæus
 verb. iuram. 4. in supplem. num. 3. Sayrus lib. 5. cap. 2. Navarrus in
 Manuale, cap. 12. num. 1. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 6. Diana 4. p.
 tract. 4. resol. 70. Abulensis in cap. 5. Matth. q. 302. Bonæspei disp. 6.
 dub. 3. Estius in 3. dist. 39. §. 5. Malletus tom. 2. pag. 41. Balthasar
 Conradus de mend. cap. 1. & seqq.

76. Quæstio 7. An omne periurium sit mendacium? De quò,
 hic quæst. 6.

77. Quæstio 8. An omne periurium sit peccatum mortale? De
 quò, hic q. 6.

78. Quæstio 9. An liceat per creaturas iurare? De quò, hic q. 1.

79. Quæstio 10. An in omni iuratione Deus adhibeatur vt te-
 stis, aut creatura Deo oppigneretur? De quò, hic q. 1.

80. Quæstio 11. An liceat per idola, dæmoniaque iurare? De
 quò, hic q. 1.

81. Quæstio 12. An sit minus malum per Deos falsos iurare ve-
 raciter, quam per Deum verum fallaciter? De quò, hic q. 1.

82. Quæstio 13. An omne iuramentum sit implendum? De
 quò, hic q. 1. & 5.



DE RELIQVIS PRÆCEPTIS SECVNDÆ
tabulæ.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ
Synopsis.

*Furti, & adulterij prohibet lex edita factum,
Quam desiderium lex utriusque vetat.*

Sic incipit : *Sextum præceptum est.*

Sic terminat : *Occidantur.*

1. **C**ONNECTITVR hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de periurio, aliisque ad octavum decalogi spectantibus præceptum; sed in præsentî determinat de reliquis secundæ tabulæ præscriptis, quippè sexto, & septimo, et si omnium debito ordine capto, nono, & decimo: igitur ordinatissimâ methodo non solum præceptorum decalogi seriem recenset, verum super quidditatibus eorum maximâ differit prothymia Magister.

2. Consequentia probatur: Rectus ac aptus disputationis ordo præscribit, vt tractatus semel inceptus, ad calcem vsque, eliminatis omnibus ambagibus, deducatur; sed Magister in superioribus distinctionibus inceptit tractatum de decem decalogi præceptis, & in eorum progressu disseruit in antecedenti de periurio, sive de his, quæ ad octavum conferunt mandatum: ergo dum in præsentî determinat de nono ac decimo decalogi præcepto, congruam reverâ connexionem servat Magister.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expendit Magister quid sit sextum, & septimum secundæ decalogi tabulæ præceptum. In secundâ verò declarat illud Apostoli 1. Corinth. cap. 3. de litterâ occidente. In tertiâ autem, & ultimâ assignat discrimen inter legem Mosaycam, & Evangelicam.

4. PRO PRIME igitur distinctionis partis enodatione, prima statuitur thesis: *Sicut sextum secundæ tabulæ præceptum prohibet appeti-*

tum

zum mœchandi; sic septimum eiusdem tabulæ voluntatem furandi. Quam in litterâ probat Magister, vtriusque mandati medullitùs extricando essentiam.

5. Sic sextum secundæ tabulæ diffinit Magister præceptum: *Non desiderabis uxorem proximi tui.* Ita eiusdem tabulæ septimum expendit mandatum: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, &c.* Quorum explanationem missam facit Magister, cum ex nudo terminorum captu, ipsorum quidditas satis ad sensum appareat.

6. Tamen arguit Magister in litterâ, hæc cum alijs mandatis sic intendens præcepta confundere: Præceptum de non concupiscendo uxorem proximi sui, reverâ omninò cohærere videtur cum tertio præcepto secundæ tabulæ de non mœchando: Similiter septimum mandatum de non concupiscendâ re proximi sui, cum quarto secundæ tabulæ de non faciendo furtum, videtur esse idem: ergo incassum sextum, & septimum decalogi ingeminantur præcepta.

7. Respondet Magister negando Antecedens, & Consequentiam. Quia in tertio, & quarto secundæ tabulæ præcepto, tantum exteriores actus prohibentur; in sexto verò, & septimo eiusdem tabulæ præscripto, actus interiores, concupiscentia interior quippè, tam vxoris proximi, quàm domûs, aut rei proximi arcentur; atque adedò haud incassum hæc ingeminantur præcepta, cum alijs omninò profectò non cohærere videantur mandatis.

8. Sed ampliùs vrget Magister in præfatam solutionem: In lege veteri non solùm actus exterior mœchandi, & furandi erat prohibitus, verùm & actus interior concupiscendi: ergo si in lege illâ prohibetur omnis concupiscentia alienæ vxoris, alienæque rei, quare crebriter dicitur, quòd lex comprimat manum, & non animum?

9. Et respondet dupliciter Magister. Primò, veterem legem manum, & animum comprimere quantum ad præcepta moralia, etsi dicatur, manum, & non animum, quantum ad cœremonialia compescere.

10. Secundò respondet Magister, quòd in veteri lege non ita exprimitur generalis prohibitio cuiuslibet mortiferæ concupiscentiæ, sicut fit in lege evangelicâ; & idedò assiduè dicitur, lex comprimit manum, non animum; at in lege evangelicâ clarè exprimitur cuiuscunque concupiscentiæ prohibitio; sicque iuxta illius præscriptum legitur, lex comprimit manum, & animum. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiens.

11. PRO SECVNDE verò distinctionis partis indagine, secunda præfigitur thesis: *Littera occidens lex vetus dicitur, non quia mala sit, sed quia non præbuit gratiam, quemadmodum lex evangelica illam hominibus largitur. Quæ duntaxat à Magistro probarur ex sedulâ discussione illius vulgaris Apostoli pronunciati: Littera occidit: Spiritus autem vivificat.*

12. Indagat ergò in litterâ avidissimè Magister, quid intelligatur per verba illa Apostoli 2. Corinth. cap. 3. *Littera enim occidit: Spiritus autem vivificat.* Et responder, dictum illud Pauli exponendum fore de litterâ decalogi, vel veteris legis, quæ dicitur occidere, non quia lex mala sit; sed dicitur occidere occasionaliter, quia ponendo mandata, seu prohibendo peccata, augebat concupiscentiam, & addebat prævaricationem, præcipiendo ea, quæ non poterant impleri sine grâtiâ, quæ non sic in veteri lege, sicut in evangelicâ abundabat.

13. Sed opponens primò illud eiusdem Pauli cap. 7. ad Roman. *Lex quidem sancta est, & mandatum iustum, & sanctum;* sed nihil sanctum & iustum occidit: ergo lex vetus non bene dicitur littera occidens.

14. Responderetur, quòd licèt lex ex se, & ex principali legislatoris intentione non occidat; nihilominus ex accidenti, & occasionaliter valet inducere oppositum; quemadmodum cultellus, etsi secundum principalem intentionem deferentis sit armatura defensionis, tamen occasionaliter accidit, ut sit instrumentum occisionis ipsius gerentis.

15. Oppones secundò: Dùm lex dicitur occidens in textûs litterâ, aut exponitur de lege observatâ, aut de lege non observatâ; sed de lege observatâ nequit intelligi, eò quòd occisio legis unâ cum eius observantiâ coherere non valeat: ergo de lege non observatâ est intelligendum; sed etiam lex evangelica non observata occidit: ergo æquè vetus ac nova lex occidens erit dicenda.

16. Responderetur negando ultimam Consequentiam, quia estò lex vetus non observata dicatur littera occidens, & similiter Evangelium etiam non observatum possit hæc rubricâ insigniri; tamen inter utramque legem respectû occisionis non est simile, imò maximum inter ipsas deprehendimus discrimen. Nam lex secum gestat onus, & nullum habet adiutorium secundum suum litteralem sensum, & idcirco dicitur littera occidens: Evangelica verò lex ex se pollet adiutorio gratiæ, & sic non præbet mortis occasio-

nem;

nem; quia gratia retardat concupiscentiam, quæ suo vigore in feruitutem peccati redigebat homines. Unde iure optimo littera occidens lex vetus dicitur; secus evangelica lex. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.

17. PRO TERTIÆ autem, & vltimæ distinctionis partis ostensione, tertia præficitur thesis: *Lex Mosayca multifariam ab evangelicâ dissidere videtur.* Quam obiter ex Augustino suadet Magister, triplicem notabilem antiquæ, & novæ legis assignando differentiam.

18. Primum igitur inter vnam & aliam legem versatur discrimen in eo, quòd in veteri lege tantum promittebantur temporalia, & terrena; in novâ verò, sive evangelicâ spiritualia, & cœlestia; sed temporalia, & terrena maximè differunt à cœlestibus, & spiritualibus rebus: igitur & lex antiqua ab evangelicâ dissidere videtur.

19. Secundum est, quòd sacramenta veteris legis non conferbant gratiam, sicuti novæ legis conferunt sacramenta; quia illa tantum significabant, hæc autem non solum significant, verum & iustificat, quippè, ipsam elargiendo gratiam; sed ex eo quòd antiquæ legis sacramenta non conferrent gratiam, quemadmodum conferunt novæ legis sacramenta, reverà nova à veteri discrepat lege: ergo.

20. Tertium discrimen est, quòd in veteri lege fuerunt quædam cœremonialia præcepta, quæ in novâ lege non vigent, etsi quantum ad moralia mandata sint eadem, sed plenius in evangelicâ continentur; sed quo pacto in lege antiquâ fuerunt cœremonialia præcepta, quæ in novâ lege non vigent, satis colligitur, eas inter se coherere non posse: ergo quòd lex Mosayca ab evangelicâ sit discors, haud dubiè videtur.

21. Sed oppones primò in discrimina inter vnam, & aliam assignata legem: Omnis lex versatur in doctrinâ: igitur lex Mosayca, & Evangelica in doctrinâ versantur; eandemque legis participant rationem; sed ex eo quòd eandem legis participant rationem, nullum est ex quo deprehendatur inter ipsas discrimen: ergo.

22. Respondetur ex Magistro, quòd licet lex Mosayca, & Evangelica eandem genericam legis participant rationem, quia vtraque in doctrinâ versatur; non tamen eandem specificam, vt claret ex differentijs à Magistro in textûs litterâ observatis: Cum ergò convenientia generica vnâ cum specificâ differentiâ cohareat, non benè deducitur, nullum inter ipsas vigere discrimen, quia in doctrinâ versantur.

Oppo.

23. Oppones secundò: Lex Evangelica præsertim præceptis, & consilijs innititur; sed Mosayca lex omninò in præcepta, & consilia immixta est, ut iustranti eam constabit: igitur inter legem Mosaycam, & Evangelicam nullum specificum meritò erit apponendum discrimen, cum circa eandem formalem versentur rationem.

24. Respondetur cum Magistro negando Consequentiam. Quia lex Evangelica etsi attendatur in præceptis, & consilijs, sicut & Mosayca lex; tamen Evangelicæ legi triplex congruit iustificandi modus; primò formaliter ratione gratiæ sacramentalis; secundò in effectu ratione dilectionis spiritualis; tertio in exercitio ratione bonorum operum, ad quæ per præcepta consiliaque dirigitur: Mosayca autem lex intelligitur litteraliter, non spiritualiter: Unde Evangelica lex estò præceptis, & consilijs maximè innitatur, quemadmodum & vetus; illa iure optimo dicitur vivificans, & hæc occidens, quod sanè vnam ab aliâ affluenter distinguit.

25. Sed instabis: Si lex Evangelica iustificaret, aut esset suâ instructione, aut observatione suâ; sed neutro modo iustificat: ergo quia à Mosaycâ non discrepat lege. Minor probatur: Non iustificat suâ instructione, aut doctrinâ, cum multi audiant Evangelium, & tamen haud iustificantur: Deindè, nec observatione suâ; nam sic etiam lex Mosayca iustificabat, iuxta illud tritum Matthæi cap. 19. proloquium: *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata*: igitur Evangelica lex nec instructione, nec observatione suâ iustificat; atque adeò ita conformis apparet antiquæ, ut ab illa dissonare haud videatur.

26. Respondetur, quòd Evangelica lex etsi non iustificet suâ instructione, sive proptè legitur, & cognoscitur; tamen iustificat suâ observatione, proptè in opere servatur, & secundum eam vivitur; quod reverà fit operaturque per sacramentorum susceptionem, cœlestium bonorum expectationem, & mandatorum impletionem, quibus plena assequitur iustificatio: Lex verò Mosayca erat secundum observantiam litteralem, non spiritualem, quibuscum non coheret iustificatio; & ideò in lege illâ promittebantur temporalia, & terrena; in hæc verò spiritualia, & cœlestia, quæ maximam in eas distinctionem inducunt.

27. His tandem verbis alite fausto colophonem imponit Magister decem decalogi præceptis: *Audistis decem chordas Psalterij virique sexui impositas, quæ charitate tangenda sunt, ut vitiorum fera occidantur.* Et nos ab huius tertij Sententiarum libri litterali expositione manum amovere decrevimus. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QVÆSTIONES.

28. **Q**VÆSTIO 1. Quid sit furtum, & an aliquandò sit licitum? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q. 66. art. 7. Prado tom.2. cap.22. q.2. §.1. Sylvius 2.2. q.66. art.7. & 1.2. q.100. art.8. Cayetanus 2.2. q.66. art.7. Sotus lib.5. q.3. art.4. Bancel tom.1. verb. furtum, q.2. & 3. Bañez 2.2. q.66. art.7. Nicolai in 3. dist.40. q.1. art.1. Rayner. de Pisis tom.2. verb. furtum, cap.1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom.3. tract.2. disp.8. q.66.

29. Ex Subtili Scholâ Scotus in 3. dist. 37. in litt. Matrius de restit. disp.9. q.1. art.2. num.20. Villalob. p.2. tract.13. diff.1. num.1. & seqq. Angles in 4. p.2. de restit. art.2. difficult.20. dub.14. Castillent. verb. furtum, num.1. & seqq. Aquila in 3. dist.40. q.1. & seqq. Cottonius lib.2. controuv.9. cap.1. & seqq. Herinx p.3. disp.5. tract.2. q.3. & disp.8. q.4.

30. Ex Scholâ Eximiâ Amicus tom.5. disp.38. sect.1. & seqq. Palao tom.1. tract.6. disp.2. de charit. punct.2. Dicastillo lib.2. de iust. tract.2. disp.9. dub.9. Escobar tom.4. lib.34. sect.1. cap.1. & seqq. Filliucius tom.2. tract.31. cap.10. num.234. Lugo disp.16. sect.2. Tambur. lib.8. tract.2. cap.6. §.2. Layman tom.3. lib.3. p.1. cap.1. Honorat. Fabri tom.1. cap.27.

31. Ex Alijs D. Bonaventura in 3. dist.39. art.1. q.2. Caramuel tom.1. Theolog. Regul. præcep.7. num.118. Diana p.2. tract.3. resol.29. & p.5. tract.9. resol.23. Malletus tom.2. pag.248. Rocafull lib.1. tract.4. cap.2. & seqq. Bassæus verb. furtum, num.1. & 12. Trullench tom.2. lib.7. cap.15. dub.2. Barthol. à S. Fausto disp.2. q.14. & seqq. Estius in 3. dist.37. §.24.

32. **Q**uestio 2. An occulta compensatio quandòque liceat? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2.2. q.66. art.5. Cayetan. 2.2. q.66. art.5. Sotus lib.5. de restit. q.3. art.3. Prado tom.2. cap.22. q.3. §.1. & seqq. Cruz 1.p. art.4. dub.2. Sylvius 2.2. q.62. art.8. q.1. Sylvest. verb. compensatio, num.1. Palud. in 4. dist.15. q.2. art.2.

33. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist.15. q.2. Matrius de restit. disp.9. q.1. art.2. Corduba in summ. q.111. Angles in 4. p.2. de restit. art.2. difficult.20. dub.14. & seqq. Villalob. tom.2. tract.11. difficult.23. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. compens. Marchant tom.2. tract.8. tit.6. q.1. & seqq.

34. Ex Scholâ Eximiâ Amicus tom.5. disp.61. dub.13. Mendo in Statera, dissert.4. q.4. Lugo tom.1. de iust. disp.20. sect.1. Fabri

tom. 1. cap. 17. D. castillo lib. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 6. Tambur. lib. 8. tract. 1. cap. 5. Gibalinus lib. 5. de implect. oblig. cap. 2. art. 9. Palao disp. de iust. punct. 16. Pillucius tract. 32. cap. 5. n. 150. Busembaum lib. 30. tract. 4. cap. 1. dub. 1.

35. Ex Alijs Caramuel in Theolog. Regul. tom. 1. præcep. 7. n. 123. Malletus tom. 2. pag. 250. Caspensi. tom. 2. tract. 18. disp. 11. sect. 13. in n. 161. Marchant in resol. Pastor. cap. 7. q. 9. Barthol. à S. Fausto disp. 2. q. 30. Diana p. 2. tract. 2. resol. 46. & p. 7. tract. 10. resol. 17. Bassus verb. compens. num. 1. & seqq. Sayrus lib. 9. cap. 14. num. 5. Bonacina de restit. disp. 1. q. ult. punct. 2. Trullenchi lib. 7. cap. 5. dub. 5. Machado 3. p. tract. 23. docum. 5.

36. Questio 3. Qui, & quandò ad restitutionem teneantur? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 1. & seqq. Sotus de iust. lib. 9. q. 6. art. 2. Sylvius 2. 2. q. 62. art. 6. Prado tom. 2. cap. 17. q. 6. §. 1. & seqq. Cayetan. 2. 2. q. 62. art. 7. Bannez 2. 2. q. 62. art. 7. Ledesma tom. 2. tract. 8. cap. 15. Rayner. de Pisis tom. 3. verb. restitutio, cap. 1. & seqq. Philipp. à SS. Trinit. tom. 3. tract. 2. disp. 5. dub. 1. & seqq.

37. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 15. q. 2. Maffrius de restit. disp. 7. q. 2. art. 1. & seqq. Poncius tract. append. disp. 52. q. 9. & 10 Berulle q. 1. tit. 6. Villalobos tom. 2. tract. 11. diffi. ul. 8. Herinax p. 3. disp. 5. tract. 2. q. 3. & disp. 8. q. 4. Cortonius lib. 2. controver. 9. cap. 1. & seqq. Marchant tom. 2. tract. 8. tit. 6. q. 1. Castillent. in Belyamb. Senaph. verb. restitutio, num. 1. & seqq. Aquila in 4. dist. 15. q. 1. & seqq.

38. Ex Scholâ Eximia Gibalinus lib. 7. cap. 5. art. 1. & seqq. Lugo de restit. disp. 16. sect. 1. & disp. 28. sect. 1. & seqq. Vazq. de restit. cap. 1. dub. 8. Molina tract. 2. disp. 7. 15. Atnicus tom. 5. disp. 35. sect. 1. & seqq. Pillucius tom. 2. tract. 32. cap. 2. q. 1. Honoratus Fabri tom. 1. cap. 25. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 4. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 2. Turriagus tom. 2. disp. 9. & 10. dub. 1. & seqq.

39. Ex Alijs D. Bonaventura in 4. dist. 15. p. 2. art. 2. q. 4. Malletus tom. 2. pag. 157. & seqq. Bonacina disp. 1. de restit. q. 1. & 2. punct. 3. Caspensi. tom. 2. tract. 18. disp. 11. sect. 1. & seqq. Bonelpei disp. 17. dub. 1. & seqq. Baudunius de iust. q. 64. art. 2. & 3. Bassus verb. restit. num. 1. & seqq. Barthol. à S. Fausto disp. 4. q. 50. Delbene tract. 5. dub. 1. & seqq.

40. Questio 4. An, & quomodò Sacramenta veteris legis caufabant gratiam ex opere operato? De quò, tom. 1. dist. 1. q. 2. & 1. tract. 1. dist. 1. q. 5.

41. Quæstio 5. An in lege veteri fuerint aliqua propria, & vera Sacramenta? De quò, *tom. 4. p. 1. dist. 1. q. 4.*
42. Quæstio 6. An Circumcisio fuerit verum Sacramentum? De quò, *tom. 1. dist. 1. q. 2. & tom. 4. p. 1. dist. 1. q. 5.*
43. Quæstio 7. Quisnam sit sacræ Scripturæ Author primarius; quis verò instrumentarius? Ex Angelicâ Scholâ Oleaster in *cap. 31. Exodi. Gonetus tom. 4. tract. 10. disp. 2. art. 1. §. 5. Casus de locis, lib. 2. cap. 13. Bannez 1. p. q. 1. art. 8. dub. 4. Didacus Bonavides de arte, & metodo, disp. 2. dub. 6. Anton. à Matre Dei prælud. 1. digressione 1. sect. 3.*
44. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. *dist. 33. q. 3. n. 8. Lyranus in Exod. cap. 31. Bordonus tom. 1. cap. 7. q. 2. num. 26. Brancasius tom. 1. disp. 2. q. 2. Tamarit. tom. 1. q. 16. Herincx p. 3. disp. 4. q. 2. & 3. Yerveis lib. 2. cap. 5. & 6. art. 1. & seqq. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Author sacræ Script. Haye tom. 1. in Prolegom. sect. 5. cap. 2. & in Exod. cap. 31. concept. 37.*
45. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *lib. 9. de legibus, cap. 5. Lorinus de Deuter. cap. 2. Gibalinus tom. 3. lib. 8. princip. 2. q. 4. Serarius in Prolegom. cap. 18. q. 2. Bellarm. lib. 2. cap. 10. Nierenb. de Orig. sacræ Script. lib. 4. cap. 4. Zelada de benedict. Patriarch. §. 305. num. 3. Turrianus de fide, disp. 220. dub. 4. Possévinus lib. bibliot. 12. & 13.*
46. Ex Alijs D. Bonaventura in 1. *dist. 18. dub. 6. D. Hieronymus lib. de Eccl. Scriptor. D. Chryostomus hom. 28. in Numer. Rupertus, lib. 3. de Vist. cap. 21. & 22. Abulen. in Exod. cap. 31. Sylvestra Opuscul. 1. resal. 3. q. 3. Castillo de Vestib. vers. 37.*
47. Quæstio 8. Quo idiómate primùm conscripti sunt libri Canonici? Ex Angelicâ Scholâ Sixtus Senensis *lib. 2. biblioth. sacræ. Gravina lib. 4. præscript. controv. 4. art. unio. Bannez 1. p. q. 1. art. 8. dub. 4.*
48. Ex Subtili Scholâ Macedo de *Clavib. lib. 2. controv. 2. cap. 1. Haye tom. 1. in Prolegom. sect. 7. cap. 1. Galatinus de Arcanis. Marius Calasius in Concordant. bibliot. Lyranus in initio Postilla. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. Liber Canonicus, num. 1. & seqq. Carrière in bibli. cap. 1. & seqq. Anton. Guevara disp. contra Iudeos Roman.*
49. Ex Scholâ Eximiâ Gibalinus *tom. 3. lib. 8. punct. 2. q. 5. Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 6. Ex Alijs D. Hieronymus cap. 1. in Daniel. D. Augustinus de Civit. lib. 16. cap. 3. & q. 28. in Gene. Arias Montanus in præfat. ad Bibliam. Iosephus de Antiq. lib. 1. cap. 1.*

Estius in *Argum. Epist. ad Hebræos*. Ioan. Despières *tract. 1. text. hebræor. disp. 1. dub. 1.*

50. Quæstio 9. An præter libros Canonicos in Tridentini decreto relatos, fuerint aliquandò sacri Libri, qui perierint? De quò, *hic q. 7. & 8.*

51. Quæstio 10. An liber apocryphus possit Canonicus fieri? De quò, *hic q. 7. & 8.*

52. Quæstio 11. An stylus sacræ Scripturæ sit eloquens, & clarus, aut simplex, & obscurus? D. Augustinus *lib. de Oper. Monachor. cap. 9.* D. Chrysostomus *hom. 3. de Lazaro.* D. Basilius *in definit. q. 45.* D. Laurentius Iustinianus *in Psal. 32.* S. Cyrillus *lib. 7. contra Iulianum.* S. Fulgentius *serm. de Confessor.* S. Iulianus *dialog. cum Triphone.* D. Irineus *lib. 3. cap. 2.* D. Gregorius *hom. 10. in Ezech. Scotus in 3. dist. 24. q. vnic.* Theodorus Abbas apud Casian. *lib. 5. instit. cap. 34.* Haye *tom. 1. Bibli. Maxime, sect. 9. cap. 1.* Anton. Perez Benedictinus *p. 3. dub. 11. cap. 1.* Brancaius *tom. 1. disp. 2. q. 15.* Sylveira *Opusc. 1. resol. 1. q. 9.*

53. Quæstio 12. An inter cunctas linguas antiquitate præcedat hebraica? De quò, *hic q. 7. & 8.*

54. Quæstio 13. An Doctorum Maximus Hieronymus sit Author nostræ Vulgatæ editionis novi & veteris testamenti? De quò, *hic q. 7. 8. & præsertim, q. 16.*

55. Quæstio 14. An nostra Vulgata, latinaque versio sit omnibus alijs Latinis, Græcis, & Hebræis versionibus anteposenda? De quò, *hic q. 7. 8. & 16.*

56. Quæstio 15. An Ecclesia Romana in omnibus versione Hieronymianâ utatur? De quò, *hic q. 7. 8. & 16.*

57. Quæstio 16. An eidem loco sacræ paginæ plures sensus literales aptari possint? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas *1. p. q. 1. art. 10. & quodlib. 7. q. 6. art. 14.* Bannez *1. p. q. 1. art. 1. dub. 1.* Anton. à Matre Dei *in Isagog. Script. prælud. 3. dub. 2.* Francis. à Iesu Mariâ *de sensib. sacræ Script. disp. 1. sect. 1.* Andreas à Cruce *1. p. q. 1. art. 10.* Philipp. à SS. Trinitate *tom. 1. tract. 10. disp. 2. dub. 3. & seqq.*

58. Ex Subtili Scholâ Scotus *in 1. dist. 1. q. 3. prolog. num. 1. & seqq.* Brancaius *tom. 1. disp. 2. q. 4. & seqq.* Lyranus *prolog. 3. in Postillis Biblior. Tamarit tom. 1. q. 13.* Haye *tom. 1. Bibli. Max. sect. 1. cap. 1. & seqq.* Herinex *p. 3. disp. 4. q. 4.* Netuveis *lib. 2. cap. 5. art. 1. & seqq.* Poncius *de sens. sacræ Script. disp. 1. q. 1. & seqq.* Carriere *in Bibli. cap. 3. & seqq.* Castillentus *in Polyantb. Seraph. verb. sacræ Scriptura, num. 7. & seqq.*

59. Ex Scholâ Eximiâ Gibalinus *tom. 3. lib. 8. princ. 3. q. 1. Serarius in Script. cap. 21. Vazquez 1. p. q. 1. art. 10. disp. 12. Salmeron in Script. prolog. 7. Bellarm. lib. 3. de Verb. Dei, cap. 1. & seqq. Turrianus p. 1. disp. 3. dub. 4. & seqq. Sherlogus in Cant. antelog. 9. Alapide in proleg. sacræ Scripturæ. Saâ in init. ad univers. sacr. Script.*

60. Ex Alijs D. Gregorius *lib. 21. Moral. cap. 1. Origenes lib. 10. cap. 15. Epist. ad Romanos. Driedus lib. 2. cap. 2. Sylveira Opuscul. 1. resol. 2. q. 1. & seqq. Rua tom. 2. controv. 9. dub. 2. Scalante in Clypeo, lib. 1. cap. 14. Benavides disp. 9. dub. 4. Payva tom. 1. lib. 1. cap. 3. Anton. Perez Benedictinus 3. p. dub. 12. cap. 1. & seqq. Boverius tom. 2. demonst. 5. art. 8. Sogia tom. 1. p. 3. disp. 8. q. 15. & seqq.*

61. Quæstio 17. Quid sit fornicatio, eiusque species? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 41. q. 9.*

62. Quæstio 18. An, & quid sit stuprum? De quò, *tom. 5. part. 2. dist. 41. q. 10.*

63. Quæstio 19. An, & quid sit incestus? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 41. q. 11.*

64. Quæstio 20. An, & quid sit raptus? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 41. q. 12.*

65. Quæstio 21. An, & quid sit adulterium? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 41. q. 13.*

66. Quæstio 22. An in veteri lege pœnâ aliquâ afficiebatur adulterium? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 37. q. 4. & 5.*

67. Quæstio 23. An occidere vxorem adulteram sit gravius peccatum, quàm matricidium? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 37. q. 4. & 5.*

68. Quæstio 24. An adulterium sit maius, graviusque peccatum, quàm stuprum? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 37. q. 4. & 5.*

69. Quæstio 25. An adulter vir gravius peccet, quàm adultera vxor? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 37. q. 4. & 5.*

70. Quæstio 26. An, & quâ ratione simplex fornicatio sit contra legem naturalem? De quò, *tom. 5. p. 2. dist. 33. q. 1.*

Ex de el Collegio de S^{ta} Cath^a N^{ra} de Orona

ISTI SVNT ARTICVLI IN SECVNDO
 & tertio Sententiarum Libro Magistri Petri
 Lombardi Parisiensis Episcopi studiosè de-
 prehensi, quibus non bene consonat,
 a pud Parisienses, eius mira doctrina.

SECVNDI LIBRI.

Primò: Angelos non promeruisse beatitudinem supernam per gratiam sibi à Deo elargitam, sed præmium præcessisse me-
 ritum, & postmodum per obsequia fidelibus exhibita meruisse: Vel
 præmium præcessisse Angelos, & meritum respectu substantialis
 præmij fore subsecutum. Dist. 5. cap. vlt. *Hic quæri solet.*

Secundò: Quòd Angeli in merito respectu essentialis præmij, &
 in præmio ipso ad iudicium usque proficiunt. Dist. 11. cap. *Pre-
 zere a illud.*

Tertiò: Quòd charitas, quæ animæ qualitates informat, atque
 sanctificat, est Spiritus Sanctus. Dist. 27. cap. *Cum ergò dicitur.*

Quartò: Quòd in humana nature veritate nihil extrinsecu tran-
 sit, sed quòd ab Adamo descendit per propagationem auctu, & multi-
 plicatum, resurget in iudicio. Dist. 30. cap. penult. *Quibus responderi.*

TERTII LIBRI.


Primò: Quòd rationalis anima à corpore exuta, sit persona.
 Dist. 5. cap. *Hic à quibusdam opponitur.*

Secundò: Quòd Christus Dominus convenienter mortuus, & non
 mortuus dicitur, passus, & non passus. Dist. 21. cap. vlt. *Recedente
 verò animâ.*

Tertiò: Quòd Christus Dominus in triduo mortis fuit homo.
 Dist. 22. cap. 1. *Hic quaritur.*









Thompson

183

18

Sicuti Toti

4424
4424

S. S.
Sententia
IN
CASTELL